UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

urn:nbn:de:hbz:466:1-61252

Visual Library



Bibliothecae P.P. Capuc. Paderborn

Th. 4723.

Ex liberali donatione S:mi Illustrissimi, ac perquam gratiosi
D.D.ni Decani & Bti Aegidii
hoc Secundum Argumenti specimen
coram Antonio Westhof Paderborno
cum e suprema grammatices classe
ad humaniorem gradum faceret.
Anno 1792 28. Mris.

J. Dirkes S.J. Coll. Rect. mp.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


his foliis
Natiuitatis Iesu Flores Mystici.
Charitas.
Obedientia.
Humilitas.
Castitas.
cum
aliis

HORTULUS
BIBLICO-MORALIS ET ASCETICUS.

Pro Floribus exhibens

SEPTUAGINTA FASCICULOS

DOCTRINARUM MORALIUM ET ASCETICARUM,

Quæ ex universa Veteris Testamenti Historia,

synopticè per Ordinem relata desumptæ,

Verbis & Factis Novi Testamenti, selectis SS. PP. sententiis,

crebris similitudinibus, Allegoriis & Conceptibus, succinctis-

que Exemplis, quâ sacris quâ profanis illustrantur.

OPUS

Tum ad reformandos Christiani Lectoris mores,

tum ad comparandam S. Scripturæ compendiosam notitiam, tum ad Conciones morales pro sæcularibus & Exhortationes Asceticas pro Religiosis, ex tempore formandas, destinatum, & triplici Indice instructum.

S. S. Theol. Paderborn.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO PAPPUS à Trazberg, &c.

Ord. S.P. Benedicti in Augia Majori Brigant. Professo & p. t. Eccles. Paroch. Brigantinæ Præbendario.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

CONSTANTIÆ,

Sumpt. JOH. CONRADI WOHLER, Bibliopol. Ulmens. 1725.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DEDICATIO.

Reverendissimo & Perillustri Domino

DOMINO

FRANCISCO CAROLO

PAPPUS à Trazberg,

Domino in Laubenberg & Rauchenzell,

Cathedralis Ecclesiæ Constantiensis Decano & Insignis Ecclesiæ ad S. Joannem Præposito.

Perillustri ac Generoso Domino

DOMINO

JOANNI ANDREÆ

de PAPPUS & Trazberg,

L. B. IN LAUBENBERG ET RAUCHENZELL.

S. Cæs. & Regiæ Cathol. Majestatis excelsi Regiminis Superioris Austriæ Consiliario actuali, atque Ditionum Bregenz & Hochenegg Archi-Præfecto, nec non liberæ & immediatæ S. R. J. Equestris Nobilitatis Consiliario ac Deputato Directoriali primario Cantonis Hegov. Algovienſis & Lacûs Bodamici.

Dominis Fratribus suis Observandissimis.

INnocentes illæ deliciæ, quas Vobis Horti vestri, omnî florum genere exculti, æstivô tempore afferunt, ansam mihi dedêre: *Hortulum* hunc *Biblico-Moralem & Asceticum* Vobis dedicandi: ut quorum corpora recreant flores physici, eorum quoque animas recreent flores

morales & aſcetici. Invito igitur Vos Obſervandiſsimi DD. fratres verbîs Sponſæ Cantic. 5. *Veniat Dilectus meus* (uterque) *in Hortum.* Viſurus in eo Charitatis Roſas, Caſtitatis Lilia, Violas Humiiitatis, & ſexcentos alios flores, quorum ſemina florentiſsimus ille Hortus mihi ſubminiſtraverat, quem Deus Ipſe *Fons Hortorum* Cantic. 4. Primitùs per Moyſen plantaverat.

Si ſtylum, ſcribendiąue methodum, quæ tam nobiles proponit flores, exactiùs conſiderabitis, eritis forſan dicturi cum Iſaia cap. 1. *Velut Hortus absque aqua.* Sed defectum hunc ſupplebit *irriguum ſuperius*, & *aliud inferius* Joſue cap. 15. Textus videlicet S. Scripturæ tum Veteris tum Novi Teſtamenti, cœleſtî ſuccô pleniſsimi, figuris, allegoriis Hiſtoriisque conjuncti, atque SS. PP. & Doctorum Eccleſiæ ſententiis ſelectiſsimis permixti. Hæc ſacræ lectionis materia; etſi diſpliceant cætera, non poterit non placere, factura certè: ut ſicut fuiſtis hactenus, ita pergatis, magìs ac magìs *bonus odor Chriſti eſſe.* 2. Corinth. 2.

Clauſulæ locô hoc unicum fraterno è pectore ſpiro: *Florete* Eccleſ. cap. 39. Florete virtutibûs, florete annîs, donec utrîsque ſat maturi, ſerò tandem defloreſcatis, venturi abhinc *in Hortum Regis* Jeremiæ 52. Regis inquam, *apud quem* teſte Apoſtolô Jacobô cap. 1. *Non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Ita voveo

Perilluſtrium ac Obſervandiſſimarum
Dominationum Veſtrarum

Devotiſſimus ſervus & frater

P. Franciſcus Pappus à Trazberg,
Profeſſus Augiæ majoris Brigant.
Ord. S. Benedicti p. t. Præbendarius
in Bregenz.

Facul-

Facultas Reverendiſſimi & Ampliſſimi Domini, Domini Abbatis Augiæ Majoris Brigantinæ.

NOs Magnus Dei Gratiâ Abbas Monaſterii Augiæ Majoris Brigantinæ Ord. S. Benedicti Diœceſis Conſtantienſis R. P. Franciſco Pappus à Trazberg prædicti noſtri Monaſterii Profeſſo, ac SS. Theologiæ quondam Profeſſori Ordinario, facultatem facimus: librum, cui titulus: *Hortulus Biblico-Moralis & Aſceticus* à ſe compoſitum, atque à Theologis lectum, & approbatum typis mandandi. Actum in Monaſterio ſupra memorato 6. Novembris Anno 1718.

Magnus Abbas, mpp.

APPROBATIO.

HOrtulus (iſte) *Biblico-Moralis & Aſceticus &c.* tam ab Elegantia Conceptuum & rarâ Methodô conſpicuus, quàm à Dignitate Materiæ ſtyliqúe amœnitate floridus eſt: nec tribulos malæ Fidei aut pravorum morum lolia progerminat; Verùm ſpecioſis omnigenæ Eruditionis floribûs excultus, ſuavem ubique ſanæ & ſalutaris Doctrinæ ſpirat odorem. Digniſſimum proin cenſeo, in quem omnes Moralium & Aſceticarum florum amatores ſuîs oculîs deſcendant, atque tum pro comparanda S. Scripturæ compendioſa notitia, tum pro formandis ex tempore Concionibus, Doctrinæ floſculos ſibi inde colligant. Dabam in Augia Majorî Brigantina 23. Octobr. 1718.

P. Apronianus Hueber, Ord S. P. Benedicti ibidem Profeſſus p. t. Prior & SS. Theologiæ Profeſſor Ordinarius.

APPROBATIO.

PRæſentis Hortuli *Biblico-Moralis & Aſcetici &c.* flores *fructus Honoris & Honeſtatis ſunt*: qui cùm & innocentiam morum & ſanitatem Fidei ubique redoleant, & inſuper variæ Eruditionis ſolidæ aſceſeos ac exquiſitæ Eloquentiæ ſapore non mediocriter redundent: idcircò *digniſſimos* judico, qui communi guſtui omnium, quotquot *eſuriunt & ſitiunt Juſtitiam* per prælum publicum ex- & apponantur. Grüenenbachii die 19. Octobr. 1718.

P. Joannes Sprenger Ord. S. Benedicti in Augia Majori Brigant. Profeſſus olim SS. Theologiæ Profeſſor & p. t. Parochiæ Grüenenbachenſis Vicarius.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CENSURA ORDINARII.

HOrtulum istum Biblico-Moralem & Asceticum pulcherrimis SS. PP. & Ascetarum sententiis & Doctrinis, variisque conceptibus ceu flosculis innumeris refertum à plurimùm Reverendo Religiosissimo ac Clarissimo P. Francisco Pappus à Trazberg &c. Ordinis S. Benedicti in antiquissimô & celeberrimô Monasterio Augiæ majoris Brigantinæ Professo & quondam Priore dignissimô, eruditissimè compositum, non sine voluptate perlustravi, nihilque contra sanam Doctrinam aut bonos mores in eo reperi, sed potiùs tam ob amœnitatem limati ac tersi sermonis, quàm ob varietatem & multiplicitatem Doctrinarum Moralium atque conceptuum eundem dignissimum judico, ut typis excudatur. Ita censeo Constantiæ die 20. Octobris 1718.

Andreas Feurstein SS. Theolog. Doctor, Consil. Eccles. insig. colleg. Ecclesiæ ad S. Stephanum Parochus ac Canonicus Capitularis, Censor librorum Ordinar.

Præfatio ad benevolum Lectorem.

POst Controversias joco-serias ex toto serius alterâ vice tuum subeo conspectum benevole Lector, Hortulum tibi offerens, locô florum doctrinis Moralibus & Asceticis, si non excultum, saltem impletum. Finem operi præfixum defert Titulus, in quo hæc verba invenis legenda. *Opus, tum ad reformandos Christiani Lectoris mores, tum ad comparandam S. Scripturæ compendiosam notitiam, tum ad Conciones morales pro sæcularibus, & Exhortationes Asceticas pro Religiosis ex tempore formandas destinatum, & triplici Indice instructum*, in quo Doctrinæ Morales & Asceticæ, in uno numero marginali plerumque breviùs traditæ, in diversis autem numeris diversis quoque argumentis fusiùs discussæ sunt: ut sic dispositæ non solùm serviant ad fusiorem de una materia lectionem, sed etiam ad integras Conciones & Exhortationes, ex tempore faciendas.

De reliquo typographicorum errorum lolia, quæ in hoc Hortulo reperies: cùm illa jam prælô firmiter radicata, eradicare non valuerim, saltem raptim notata, studui emendare, sperans futurum: ut pro innata tibi benevolentia compatiaris mihi.

FASCI-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Errata.

Pagina 8 prætervolat prætervolet p. 9. Hiernom. Hieron. 9. hêrile hêrcle p. 13. comperisse comperis p. 14. facul. fæcul. p. 22. illum illud p. 26. & moriatur ut moriatur p. 27. servis servio p. 27. quantò quare p. 32. in egendo in egenos p. 34. flumen fulmen p. 35. Christiane Christianæ p. 37. Psalitate psallite p. 38. mecum meum p. 42. quàm quod p. 43. affecit effecit 43. dices dices p. 45. spatiô brevi spatiô p. 46. promoveat promovent 46. saporem lege bis soporem p. 52. ceto cete p. 53. confusius curiosius p. 54. sanitate sanctitate p. 57. parvi pari p. 58. comes fomes p. 60. minùs minui p. 61. locutum locutam p. 63. nos eos p. 64. eum enim p. 66. Scriptam Scriptum p. 67. guttur gutturi 67. salutis salutaris p. 69. illum illam p. 71. putruerant putruerunt p. 76. intueatus intueatur p. 78. valuimus p. 79. Ægyptio Ægypto p. 83. discedit ad te acedit ad te p. 87. exhibeat exhibuerit p. 89. recidivis recidivos p. 92. dispositio dispositio p. 94. quô quæ p. 97. septim septem p. 100. summam summa p. 101. historinis historionis p. 103. destruas destruis p. 104. salutaverat salutavit p. 105. vermicum vermium p. 106. propter quæ propter quas p. 110. respondet respondent p. 112. salutaverat salutavit 112. illa illæ p. 114. gramitas garamantas 114. nescis noscis 114. conjeceis conjeci 114. advertas avertas p. 117. Absolon Absolom p. 118. nimis nimio 118. alterum alteram Ægyptum 118. non cum p. 119. illis illi p. 120. Seraphinus Seraphicus 120. Jobe Jobi 120. horrenda horrendas p. 122. thronus thronum p. 123. & at p. 124. honoris honori 124. debetis quanta, debetis aspicere, quanta p. 125. ægrotos ægrotus p. 127. reddit reddidit p. 129. aulis aufis 129. tale tabe 129. totoque totaque p. 132. auri aure p. 133. centum centum omitte semel 133. illigatam alligatam 133. difformitas deformitas p. 134. ô quam igitur &c. ô quàm igitur abiis, quos suis obsequiis obstringunt, gratam exigent mentem! 134. vocat vacat p. 136. vanis vanit- p. 137. inficiêtur inficietur 137. augustissima augustissima p. 140. zoran zaran p. 141. diversorum diversorium p. 142. sonat sonet p. 142. ex. en. p. 142. dulcedine in dulcedine majorem p. 146. audi omnes p. 150. liceat liceat p. 151. vocate vacate 153. suam suum p. 155. justus justis 155. perditurum perdituram p. 157. ariæ arcæ p. 161. qui quæ p. 166. quidem quidam 166. ningat ninget 166. Nierenbergicus Nierenbergius p. 167. tamdiu diu p. 169. salvas solvas 169. efficetur efficietur p. 170. cathedrum cathedram 170. Christo Christi p. 171. summam summum p. 177. prætiosius prætiosus p. 178. alterô pede, ut alterô pede, p. 179. immundis adde habitorum p. 180. Patro Petro p. 181. delecto deleto p. 183. ipso ipsi p. 184. prôci porci p. 185. psal. adde 100. p. 187. nec illum nec ullum p. 188. structionem structiônem p. 189. satisfaciat satisfacias p. 197. Mysterium Mysteriô p. 199. scandolosos scandalosos p. 199. opprimè apprimè p. 202. morem moram p. 205. Verborum Verberum 205. audentium audenticum 205. ac diutiùs re diutiùs 205. liberares liberaret p. 206. miseriæ hujus miseriæ p. 208. capis cupis p. 213. corrigendum corrigendæ p. 214. quæ quos p. 216. reponens repones p. 227. nihil nihili p. 228. fierint fierent p. 229. Israëlitca Israeliticæ 229. describentis describenti p. 230. ab illis ab aliis 230. sentit sensum p. 231. Popoli Populi p. 232. moræ more p. 234. parvulas parvulus 234. graraves graves p. 246. futuro futuræ 246. operis opereris p. 248. Absolon Absolom p. 249. diff. disco 249. videntem præmitte fertur: p. 250. genera genere p. 250 armentaria armamentaria p. 252. pupullante pupullantem p. 257. hortatus hortatur p. 258. aicem aciem p. 259. additi addicti 259. ficubres ficubûs p. 260. salvabitur non salvabitur hominum homini p. 261. proventus meus genimina mea p. 263. cognito cognitio 263. Seraphinus Seraphicus 263. per quot per aliquot 263. ad matutinas adde preces p. 271. innuant innuunt p. 280. non ut videndum non ut videndam p. 283. effectuum affectuum 283. caput capite p. 284. æquitus æquitas 284. servis servit p. 288. verissimis severissimis p. 289. de obedientia de obtenta p. 293. jussum jussam p. 296.

ille

ille se p. 298. vix nullum vix ullum 298. qui quæ p. 299. deventa deventum 299. terram tuum terram tuam 299. consperso consperſum p. 300. stupendum illum stupendum illud p. 304. detractasse detrectasse 304. est autem est porrò 304. namquid namque p. 310. insignæ insigne p. 311. res creata res certa p. 312. Gadeonis Gedeonis p. 313. Gedeonis Gedeoni p. 314. auctissimos acutissimos p. 316. diceris dixeris p. 316. peccatoris pectoris p. 317. præbunt præbent 317 sentiet sentiret p. 219. creditus creditus 319. tum tunc p. 323. docêre docuêre p. 323 cit. dicit p. 325. suas suos 325. velnit velint 325. latens latent p. 328. Dydimas Didimus p. 339. Judas Judæus p. 342. corporis corpori p. 351. hêrile hêrcle p. 352. Amor Amon p. 353. habêre habuêre 353. manducaturus manducaturis p. 354. impleant implent p. 355 eæ ea p. 356. salutatarem salutarem p. 356. populum poculum 356. lector lictor 356. Davidis Davidi p. 359. dictat ditat p. 364. dicens dicentem p. 366. Ezechieli Ezechielis p 367. qua leges quæ legis 369. haud dubiò haud dubiè 370. frequentur frequenter 371. oblatus oblatas 372. meum meam 372. lachrymatus lachrymatur 372. aliis aliis 372. sorroem sororem p. 373. plancandum placandum p. 374. Absonem fratricidum Absolomem fratricidam 374. Delus Pelus 374. pomssius possimus p. 375. inquit inquiens 375. dicens diceres p. 376. Davidi luctus Davidis luctus p. 377. elegantur eleganter p. 378. & unico ut unico p. 379. Sanlitarum Saulitarum p. 382. due duce p. 383. tres es p. 386. frequentem frequenter p. 387. dicam ego dicam ergo: tentationem 387. illi illæ p. 391. perenni & industria sudore perenni industria & sudore p. 394. describitur describuntur acta p. 398. declinet declinent p. 400 ficorum ficuum p. 408. maledicunt illis illi p. 409. explicatus implicatus 410. statuit statuerit: 410. veces voces 410. instar spinas spinarum 410. huro euro p. 413. ab Ochoziæ Ochozia 413. Ozias Rex adde sensit p. & allis aliis p. 417. sentiant sentient 417. pueris pueri p. 419. adherehit adhærebit 419. rogatus quæsitus p. 420. ignitis adde serpentibus p. 521. ingentiorum ingentia p. 426. frequentur frequenter p. 427. visio adde obtigit p. 429. frequentur frequenter 429 suavitur suaviter 429. tum tam p. 430. structiones strutiones 430. objiciant p. 434. Israëlem Ismaëlem, Isaac Esau, Moyses Gersam, Heli Ophni & Phinees, David Absolom p. 435. laboricas laboribus 435. nobilibus nobilius 435. quo lectulum quæ lectu um p. 436. popolum populum p. 438. Cyricus Cynicus 438. munera munere p. 441. alio alia 441. celleſc. cellens p. 443. beneficium beneficum p. 446. cæterì cæteris p. 447. participatus est participavit p. 448. mortem montem p. 449. adpositissimum appositissimum p. 450. re ne 450. speras feras p. 452. inductum indutum 452. cæsu cæsa p. 453. macerica maceria p. 455. cum eum p. 460. abolerent adolerent p. 465. ingressi p. 467. dissuevit dissuerit p. 468. Esdræ Esdra p. 470. quod quid p. 471. sufficientes sufficientem p. 473. faciendoquè faciendosquè p. 475. vix lege vix in lege 475. energebat emergebat 475. à quæ à quo p. 485. tam prope tunc prope p. 489. examinant exanimant p. 491. & blateronem omitte & 492. Sophonicas Sophonias p. 498. inductus indutus p 499. ad repellenda repellendam p. 504. auctissimi acutissimi 504. in magnum magnam 504. quoque fuisse, captivum quoque ductum fuisse p 507. vixeras vixerat 508. refererens referens p. 515. nunc Mardochæo cum Mardochæo p. 520. venatum vexatum p. 523. hoc omnia hæc omnia p. 524. redodolens redolens p. 529 abutetur abutatur p. 530. corice coriô p. 531. regni regi 531. oculô oculorum p. 532. extensus extensas p. 536. aucto acuto p. 541. Exangelistæ Evangelistæ p. 544. osse ossa p. 544. agunt agant 544. virerum virorum p. 545. cibo & potu in cibo & potu p. 548 potentur potenter p. 554 Michæus Michæas p. 565. servatum servatam p. 567. pnpilta pulpita p. 569. observatum observatam 569. quid modus quid motus 569. nisi sit nisi fit p. 571. si morientur si morendô p. 573. impoens imponens p. 574. mutui bovis muti bovis p. 576. soliti soluti 576. habet habent p 578. Manchantius Marchantius p. 585. morientibus morientium p. 586. pessime pessimæ p. 588 quia propter jus quia præter jus. In Indice p. 2. gravissima in Deo gravissimam Deo p. ead. expellendam expellendum p. 6. puniantur puniuntur p. 9. objectis abjectis p. 19. mediam media p. 20. sequemini sequimini.

FASCICULUS I.

Doctrinarum Moralium & Ascéticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. lib. Geneseos, in quo describitur sextiduana totius mundi creatio. Adami in cuncta Dominium.

Considera QUòd DEUS creatîs cælô & terrâ, sole & lunâ, piscibûs & volucribûs, jumentîs & bestiis, ultimò tandem creans hominem egerit artis suæ peritissimum Oratorem, qui brevi Epilogo, tanquam totius Orationis Compendio, includit ea, quæ per alias partes fusiùs discusserat: hac de causa Homo *Microcosmus* dicitur. Nec hoc suffecerat exornando tam nobili artificio; etiam supremi Conditoris Imaginem circumferre debuit, ut præfatas creaturas non includeret tantùm, sed millenîs gradibûs excelleret, ipsîs paulô minor factus Angelîs teste Prophetâ Regiô Psal. 8. quare, etsi alia omnipotentiæ suæ opera, ut benè elaborata, approbet DEUS, de solo tamen profitetur homine: *Delectabar per singulos dies, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Prov. 8. Agnosce ergo Christiane Lector præstantissimæ tuæ naturæ Dignitatem: age debitas pro tantis gratiis gratias, de die sæpiùs te alloquens verbîs Christi Matth. 22. quærentis: *Cujus est Imago hæc?* Nónne illius, cui nulla unquam dominatur superbia? quem nulla excæcat libido? nulla immitem facit avaritia? nulla exasperat ira? nulla enervat acedia? sed qui teste *N. 1.*

Ascetâ lib. 3. de imit. Chri. cap. 40. *Est semper bonus & sanctus, benè & justè agens omnia, & disponens in sapientia.* Hanc imaginem piô mentis oculô inspice, & divinæ Cooperans gratiæ, fac secundùm Exemplar, quod tibi in ea monstratur, obtemperandô monitis S. Greg. Nyss. Orat. 1. suprà illud: *Faciamus hominem ad imaginem &c.* scribentis: non ait DEUS: faciamus hominem ad imaginem nostram, ut irascatur, concupiscat, & mœreat; perturbationes enim non cadunt in imaginem DEI, sed Ratio perturbationum Moderatrix & Domina. Ad imperandum natus est homo: Quid ergo perturbationibus servis? cur Dignitatem tuam abjicis? &c.

N.2. Dic quæso: annon indigneris Soli, clarissimo hujus mundi oculo, si vel unicâ horâ eclipsim patiens, à scopo suo, ad quem à DEO creatus est, aberret? dic: annon indigneris terræ, si ex semine in se projecto paucos vel semel tantùm protrudat fructus? & tibi non indigneris, si à fine, quem intua creatione tibi præfixit Deus, totô cælô devians, inordinatis passionibus succumbas? ò te miseram & infelicem animam, quæ tam liberalem fugiens Dominum, tot Tyrannis in servam te tradis! an nescis, summam gloriam esse, gloriari in solo Rege gloriæ? an ignoras, summum esse bonum, illum tantummodò quærere in omnibus, qui solus omne bonum? ex tot creaturis, quas hoc S. Scripturæ caput à DEO conditas testatur, nullam reperire est, quæ suô desit officiô: Sol enim numquam non præest diei, Luna cum stellis numquam non nocti. Numquam non natant in aquis pisces, in aëre nunquam non volant volucres, nunquam non discurrunt feræ per sylvas. Cunctis æstatibûs surgunt è terra flores & herbæ, nascuntur ex arboribus fructus: *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundásti eis, terminum posuisti, quem non transgredientur.* Psal. 103. Solus homo inobediens factori suo, metam suam transeat? declinet tam enormiter à centro? eja agnoscens tandem errorem tuum, revertere, & dic cum Josepho, à Patre suo vocato Genes. 37. *presto sum*, ad serviendum tibi soli, *tantùm adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me DEUS salutaris meus.* Psal. 26. *Da, quod jubes, & jube quod vis.* S. August.

Doctri-

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 2. Geneſ. in quo deſcribitur Paradiſus voluptatis & Evæ formatio.

Conſidera, ANimam hominis piè viventis alterum eſſe Paradiſum voluptatis, in quo frequens memoria Paſſionis Sanctæque Crucis vices agit *arboris vitæ.* Dictamen autem conſcientiæ, præſcribens: quid boni agendum, malivè vitandum, ſe habet in eo inſtar arboris *ſcientiæ boni & mali.* *Fons irrigans* hunc Paradiſum *divina* eſt *gratia.* *Quatuor flumina* ſunt quatuor virtutes cardinales. *Adamus dormiens* eſt tuta & criminis expers conſcientia, ex qua inſtar Evæ educuntur ſpirituales conſolationes, tam bonæ animæ jugî vinculô ſociandæ. Hæc exactiùs perpendens Chriſtiane, in illud totus incumbas, ut & anima quoque tua, à peccatis & inordinatis paſſionibus purgata, in talem Paradiſum voluptatis convertatur, quem ſecundus Adam Chriſtus Dominus perpetuò inhabitet. *N.3.*

Perpende adhæc feliciſſimum hominis in terreſtri Paradiſo olim exiſtentis, vitæ ſtatum, vî cujus ſinè ulla corporis & animæ miſeria longiſſimos vitæ duxiſſet dies, aliquando transferendus in Cœlum empyreum. Ibidem planè quidquid oculis delectabile, quidquid amænum auribus, aut guſtui ſuave recreandis ſerviebat ſenſibus, penſa e contrario miſerrimam hujus vitæ conditionem, quæ poſt lapſum Adami nos omnes afficit; & è Paradiſo cum protoparente excluſus, te ipſum interroga: *Adam ubi es?* nónne in valle lacrymarum? in ſentina mille malorum? ubi inter continuos labores & dolores vivitur: ubi anima ceu inquietum mare ab innumeris paſſionibus æſtuat: ubi nullum ſinè mœrore gaudium, ſinè invidia bonum, ſinè bello nulla tranquillitas, ſinè morte vita. Qui eras gemma, divini Conditoris manu pulcherrimè elaborata, nunc jaces in luto & putredine deterrimè fœdata. Qui habebas univerſam rerum naturam tuis pedibus ſubjectam, eò abjectionis devolutus es, ut ſumma tui cum vilitate infimis mundi creaturis ſervias. Voluntariâ ignorantiâ obfuſcatus DEI monita calcas pedibus. Omnî ſtudiô ſenſuum venaris voluptates; gaudia Spiritûs intollerabili cum contemptu repudias: amoribus creaturarum ardens DEUM faſtidis creatorem: fugiens veritatis lucem, poſt umbras curris, cupiens hîc perpetuò vivere, de ſempiterna vita vix ſemel cogitas. Ah! noli vultum illum reſpicere auguſtum, quem à DEO accepiſti, noli reſpicere magnifica *N.4.*

corporis lineamenta, hæc enim omnia nil aliud modô sunt, quàm corruptionis ludibria, morborum pabula, mortis tributa.

Vide: quàm sis inordinatus in spiritu, in sensibus cæcus, bestialis in affectibus, in cognitionibus vanus, temerarius in judiciis. Vide: quàm ingratus sis ad beneficia, ad pia monita surdus, refractarius ad flagella, perfidus in promissis, instabilis in propositis, velox ad culpas, tardus ad virtutes, durus ad gratiam, immobilis ad minas. O quàm sapientî calamô te Sapientûm Princeps Aristoteles depinxit, apud Stobæum Serm. 96. differens: hominem esse *imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludum, mutationis imaginem, invidiæ & calamitatis trutinam, pituitam & bilem.* Quin imò PhiloniPhilosopho, teste Clemente Alexandrinô, adeò visus es calamitosus, ut nullô nomine te duxerit dignum quàm *puræ calamitatis: quivis homo nihil aliud est, quàm pura calamitas.* Dic ergo vitæ adeò calamitosæ pertæsus cum Paulo: *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & vive taliter, ut cùm terrestri Paradiso expulsus in hanc miseriarum vallem devolutus sis, saltem assequaris Paradisum cælestem, quem Christus Dominus suâ passione & cruce reseravit.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. Genes. in quo describitur serpentis dolosi suggestio, Protoparentum nostrorum lapsus & pœna.

N. 5. *Considera* 1. PHantasiam, immortificati, sensusque suos malè custodientis Christiani esse alteram Evam, à Dæmone deceptam & turpissimè victam: adeò quidem, ut ad pomi à Deo vetiti esum, videlicèt ad rerum à Deo prohibitarum usum intellectum & voluntatem hominis alliciat sæpeque ita superet: ut spretô Dei imperiô fruatur creaturis in summum creatoris contemptum, inde sentiens celerem offensi Numinis vindictam, vî cujus exuatur vitâ gratiæ, excludatur è Paradiso cælestis Patriæ, & exiliô æternæ damnationis puniatur. O quàm igitur mortificatum te esse oportet Christiane! ut non etiam à Dæmone tentante deceptus vincaris, parem subiturus pœnam. *Castiga corpus tuum*, hortatur S. August. in 1. Corinth. cap. 9. *& Diabolum vinces.* Castiga oculos, ne curiosè sese effundant in objecta quævis obvia: sunt enim portæ per quas ingreditur hostis ad deprædandam animam, illud deplorante Jeremiâ Thren. 3. *Oculus*

lus meus deprædatus eſt animam meam. Sunt feneſtræ, per quas aſcendunt fures ad rapiendum & mactandum. Hi ſpoliârunt Protoparentes noſtros divinâ gratiâ, Dinam Virginitate, uxorem Loth vitâ. Caſtiga aures tuas, ne verba audiant impura, detractoria &c. *Qui fabulis obſcœnisque carminibus vel detractionibus aurem libenter aperit, hanc animæ ſuæ portam mortis efficit* Venerab. Beda in Lucæ cap. 7. Quid aliud prava locutio, quàm ſemen diaboli, quod vix ingeſtum animæ multiplices peccatorum fructus parturit. Quid impuri ſermones auribûs excepti, niſi ſordidi limaces, qui viſcoſa & lubrica poſt ſe relinquunt veſtigia? quid vana colloquia per aures in cor transmiſſa, niſi clavus, quô anima chriſtiani à memoria cæleſtium rerum abducta, rebus terrenis penitùs affigitur? caſtiga guttur tuum, ne fiat gulæ mancipium, ſat gnarus, gulam Paradiſum clauſiſſe, vendidiſſe primogenita, ſuſpendiſſe piſtorem, decollâſſe Baptiſtam, evertiſſe ſub Nabuzardan principe Jeroſolymam, Balthaſarum inter epulas necâſſe; ut alia taceam crudelitatis trophæa, quæ hæc non ſat mortificata paſſio olim erexit erigitque etiamnum hodie. Senſum tactûs ante cæteros omnes caſtiga, utpote iis omnibûs periculoſiſſimum: hic enim cum objectis illicitis proximè conjunctus totô corpore diffunditur: omnibus membris communis, quaſi omnium malitiam in ſe recipit. Audi Baſilium de eo diſſerentem: *Tactus eſt omnium ſenſuum pernicioſiſſimus & ſæpiſſimè blandiens; ſenſusque reliquos ad voluptatis illecebras pelliciens, totô corpore diffuſus, & per omnem ejus ſuperficiem adverſus animam ſæpe dominatur.*

Conſidera 2. Quòd licèt callidiſſimus ille ſerpens, Protoparentum noſtrorum ſeductor, jam glorioſè victus ſit à Chriſto Domino: attamen noſtrâ culpâ vires acquirat copiamque ad nos tentandos. Cumque ſciat, nos longâ & quotidianâ experientiâ doctos non ampliùs dubitare de futura morte corporis; hinc verba illa, quibûs incautos protoparentes noſtros decepit, nonnihil immutata, adeò callidè proponit, ut dicat nobis: *non moriemini ſaltem hoc annô, hoc menſe, hoc die, &c.* Sed ob corporis robuſti ſanitatem, ob ætatis vigorem, ob Dei infinitam Miſericordiam, *nolentis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat*, adhuc aderit ſufficiens occaſio ad pœnitendum. Et proh dolor! tam facilè contingit, nos tot hominum inſperatâ morte decedentium exemplis non ſat deterritos, aſſenſum præbere blando tentatori, & quandoque alios parî doctrinâ ſeducere. *Hæc eſt cæcitas humana*, ait Bellarminus in Pſal. 48. *ut cùm quotidiè videamus mo-* *N.6.*

rientes homines nobis etiam meliores & juniores : tamen vix adduci possimus, ut cogitemus, nos etiam morituros. Meritò providum dixerim Davidem, quòd *cinere*, mortis videlicet quotidianâ memoriâ, haud aliter quàm pane pasceretur : *Cinerem tanquam panem manducabam.* Quandò re alicui frequenter utimur, proverbialiter de ea loquimur : re talî haud aliter, quàm pane indigeo : ita quoque David mortis, sibi omnî horâ imminentis memoriam, veluti quotidiani panis usum necessariam sibi duxerat. Sed quid de Davide dicam ? ipsi Barbari & Idololatræ exemplô suô nobis christianis confusioni sunt, quos inter non pauci reperire fuit, qui mortem sibi quotidiè habuerant suspectam : nam *Elianô teste lib.* 8. Philippus Rex Macedonum negotium dedit puero, ut quotidiè è lecto surgenti diceret : *Rex ! homo es, vive memor lethi*, & Ptolomæus Ægyptius semper calvariam penes se vel in mediis etiam epulis habuit, ne mortis illi ullô tempore excideret memoria : quin & Ministrum sibi identidem occinere voluit : *Rex inspice, talis eris.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 4. Genes. in quo describitur Abelis innocentis mors, Caini fratricidæ pœna.

N.7. *Considera* 1. QUam infelix fuerit conjugium Protoparentum nostrorum, dum pro primo generationis fructu habuit filium, qui stimulante invidiâ eò crudelitatis devenit, ut innoxiô fratris piissimi sanguine manus suas fœdaverit. Sed forsan æquè infelix datur conjugium inter corpus & animam tuam, quod ordinatum est ad generandas variarum virtutum masculas proles, videlicèt ad generandam patientiam in adversis, humilitatem in prosperis, pietatem & devotionem in templis, mansuetudinem in conversatione humana &c. Verùm ejusmodi intentos fructus vel non producit, vel productos patitur à vana gloria suffocari : nam *quasi latrunculus* teste S. Greg. Mag. lib. 22. Moral. *est appetitus laudis humanæ, qui rectô itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis eductô gladiô gradientium vita trucidetur.* Planè sicut columbæ, celerî pennâ in altum elatæ, dum de volatu quasi sibi applaudunt, subitò rapiuntur ab accipitre, & unguibûs laceratæ intereunt, ita evenit hominibus, qui de prognatis virtutum actibus sibi applausum faciunt ; vix enim nati pereunt ejusmodi

di actus, vanâ gloriâ accipitrem agente. Noverat hoc providus David, & hinc pſalmô 138. exclamat: *& ſubſtantia mea in inferioribus terræ*, quaſi diceret: quidquid bonorum operum, quidquid ſolidæ virtutis produco, oculis hominum ſubduco, ne dum in apertum prodeant, vanæ gloriæ laudiſque ſubſint, à qua valorem roburque ſuum perdant. Si incolæ Galatiæ Davidem eſſent imitati, non eveniſſet eis tam grande infortunium, quod vix non ſanguineîs deplorat lacrymîs Paulus Apoſtolus dicens: *O inſenſati Galatæ! quis vos faſcinavit, non obedire veritati?* quæ verba expendens Doctor angelicus aſſerit; ea alludere ad id, quod formoſis & elegantibus puerulis, extra domos abductis ſæpiùs evenit, ut nimirùm obviam facti oculis vetulæ, quaſi venenô inficiantur, & inde infirmati evomant cibos. Hinc Paulus ſuis quoque Galatis, à ſe nuper ſpiritualiter progenitis, non diſpar damnum eveniſſe lamentatur; dum enim vanæ laudis avidi, virtutes ſuas hominum oculis objecerint, eas penitùs perdiderint, & in antiquos errores & vitia prolapſi, quidquid veræ Fidei, quidquid ſolidæ virtutis nutriverint in corde, unô impetu ejecerint. *Inanis gloria*, ait S. Baſilius Conſt. Monaſt. cap. 10. *Eſt dulcis Spiritualium operum exſpoliatrix, jucundus animarum hoſtis, blandiſſima bonorum noſtrorum depræda-trix; eademque mellis illitu, fraudis ſuæ collatrix, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectrix.* O quis tam ſtolidus, tam cæcus ſit, ut hoc venenô ſeſe ingurgitet?

Conſidera 2. Chriſtiane, quàm parum impunita maneant crimina; etſi enim Deus, per ſuam miſericordiam adactus illa non vindicaret; creaturæ tamen etiam inſenſibiles & irrationales vices ultoris agerent, dum terra innocentî Abelis ſanguine madefacta, tam barbarum, tam immane facinus, à fratre in fratrem perpetratum teſte S. Scripturâ hujus cap. V. 10. non potuit inultum perpeti. Time ergo celerem vindictam, etiamſi inter occultiſſimas latebras ad aliquod crimen committendum tenteris: ipſi enim lapides & ligna clamabunt adverſùs te vindictam. Semper tibi cum Jeremia imagineris cap. 1. *videre te virgam vigilantem*, quæ, ſi in delictum conſenſeris, te ociùs percuſſura ſit. Dic cum Suſanna Danielis 3. *Si hoc egero, mors mihi eſt.* *N. 8.*

Cogita cum Davide Pſal. 7. *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis.*

FASCI-

FASCICULUS II.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 5. Genes. in quo describitur Genealogia, ætas, & mors Adami atque Posterorum ejus, Pietas Enoch, ejusque translatio in Paradisum.

N.9. *Considera* 1. QUòd etsi Protoparens Adam & posteri ejus ad aliquot sæcula mortem fugerint, non minùs tamen eam effugerint, quàm infans aliquis, primâ die vitæ suæ mortuus: in hoc enim incertarum rerum omnium theatro certiùs nihil, quàm moriendum esse illis omnibus, quibus contigit nasci, nihilque reperiri humanum, quod non sit humandum. Stolidissimi igitur sumus, si inordinatô vitæ longævæ desiderio tenemur; dum constat, nos diutiùs vivendô mortem eludere nequaquam posse, sed tantùm augere sarcinam peccatorum, quorum strictissimam rationem Judici Deo simus, reddituri. Nónne satius fuisset, mori nos infantes aut juvenes, dum majori ætate non majores in virtute, sed in assumpto peccandi habitu effecti sumus. O quomodo in sera senectute, quam assequi cupimus, cùm ad extrema vitæ ventum fuerit, nos torquebunt tot dies sinè fructu perditi, tot occasiones benè merendi neglectæ, tot peccata nunquam satis per pœnitentiam expiata! tunc dicemus cum Sapiente c. 5. *transierunt omnia.* Transierunt ea, propter quæ exhausimus vires corporis & animi, propter quæ tot subivimus pericula, tot devoravimus tædia, tot pertulimus incommoda, tot exantlavimus labores. Transierunt omnia & singula cum tanto dispendio, in ictu oculi, in momento & puncto temporis, & solùm superest corpori sepulchrum, animæ verò æternitas, & hæc qualis? felix an infelix? optimè ad propositum nostrum canit vates regius Psal. 101. *Dies mei sicut umbra declinaverunt* Umbram prætervolantem vocat dies, non virtuosè impensos; ùt enim umbra prætervolat, absque fructu; cùm econtra sol lucens cum ingenti rerum omnium, quas excoquit, fructu prætervolat, ita proh dolor!

tot

tot menſes, hebdomadas & dies cernemus aliquando ſine ullo meritorum fructu nos transegiſſe, de quibus ſuperſit nihil, niſi triſtis memoria, tam malè perditi temporis, & reddendæ rationis ſtrictiſſimo Judici. Exclamabimus ergo inter mille anguſtias cum S. Laurentio Juſtin. lib. de incend. amoris divin. c. 6. *O Domine Deus! vitæ meæ quot tempora effluxerunt, in quibus ſine fructu vixi! coram te, quomodo ſubſiſtam? quomodo ad te potero levare faciem meam in illo magno & terribili examine quando enumerare juſſeris omnes dies meos, quærens fructum in eis?*

Conſidera 2. Quàm felix ſit illorum hominum, ex hac mortali *N.* 10. vita tranſitus, qui juſtum Enoch imitati, per continuam divinæ præſentiæ memoriam coram Deo ambulant, à mundano conſortio, ſi non corpore, ſaltem animô abſtracti: hos vocat Gentium doctor *quaſi morientes*; illorum enim mors non veræ mortis, ſed dulcis ſomni & quietis nomen & omen habet, prout de piiſſima ſorore ſua, animam jamjam agente refert S. Greg. Nazianz. quòd gaudiô & jubilô plena exclamârit: *in pace in idipſum dormiam, & requieſcam*, Pſal. 4. & S. Hiernom. in Epitaphio Nepot. teſtatur: *lætus erat Vultus* Nepotiani, *& univerſis circa ſe plorantibûs ipſe ridebat: intelligeres eum non emori, ſed emigrare, mutare amicos non relinquere*, & nónne ipſa Eccleſia mortem Juſtorum Natalem eorum vocat, quia protinùs Paradiſo naſcuntur, cùm moriantur Mundo; atque hinc etiam hortatur Sapiens Eccleſ. 1. v. 10. *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit.* Quieſcit herîle ab immenſis vitæ laboribus, eximitur à tentationibus, liberatur à pugnis, abſtrahitur à peccandi occaſionibus, à ſenſuum inſidiis, à corporis doloribus, ab animæ paſſionibus, à malorum exemplis, à periculis æterni interitûs. Si vita Juſtorum eſt miſerabilis ille carcer, qui animam, æternas delicias ſitientem, à fonte divino retinet: mors carceris hujus vincula diſſolvit, portas aperit, & liberum parat abitum. Si vita Juſtorum eſt peregrinatio quædam, in qua ambulare oportet vias, mille latronibus obſitas: mors eſt hujus viæ terminus, ut ait Petrus Bleſſenſis vocans mortem Juſtorum *peregrinationis terminum, finem miſeriarum, laborum metam.* Si vita Juſtorum demum eſt lacrymabile exilium, in quo degunt à Patria & amicis chariſſimis remoti, mors eſt exilii hujus eôdem teſte *limes, janua Patriæ, nativitas Vitæ, principium Beatitudinis, primitia Præmiorum.* Quare ò Chriſtiana anima! ſi vitam longiorem cupis vivere, ita vivas, ut à vanitatibus hujus Mundi per vitam virtuo-

sam & rerum cœlestium contemplativam cum justo Enoch abstractus esse videaris.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 6. lib. Geneseos, in quo describitur fœdissima hominum, Veneri Servientium malitia.

N.11. *Considera* 1. QUòd homines, qui ob insignem Virtutem & Pietatem *Filiorum Dei* nomen fuerant assecuti, & quibus ad vitia trahendis totus Orcus non suffecerat, incautô mulierum aspectu eô libidinis æstu exarserint: ut ex filiis Dei in filios hominum; imò in brutalium Voluptatum mancipia degenerarint, rati licere, quod lubeat. Vide ergo ô Christiane! quàm temerè tu fidas oculis tuis, dum per tot comptas mulierum facies, aut alia ad Venerem allicientia objecta vagaris? *quàm pura est pupilla oculi, tam pura est Christiani hominis vita*, Salvianô teste lib. 3. de gubernat. Dei; non alloquiô æstuavêre Senes illi *Danielis* 13. Sed merô aspectu, qui tamen Judices erant, leges volvebant, stipabantur lictoribus, pœnas peccantibus infligebant: Sed tantum terroris apparatum decepti oculi deriserunt. Vide ergo, ne curiosè videas: nam si ita videris, nec muneris tui officiique amplitudo, nec matronæ pudor, nec flagitii dedecus, nec ætatis veneranda canities, nec securis ipsa, tuo capiti impendens, poterunt te à scelere absterrere. Quod magnes est ferrô, hoc est objectum Veneris oculo. *Utinam Samson paulò maturiùs caligâsset*, ait Oliva lib. 1. stromat. *nec pudore caruisset, nec libertate. Sed cæcitate Sanctior fortiorque, quando Lilium reparare non poterat, rosas saltem suo inserit sepulchro, hostium sanguine purpuratas.* Diogenes advertens: Olympionicem quendam fixis oculis scortum formosissimum intueri: Ecce! inquit, ut aries Martius à puella publica obtortô collô vinctus abducitur. *Laert. lib. 6.* miraberis forsan Christiane Lector: quòd Propheta regius peccati pœnitens, in solos oculos animadvertat, exclamans Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt Legem tuam.* Quasi verò nullâ aliâ corporis sui parte peccârit adulter iste? at mirari desine, dum audis solos oculos primam adulterio dedisse causam: unicum videre, jam concupiscere fuit mulierem visam. Luant ergò soli oculi, tanquam primi turpitudinis suggestores, impuri amoris favillæ, flagi-

flagitii incitamenta. Æterna Patris Sapientia Chriſtus Dominus totô vitæ ſuæ decurſu quatuor dumtaxat vicibûs oculos ſublevâſſe dicitur. Primò in Monte, ubi tam celebrî Sermone, de octo Beatitudinibus habitô, ſuos recreavit diſcipulos. Secundò, quando Lazarum è ſepulchro juſſit vivum reſurgere. Tertiò in Cœna, quando corpus ſuum in eſcam dedit, ſumendum à diſcipulis ; quartò demum, quando hominum, ſe ſequentium multitudinem pane in deſerto pavit. Deus bone ! oculis impeccabilibus tantum injicitur frænum, ut intra tot annorum ſpatium illis quatuor tantùm vicibûs fiat copia, ſurſum ſeſe erigendi ; quam rationem reddes huic tremendo Judici, quando ante oculos ejus aliquando poſitus, de centenis oculorum tuorum curioſitatibus, unâ quandoque die commiſſis, examinaberis ?

Conſidera 2. Quòd ſicut Deus ad delendam omnem carnem parârit vindices aquas, ita quilibet homo ad extinguendas concupiſcentias propriæ carnis uti debeat aquîs, per quas moraliter abſtinentia quotidiani victûs denotatur : ſine Bacho enim & Cerere citò friget Venus. Peſſimè igitur agis Chriſtiane, ſi nimiùm cibi & potûs tuo corpori infundas, propriâ doctus experientiâ, veriſſimum eſſe effatum S. Ambroſ. lib. de pœnit. cap. 2. dicentis : *Libido paſcitur conviviîs, nutritur deliciîs, ebrietate inflammatur.* Non tam inordinatè currus à furentibus equîs excuſſô aurigâ abripitur, neque navis amiſſô gubernaculô à ſævis procellarum incurſibus tam miſerè diſſipatur, quàm ebriorum animi à victûs intemperantia divexantur. *N.* 12.

Doctrina 3.

Deſumpta ex cap. 7. Lib. Geneſ. in quo deſcribitur animalium in Arcam introitus, diluvii incrementum ejusdemque effectus.

Conſidera 1. Quòd ab eo momento, quô Protoparentes noſtri comedendô vetitum pomum, transgreſſi fuêre divinum Præceptum, corpus & animam hominis ceu Arcam ingreſſæ ſint variæ beſtiæ, carnales videlicet & brutales paſſiones & appetitus, *Luxuriæ, gulæ, iracundiæ, invidiæ &c.* quas beſtias proh dolor ! quilibet totâ vitâ non expellet. Ut tamen inſtar juſti Noë ab illis ſecurus ſit, nullum ſpirituale damnum paſſurus : hinc oportet, eas per auſteram mortifi- *N.* 13.

tificationem sensuum, suis velut caveis semper inclusas tenere: *qui enim* teste S. Ambrosiô lib. 3. de Virginit. *dominari nescit suis cupiditatibus, quasi equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Sciebat hoc S. Macarius Alexand. qui, ut refert Palladius totô Septenniô nil præter cruda olera vel humectata legumina ciborum locô sumpsit, totîs viginti diebûs tectum non ingressus, etsi æstu arderet, aut algore rigeret: ad se mortificandum solitus, duorum modiorum sportam arenâ plenam portare per desertum. Sciebat hoc S. Domna, quæ, ut scribit *Surius in Decembri*, ex lectione epistolarum S. Pauli ad Christianam fidem conversa, tantô ardore mortificandi corporis accensa est: ut vestibûs & thesaurîs omnibûs in pauperes erogatîs, solùm aridô pane deinceps viveret, semel in die comedens, storeâ lecti locô usa. Sciebant hoc innumeri utriusque sexûs fideles: atque hinc ad diversa mortificationis arma confugerant, quibûs passiones suas retinerent in officio. Quin & Ethnici, rationi debitum ut conservarent Dominium, strictissimæ mortificationi studuêre: Diogenes enim herbîs & crudîs carnibûs vescebatur, indutus abjectam vestem, habensque dolium locô domûs. Nil refero de Catonibus, quorum major nunquam pro cibo habuit cibos coctos, nunquam rhedâ vectus est, etsi prætoriô fungeretur officiô. Minor verò etiam sine calceis exivit domô, & aliis equitantibûs pedes agebat iter, cælo perfrigido nudum exponens caput. Horum exempla si potiûs admiranda, quàm imitanda tibi credis, utique id saltem poteris, ut de superfluo potu quandoque tibi subtrahas, de nimia loquacitate removeas linguam, gulæ delicatiores deneges cibos, oculos à curiosis aspectibus coerceas, manus à palpandis mollioribus rebus retineas, appetitui illecebrosum subtrahas objectum, aut ipsummet appetitum avellendô, aut contrariis compellendô, passiones inordinatæ ne exsurgant, prævenias, aut jam exortas in aliam partem flectas, ne rationem turbent, virtuti obsistant, & in vitia te præcipitent.

N. 14. *Considera* 2. Quòd licèt bestiæ, Arcam ingressæ, fuerint diversi, & quædam inter se summè contrarii humoris: nulla tamen ex illis alteri quidquam mali aut incommodi intulerit. Hæc verò concordia discordantium bestiarum videtur inter alias causas nata esse ex timore Dei, tam severè extra Arcam omnia punientis, ipsisque bestiis in Arca existentibus indito. Concludes inde: fortius frænum pro retinendis bestiis tuarum Passionum & appetituum, atque obtinendâ animi

animi tranquillitate inveniri non poſſe timore Dei. *Anchora cordis eſt pondus timoris* ait. S. Greg. Moral. lib. 6. c. 17. *& plerumque fluctu cogitationum quatitur, ſed per diſciplinæ ſuæ vincula retinetur.* & S. Bernardus Serm. 44. ſuper cant. aſſêrit : *In veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam & conſervandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inveniar non altum ſapere, ſed timêre.* Unde, proh dolor! tot veræ fidei deſertores, tot ſectatores vitiorum, tot innocentium ſeductores effecti, niſi ex ſolius timoris divini abſentia ? hôc enim vel parum à mente abjectô, jam languere in divinis ardor, externi ſenſus laxiùs per quævis objecta vagari, occaſiones peccandi contemni, quin & quæri cœperunt. Quid pluris, te ipſum in teſtem voca Chriſtiane Lector. Planè ſi in te reperis vagos ſenſus, cogitationes diſperſas, imaginationes lubricas, affectiones inſolentes & indomitas, turbatam rationem, inquietum animum, incompoſitos mores, & de his omnibus ſeriam rationem exigas? nónne comperiſſe, inde veniſſe, quod tantiſper abfuerit fidelis cuſtodia, timor Domini ? *qui non vivit in timore*, ait S. Chryſoſt. Hom. 15. ad popul. *rectè illum agere non eſt facile, ſicut viciſſim cum timore agentem impoſſibile eſt, peccare.*

Doctrina 4.

Deſumpta ex cap. 8. lib. Geneſis, in quo deſcribitur Diluvii imminutio, corvi & columbæ ad explorandum emiſſio.

Conſidera. BOna opera, quæ Chriſtianus homo in ſtatu Gratiæ conſtitutus peragit, inſtar Noë conſervari, atque retineri in memoria Dei : adeò, ut quamvis talis homo in diluvium peccati mortalis per humanam fragilitatem labatur ; ea tamen opera, olim à Deo gratihabita, adhuc integra remaneant, mortificata quidem eô uſque, donec columba gemens per ſinceram & doloroſam peccati confeſſionem emiſſa, redeat cum oliva gratiæ, atque opera illa, ad tempus aliquot incluſa & mortificata exire jubeat, ad cultum Deo præſtandum: Sicut enim cervi priſtinas revocant vires, ſi aquis immergere ſe valeant, ita lapſi in via iniquitatis per lacrymas pœnitentiæ antiqua repetunt merita, & ad nova ſeſe diſponunt. Hinc meritò exclamat S. Chryſoſt. Serm. de Pœnit. *O Pœnitentia ! Miſericordiæ Mater & Magiſtra virtutum, magna opera tua, quibûs reos reſolvis, ac re-* *N. 15.*

ficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos &c. Abbas Elias octoginta annorum senex : cum plurimos eorum maximæ impendisset Sanctitati, tandem rogatus à quadam muliere, ut sibi sitienti potum aquæ frigidæ præberet, ejus aspectu tam turpî ardore incensus est, ut relictâ cellâ Celoque abeuntem quæreret mulierem, carnale comercium cum ea habiturus : Sed celerî passu ad exitium properanti adfuit angelus, qui eum ad fossam ossibûs mortuorum repletam deducens, ait : *Va generi humano, quod talia amat, & propter ea Deum deserit.* Quibûs auditîs deliquium passus, corruit, paulò pòst ab Angelo confortatus cellam repetiît, fœdumque propositum ridigissimâ expians pœnitentiâ, non tantùm priora revocavit merita, sed nova obtinuit, longè sanctior factus, quàm fuerat ante. Planè sicut equus generosior, qui in via cespitavit, ociùs assurgens, dispendium celeritate compensat, ita, qui peccandô lapsus, per pœnitentiam se erigit, fervore suô præcedentem compensat culpam, alacrior currens viam mandatorum Dei. Petrus antequam plangeret, cecidit: post planctum in universalis Ecclesiæ Pastorem assumitur, factus inde, omnibus regendis sufficiens, qui anteà se regendo par non erat; haud secus de Maria Magdalena asserit Joannes Chrysost. eam non solùm pœnitentiæ lacrymîs adeundem se reduxisse statum, in quo ante peccatum vixerat, sed quasi immensîs meritîs eum transcendisse, ipsas Virgines castitate & puritate superantem. Verba ipsius sunt Homil. 8. in Matth. *Illa in Evangelio meretrix, incredibilî in Christum amore succensa, & à maximis sordibus peccatorum largissimô lacrymarum fonte purgata, Virgines, quoque ipsas honestate superabat &c.*

N.16. *Considera* 2. Per corvum ex Arca emissum, & non redeuntem, priusquam aquæ siccatæ forent, intelligi posse eos homines, qui Deô vocante Arcam strictioris vitæ ingressi quidem sunt, ut hujus mundi Diluvium, ad æternos ignes sibi immensos homines trahens, tuti pertransirent: at cùm vix curiositate ducti se non nihil incautiùs effuderunt super res terrenas, ab iisdem attracti retinentur, & retardantur à reditu ad talem Arcam : suis passionibus imposterùm magìs, quàm Deo & Saluti animæ inservituri. Hoc clarissimè perspectum habens Vates regius hortatur : *averte oculos tuos, ne videant Vanitatem.* Psal. 118. Æstimat enim, fieri non posse, ut quis non captivetur ab illicitis Mundi deliciis, qui oculos vel à longè tantùm ad ea converterit; atque hinc Deus non fugere tantummodò Mundum, sed penitùs

nitûs ejusdem nos obliviſci vult : *Obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui.* Pſal. 44. Ne videlicet ſola temporalium rerum recordatio ſequiorî quôdam affectu animum imbueret, & ulteriorî talium cogitatu à cœleſtibus abſtraheret. Claudere oculos non magnæ difficultatis opus: at apertîs oculîs,& ad videndum benè diſpoſitîs non videre, & à viſis objectis non moveri, non percelli, non abripi, vix non impoſſibile eſt. Hac de cauſa Samuelem electi Populi aliquando futurum Judicem, à paternis avulſum laribus, ſacra inter Templi Solymæi clauſtra quaſi in ſolitudine, mente à mundanis rebus penitùs abſtractâ, voluit etiamnum juvenem educari Deus. Illum pariter, quô inter natos mulierum non ſurrexit major, mundo velut extorrem, in deſerti antris nutriri voluit, ne ullus voluptati ad hunc ſibi dicatum puerum pateret acceſſus: quin imò Sanctiſſimam Matrem ſuam, trium annorum tunc temporis puellulam, in Templo voluit collocari, ut ſic in arctiſſimo propugnaculo cuſtodita, nec minimam Mundo ſui copiam faceret.

FASCICULUS III.

Doctrinarum Moralium & Aſceticarum.

Doctrina I.

Deſumpta ex cap. 9. lib. Geneſ. in quo deſcribitur Noëmi exitus ex Arca & Sacrificium, Dei Benedictio, ebrietas Noë &c. Omittitur 10. Caput, quia meris conſtat Nominibus propriis.

Conſidera 1. QUàm largam benedictionem Deus impertiatur illis hominibus, qui per religioſæ vitæ Sacrificia ſele cum Noë divinis conſecrant Servitiis : creſcunt illi copioſâ virtutum prole, & Virga timoris Dei dominantur in omnia animalia ſenſualium appetituum. *Videmur*, ait Origenes Homil. 8. in Geneſ. *quidem Deo negotiari, ſed nobis cedunt negotiationis lucra. Videmur Deo offerre hoſtias, ſed nobis quæ offerimus, redonantur : Deus enim nullius* *N.17.*

lius indiget, ſed nos eſſe vult divites &c. gerit herîle ſe inſtar terræ perquàm frugiferæ, quæ impenſum ſibi laborem & injecta ſemina centuplicî fructu refundit. Cur ergo ô Chriſtiane! tam magnam operum tuorum partem non Deo, ſed Mundi Vanitatibus Sacrificas? certus, quod per hoc in omni virtutum & meritorum genitura ſis ſemper ſterilis futurus, æternamque maledictionem benedictionis divinæ locô in caput tuum provocaturus? *Quantò magìs mundum accedis, tantò longiùs à Deo recedis. Quantò magìs es foris Sapiens, tantò magìs ſtultus intus efficeris. Quantò magìs extra lucra quæris, tantò magìs intus perdis*, ait Bernard. Serm. de miſer. hum. Utinam Iſaiæ Prophetæ monitis vel ſemel de die aurem præberes Chriſtiane! qui jubet: oculos aperias, ut videant, omnem laborem tuum, quem rebus terrenis impendis, nil niſi merum pulverem colligere. Pulvis eſt fama nominis tui, pulvis theſaurorum tuorum Subſtantia, pulvis obtentæ Dignitates. *Expergiſcimini, qui habitatis in pulvere.* Ecquid ſomno vanius reperiri poteſt, & tamen Somnia vocat Regius Vates omnia, quæ tantô ſtudiô in rebus terrenis quæris: *Dormierunt Somnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Pſal. 75. O quàm ridenda felicitas illa eſt, quæ in ſolius Phantaſiæ ludibriis repoſita conſiſtit, quibûs perditîs & ipſa perditur? quales theſauri illi, qui non reperiuntur niſi clausîs oculîs, & apertîs illîs evaneſcunt? excute ergo hunc ſomnum, tot ab annis à Mundo decepta anima, & ad laborem nata, labora pro theſauris in Cœlo reponendis, ubi eos nec erugo nec tinea demolitur. Si pati oportet, patiaris pro Dei gloria, pro æterna Salute, pro Religionis tuæ Veritate, ut coronam ab illo accipias, apud quem nullus etiam pro minimo opere debitam perdit mercedem.

N. 18. *Conſidera* 2. Quanta damna immineant homini à vino immoderatiùs hauſto, dum primus Vinearum Inventor Noë riſui & cachinnis proprii filii teſte Scripturâ hujus capitis v. 23. illius cauſâ expoſitus eſt. S. Chryſoſtomus effectus ex ebrietate naſci ſolitos perpendens Homil. 27. in Acta Apoſtol. ait: *Quid ebrio turpius? ridiculus eſt famulis, ridiculus eſt hoſtibus, miſerabilis apud amicos, omnium deteſtatione dignus, beſtia eſt magìs quàm homo.* Quanta ignominia fuit Regi Nabuchodonoſor, bovis inſtar in ſylvis diſcurrere, mugire, & fœnum comedere? & hoc, quod ipſi immanis pœna fuit, homo ingenuus ultrò aſſumat per immoderatum vini uſum? Indus quidam *Biſciolâ teſte lib.* 10. *c.* 13. Vino apprimè deditus, cùm pœnitentiæ beneficiô ad frugem rediiſ-

rediiſſet, faſſus eſt: vidiſſe ſe in quiete Juvenem candidum, qui eum prehenſâ manu ad compotatorum cœtum duxerit, juſſum intueri eorum vultus, quos primô poculô immutari, & quò plus hauſiſſent, eò deteriores fieri, tandemque in dæmones turpiſſimâ metamorphoſi tranſire conſpexerit. Eant ebrii ad ſpeculum, intueantur ſe, quid aliud quàm belluarum ſpecies in ſe ipſis notabunt? hinc fertur: Platonem, ſuos diſcipulos admonere ſolitum eſſe, ut ſe ebrios ſpeculo objicerent: fore enim, ut viſâ ſui imagine tam deforme vitium caveant. Non diſpari de cauſa Lacedæmones filiis temulentos proponebant ſervos, ut eorum fœdô ſpectaculô correcti, à vinolentia abhorrerent. Diſce ergo frænare appetitum, quem geris erga hunc liquorem.

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 11. lib. Geneſis, in quo deſcribitur ſtructura turris babylonica, confuſio ædificantium.

Conſidera: QUid tandem machinentur homines, ambitioni & vanæ gloriæ dediti? quomodo integris diebûs & noctibûs deſudent, ædificium honoris & magni nominis ſibi erecturi. At verò ut illud vix erigere cœperint, experiri cogantur, quod ſuperbis Babylonicæ turris ædilibus obtigit: à morte enim, aut ſubitaneo caſu ſiniſtræ ſortis præventi, opus tantô labore erigi cœptum, aut jam erectum relinquere debeant, expulſi in regionem damnationis æternæ, aut ſaltem miſeriæ temporalis. *Perditæ vitæ homines* ait Petrus Bleſſenſ. ad Sac. Aul. *ſe laboribus torquent, curîs cruciant, expenſis eviſcerant. Nonne figuram aranearum gerunt, quæ de ſuis viſceribus telam texit, ut muſcam capiant viliſſimam? quid eſt inanis gloria, quam venantur, niſi muſca viliſſima?* Rufinus cum Arcadiô Imperatore Regnum adminiſtrans: cùm teſte Nicephorô lib. 13. c. 1. Hâc gloriâ non contentus, omnem moveret lapidem, ut ſolus imperaret, caput perdidit, antequam ei Diadema imponeret: priusque abſciſſâ dexterâ per Urbem circa opificum domos ambulare juſſus, ambitionem ſuam pudendô elogiô fateri debuit. Abſolom ſtimulante faſtu contra proprium Patrem aſſurgens, ut eum de Throno dejiceret regnaturus ipſe, crinibus ex arbore ſuſpenſus, & triplicî lanceâ à Joab transfoſſus interiit. *O ambitio! ambientium crux! quomodo omnes torques?* exclamat S. Bernardus lib. 3. *N. 19.*

Consid. *Omnibus tamen places ? nihil acriùs cruciat, nihil molestiùs inquietat : nihil tamen apud miseros mortales celebrius.* Dic quæso : an vel unam noctem quietam ducant? an vel unum bolum sine amaritudine gustent? quando audiunt promoveri alios, quasi tonitru tacti stupent, mœrent, suam conqueruntur infelicitatem. En ! quomodo abjectissima quævis servitia lubentî animô arripiant : quomodo adulentur mulierculis ? aut infimæ sortis hominibus inserviant ? quomodo magnos bonorum suorum thesauros profundant, sine ullo filialis observantiæ sensu parentes & propinquos amittant ? scelera Principum laudent, subditorum virtutes taxent, reclamante conscientiâ. S. Augustinus refert lib. 10. de civit. Dei cap. 9. Romanos adeò militiæ deditos fuisse, ut ad insaniam usque sectandis castris inhiarent. Hujus autem phreneseos causam exstitisse vanæ gloriæ & ampliandi Imperii appetitum, quem ceû stultitiam irridens exclamat: *Nonne in corporibus hominum satius est : modicam staturam cum sanitate habere, quàm ad molem aliquam gigantæam perpetuîs afflictionibûs pervenire, nec cùm perveneris requiescere : sed quantò grandioribûs membrîs, tantò majoribûs agitari malis.* Utique non felicitas sed miseria est, velle semper subesse miseriis, quia semper crescere desiderat ambitiosus, atque mediante continuô labore pacem sectatur, quam tamen assequitur nunquam. Et quænam tandem felicitas illa, cujus gratiâ tanti tolerantur labores ? annon amentiam sapit, apicem fortunæ in eo ponere, quod plebs alicui caput denudet ? facta laudet? Dominum vocet? ò quàm multi osculantur illius dexteram, quam tamen detruncatam cupiunt : quàm multi fortunatum apprecantur diem , qui animô ipsi horam invident: quàm multi longam augurantur vitam, qui nihil optatius haberent quàm ejus mortem. Cordialissimos multi se profitentur amicos, & inveteratam in pectore nutriunt inimicitiam. Quid juvat : Pallatium incolere, centum conclavia numerans, quando unô eodemque tempore non nisi unô frui potes ? quid altus famæ proderit clamor, si dependet ab æmulis, qui illam sepelire studeant ? quid proderunt aurô argentoque distinctæ vestes, si eæ multò minùs arcent injurias temporum, quam ex vili crassaque materia confectæ? quid mensa, infinitîs quasi ferculîs onusta proderit, si venter tuus non est capax plurium, quàm capere possit ventriculus miserrimi cujusdam hominis? hæc legens Christiane, vide: an non ambitio tua quoque dominetur in anima? si pro gloria Dei, pro animarum Salute labo-

laborandum, ò quàm lentâ manu id negotii arripis? at quàm celeri pede volas, quàm ſedulâ manu deſudas, ſi pro obtinenda gloria & laude hominum, pro impetranda quadam dignitate agitur?

Dòctrina 3.

Deſumpta ex capite 12. Geneſ. in quo deſcribitur Abrahami evocatio, ejus Peregrinatio & Raptus Saræ.

Conſidera: QUòd paribûs Verbîs, quibûs olîm Abrahamum è patria evocaverat Deus, quemlibet Chriſtianum evocet è perverſa hujus Mundi vita. *Egredere de terra tua*, inquiens, relinquendô ſi non corporis greſſibûs; ſaltem mentis affectibus terrena & tranſitoria bona, & veni per viam piæ Vitæ ad cœleſtem Canaan. Inopiam, quam patieris in rebus temporalibus amore mei ſpretis, aut in pauperes liberaliter diſtributis, refundetur uberrimâ ſpiritualium gratiarum & cœleſtium conſolationum ſegete. Quid ad hæc & his ſimilia vocanti Deo reſpondes? nónne differs de die in diem tam gratioſis obſequi mandatis? non tantùm Abrahami mirabilî exemplô ad celerem ſequelam, quàm Salomonicîs minîs inſtigatus: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*: nam diutiùs tardante te, *citò veniet ira ejus.* Eccleſ. 5. Hæc tremenda monita haud dubiè cordi ducens Zachæus, ad primam Vocantis Magiſtri vocem feſtinus deſcendit: didicit inde: divinam vocationem tam punctualem eſſe, ut in puncto perdatur gratia, cui non in puncto morem geramus: & hinc exclamat S. Ephrem Serm. 1. de pœnitent. *Sentis, quod oſtium tibi apertum ſit? feſtina priusquam occludatur: ignoras, quô cœleſtis medius oſtium medicinæ ſuæ clauſurus ſit, feſtina igitur, ut cureris.* Lazarus defunctus inter obſcuras ſepulchri tenebras jam fœtens, vix exceperat vocem Chriſti, clamantis Joan. 11. *Et ſtatim prodiit, qui erat mortuus.* Eâ celeritate mandatum exſequitur, ut ligatîs adhuc pedibûs & manibûs, capiteque obvelatô ſe vocanti præſentem ſiſteret. Quæſo: cur non ante pedum ligamina abjecit? reſpondet S. Chryſologus, timuiſſe Lazarum, ne aliquantulùm cunctandô, vocantis gratiæ foret injurius, & hinc in neglectæ obſervantiæ celeris pœnam jacere permitteretur in ſepulchro, nunquam ampliùs reſuſcitandus. Mirandum planè, quòd Sapiente teſte Eccleſ. 3. divina Providentia omni- *N. 20.*

bus rebus certum tempus assignârit: *Omnia tempus habent. Tempus est nascendi, tempus moriendi, tempus plantandi, tempus evellendi &c.* Nullum verò reperiatur tempus, quod determinatum sit divinæ vocationi, ut ei obsequamur? resolvit dubium S. Greg Nazianz. dum asserit: ad opus tanti momenti, quod absque ulla expediendum morâ, nullum assignari posse tempus, ut nec per punctum trahatur mora, cùm vocatio celebritate suâ ventos imitetur. Verba S. Doctoris sunt Orat. in Joan. *Tibi & belli & pacis tempus sit, atque omnis denique rei: at verò salutis tuæ negotium semper ac sollicitè age.* Quàm multos reperire est modernô tempore Christianos, quos inter & tu forsan non postremus, qui vocati ad sanctiorem vitæ statum Hebræos imitantur, de quibus Sacra meminit Historia: eos Arcam fœderis deposuisse in Silo eâ mente & proposito, ut congruô tempore tantum thesaurum digniori locarent in sede. At quonam id factum tempore? an fortè unô abinde annô, duobûs, aut tribûs? elapsi sunt scripturâ teste 3. Reg. 6. quadringenti octoginta anni, antequam manus admoverentur construendo Templi ædificio, adeoque jam in cineres confederant illi omnes, qui ante tot annos à Deo vocati fuerant, jussique, isthoc ædificare Templum. Et utinam non inter æternos ignes luant, tamdiu dilatam, tandemque omninò neglectam vocationem Dei! utinam exemplô illorum tu sapias, gerendô quantociùs morem divinæ voci! obsequi si volueris, aderit cœlestis gratia, auxiliô in omnibus tibi futura, sicut olim auxiliô fuerat obedienti Abrahæ, quem etiam inter barbaras manus Scripturâ testante salvum & integrum conservavit: licèt summo vitæ periculo eum exposuerit raptæ uxoris Saræ pulchritudo.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 13. lib. Genes. in quo describitur reditus Abrahæ ex Ægypto, separatio à Loth, seminis terræque illius facta Abrahæ promissio.

N.21. Considera 1. QUomodo non tantùm in bonis gratiæ, sed etiam in bonis fortunæ crescant homines, qui vocanti Deo obsequentes, se totos ejus servitiis consecrant, prout Abraham suô docuit exemplô: hic enim, qui summâ rerum omnium inopiâ pressus, paulò ante Ægyptum petierat, jam omnî copiâ ditatus revertitur.

Probant

Probant idipſum pariter hodiernâ etiamnum die tot Monaſteria & Deo Sacratæ domus, quorum Summam in temporalibus bonis abundantiam miratur, & lividîs oculîs intueri cogitur Mundus. Lucæ 22. Cœleſtis Magiſter diſcipulis ſuis quæſtionem movet, aſſerens: *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* & ecce! in promptu auditur reſponſum: *nihil.* Quæſo: quis etiam ditiſſimus hominum parî reſponſô hanc quæſtionem ſolveret, fatendô, nihil ſibi deeſſe? ſolis Dei ſervis tale reſponſum congruit, prout teſtatur David Pſal. 22. ſuô, ipſorumque omnium ore loquens, qui totos ſe divino emancipant ſervitio. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ me collocavit.* Hinc S. Fulgentius longam initurus navigationem, nullos fermè ſumptus ſecum tulit, ſed poſitâ in Deum fiduciâ prætacta Davidis Verba Viatici locô aſſumpſit. Haud aliter S. Ignatius Societatis Jeſu Fundator, ut videre eſt *lib.* 1. *ejus vitæ*; Jeroſolymam petiturus, non niſi paucos panes ita volentibûs nautîs navi impoſuit: Sed nondum conſcenſâ navî ſuæ diffidentiæ pœnitens factus, quæ attulerat in portu reliquit. Et verò ſi olim divina Providentia erga inconſtantem & rebellem Populum in deſerto paucorum fidelium intuitu ſe adeò beneficam & liberalem exhibuit, ut quadraginta annorum ſpatiô ei nihil deeſſet de rebus, ad victum & amictum neceſſariis: quàm liberalem & beneficam ſe geret erga fideles & morigeros? non miror itaque: quòd Petrus in monte Thabor nec ſibi, nec ſociis ſuis voluerit à Chriſto ædificari Tabernacula; certus enim de liberalitate Chriſti, in ſervos ſibi fideles ſemper exerceri ſolita, non dubitaverat, fore: ut motu proprio de talibus habitaculis eis proſpiceret. O quàm diſparî modô Principes & Magnates Mundi hujus ſuorum ſervorum fidelitatem remunerantur, quibus ſanè haud aliter evenire ſolet, quàm canibus venaticis, qui poſtquam perdicem aut leporem cœperint, id mercedis accipiunt, quòd prædam ſuis in dentibus hærentem ociùs dimittere cogantur. Sic Veſpaſianus Imperator, ut refert *Sueton. lib.* 3. rapaciſſimos quosque miniſtros promovebat ad Quæſturas, queîs ceù ſpongiîs utebatur: has, ut primò implêſſet, impletas celeriùs exprimebat. Hæc perpendens Chriſtiane, vide: quid agas: tantô labore & induſtria ſerviens Mundo ejuſque Magnatibus, relictô Dei ſervitiô?

Conſidera 2. Quid concordiæ fovendæ cauſâ fecerit Abraham: erat is Patruus ac Superior Loth; & hinc jure meritô ipſi debeba- *N.* 22.

tur fœcundior, & pascendis gregibus aptior terra, fovendæ tamen, ut dixi, concordiæ causâ, hæc socio inferiori & subdito cessit: Sed & inde commovit Deum ad novam benedictionem, ut discerent posteri: *Nihil gratius Deo esse concordiâ fratrum.* Eccles. 25. & econtra detestabilius & divinô nil dignius odiô esse discordiâ, quæ meritò Hieronymô teste in cap. 5. ad Galat. *Septimum locum inter carnis opera continet, quôdam quasi Sacramentô & eminentî inter vitia numerô collocata.* Optimè discordes comparabis Abrahami infelici Sacrificio, quod ut vix divisum est, rapacibus illicò dedit copiam volucribus ad se devorandum: nam haud secus illi præbent sua corda, rapienda Dæmonibus, quod confirmat Oseas Propheta cap. 10. dicens: *Divisum est cor eorum, nunc interierunt.* Thyrreo lapidi similes, qui integer & indivisus natat in aquis, divisus verò statim mergitur: hanc veritatem à Morione suo didicit Fridericus Dux Saxoniæ, ut memorat Causinus lib. 3. Symb. Cùm enim fratres inter se agerent de dividenda inter se Regione, vestem Principis indutus Morio, in consessum Principum devenit, & Fridericum interrogans: num factum placeret? laudante illum Duce, in cubiculum se contulit, & arreptâ forvice vestem dissecuit: mox alterâ parte amictus, se denuò videndum præbuit Duci, scisitatus iterum: an placeat? Princeps indignatus temeritati: virgîs puniendum hoc esse facinus minitabatur. At Morio verbis talibûs necquidquam territus, reponit: *Et te Virgîs cædam, qui Regionem tuam pulchriorem hâc veste dilacerare conaris.* Quid enim Regnum divisum aliud exspectat, quàm extremam desolationem? hoc ipsum damnô suô, sanguineîs lacrymîs deflendô, experta est Germania nostra, quando tot Hæreses admittendô, tot pariter Shismata & Scissuras admisit, ex quibus ortæ sunt tot hominum strages, tot Urbium ruinæ, tot Provinciarum devastationes, tot animarum interitus.

(o)

FASCI-

FASCICULUS IV.

Doctrinarum Moralium & Aſceticarum.

Doctrina I.

Deſumpta ex cap. 14. lib. Geneſ. in quo deſcribitur ſtrages & captivitas Sodomitarum atque Lothi. Eorum libertas per Abraham Victorem obtenta. Benedictio Melchiſedech Sacerdotis.

Conſidera: QUid mali ſoleat evenire illis, qui licèt boni ſint, perverſis tamen ſociis ſe jungere non verentur: Loth enim Sodomitis peſſimæ vitæ hominibus conjunctus, iisdem devictis, Victoribus Babyloniis in prædam ceſſit; hinc hortatur Deus electum Populum Exodi 34. *Ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ tibi ſint in ruinam.* Hercle ſicut imperitus natator jamjam ſubmergendus ſocium adnatantem ſibi, etſi artis benè peritum, trahit in profundum, ita à nocente ſocio innocens rapitur in voraginem vitiorum. Adoleſcens ille, quem teſte Euſebiô S. Joannes Evangeliſta Epiſcopo cuidam commendaverat tanquam depoſitum ſuum, malorum ſodalium conſuetudine non latro tantùm ſed latronum princeps effectus eſt. Gordiana S. Gregorii M. amita, ut ipſe refert lib. 4. Dialog. c. 16. Licèt Sanctiſſimô ſororum ſuarum exemplô frueretur: attamen quia plus æquô Sæcularium puellarum commercio vivere conſuevit, ſororibûs mortuîs virtutibus ipſa quoque mori, & vivere vitiis incepit. S. Auguſtinus lib. 2. confeſſ. c. 9. de propria teſtatur perſona: Se eâ cæcitate præcipitem in vitia declinâſſe, ut inter coætaneos pudori ſibi duceret, quòd non illorum more tam pudenda crimina à ſe patrata eſſe jactitare poſſet. *Libebat malum facere* (verbîs ipſius loquor,) *non ſolùm libidine facti, verùm etiam laudis. Quid dignius eſt vituperatione, niſi vitium? ego ne vituperarer, vitioſior me fingebam feciſſe quod non feceram, ne viderer abjectior, quô eram innocentior, & ne vilior haberer, quô eram caſtior. Ecce! cum quibus iter agebam platearum Babyloniæ, & volutabar in cœno tanquam in cinamomo & in unguentîs pretioſis.* Joannes in exordio Evangelii ſui memorat: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Verba hæc *N.23.*

hæc de Christo dicta, intellectu videntur difficilia: quomodò enim lux in tenebris splendeat; cùm repugnet, tenebras coexistere luci? res autem indubitata est: Apostolum per has tenebras intellexisse perversissimæ vitæ Judæos, qui per vitia sua in meras tenebras transierint. Has tamen inter tenebras Sanctitatis suæ Lucem non perdidit Lux divina Christus, à paribus vitiis nescia obfuscari, causam hujus assignat Evangelista dicens: *Erat lux vera:* id est lux per essentiam, & non ut puri homines per participationem. Vult ergo Joannes per hæc dicta tacitè monstrare; quemlibet alium, qui non sit lux vera & Deus immensæ perfectionis; etsi cæteroquin participâsset lucem etiam maximæ Sanctitatis, lucere desiisset consortio obscurissimorum Judæorum seductus, & tractus in tenebras vitiorum. Enim verò adeò periculosa est societas pravorum, ut in ipso etiam Cœlo timenda videatur. Propheta regius describens cœlestium incolarum felicitatem, postquam dixisset; eos bibituros è torrente suavitatis & dulcedinis Psal. 91. subdit: eos vel maximum exinde gaudium sumpturos, quòd visuri sint, peccatores æternum puniri, vinctos catenis indissolubilibus, & adamantinis carceribus inclusos. Verùm quid visio hæc conferat ad felicitatem beatorum? nunquid hâc non datâ deesset aliquid perfectæ Beatitudini? quin imò videretur deesse aliquid: nam si Sancti peccatores non viderent in Inferno reclusos, adhuc viverent in timore, se aliquando illis conjungendos, & pessimô eorum exemplô depravandos esse, & hic est ingeniosus melliflui Bernardi conceptus Serm. 8. dicentis: *Securitas perfecta Justorum erit visâ retributione injustorum.* Huic non exiguum veritatis robur addunt verba Christi Matth. 6. prolata: *Thesaurizate vobis thesauros in Cœlo, ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

Perpende econtrariò: quid boni exspectandum à bono socio: Loth enim, qui longô itinere socium antea habuit Abrahamum, ipsius beneficiô è cruentis hostium manibus & eorum ferreis vinculis ereptus est, atque in tuto positus. Vide ergo Christiane! quibus te credas sociis? quoties à multis domum rediens minor rediisti homo? unde dissolutior ille & liberior agendi modus? unde tot verba obscœna, detractoria &c. suam traxêre originem, nisi ab illorum consortio, à quibus similia identidem audieras, & audita quoque tibi reddideras familiaria? imiteris quæso Davidem, in eligendis sociis de se profitentem Psal. 100. *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum: ambulans*

bulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat. Ut enim carbo frigidus ex contactu ferventis igneſcit; ita tu licèt frigidus & tepidus in virtute nunc exiſtas, accenderis à piorum conſortio, tuarum paſſionum Victor futurus cum Abrahamo, tam glorioſè de hoſtibus ſuis triumphante.

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 15. lib. Geneſis, in quo deſcribitur Promiſſio Proſperitatis Abrahami, & Pactio fœderis cum eo.

Conſidera: QUàm ſedulam illorum curam gerat Deus, qui ei inſtar Abrahæ fideliter ſerviunt. Tales certè divinâ fœcundati gratiâ non absque copioſa meritorum prole diſcedent ex hac mortali vita. Imò innumeros penè poſt ſe ſpirituales filios relinquent, qui hauſtam ab eis Doctrinam ad extrema mundi tempora propagabunt. Tam fœcundus Abraham exiſtit Sanctiſſimus Pater meus Benedictus, & poſt eum alii ordinum Fundatores, qui uſque in hanc diem Poſteros, virtutum ſplendore ſtellis pares, numerant. Tales viri dum vixerant in terris, Abrahamum moralî ſequelâ imitati, ſumebant indomita paſſionum ſuarum animalia, eaque mortificationis cultrô per medium ſecabant: ex imo contriti pectoris columbæ inſtar tam propriis, quàm alienis delictis ingemendô. Fuêre quidem plures malæ vitæ homines, qui rapacium volucrum inſtar eorum virtutes tam verbîs quàm factîs impetivêre, ſed fama Sanctitatis & miraculorum potentia, quæ cum ſole percurrebat totum Orbem, tam nefandos impetus abigebat. Hæc conſiderans Chriſtiane ſtringe pariter mortificationis cultrum in animalia appetituum tuorum: ſeca per medium quidquid illiciti affectûs ad carnis illecebras in te vivit. Macta quidquid in te cupiditatis ardet ad fluxas mundi divitias, dabis haud dubiè gratiſſimum Deo Sacrificium, & colliges inde ceù alter Abraham ingentem meritorum copiam. *Si ſuperbiam corporis tui vincas*, ait Origenes, *immolas Deo vitulum; ſi iracundiam, arietem, ſi libidinem, hircum; ſi vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem.* Oportet ſuperari vincique concupiſcentias, ut corpori congruat ratio victimæ. Mactari debent appetitus animæ, ut nomen Hoſtiæ illa ſibi vendicet; adhortante, & precibûs nos urgente Apo- *N.* 24.

stolo Rom. 12. *Obsecro vos per Misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* *Viventem* inquit, novâ vitâ Spirituali extinctîs inordinatîs appetitibûs. *Viventem* inquit: ut nempe discretionis cultrô occidamus carnis illecebras, ut carnem ipsam non occidamus cum illis, sicque moriatur caro, ut vivat, & vivat, & moriatur. Moriatur peccatis, moriatur concupiscentiis, moriatur amori proprio, moriatur humanæ laudi, moriatur mundo. Vivat bonis operibus, vivat proximorum saluti, vivat perfectioni, vivat Christo, vivat Deo. Hoc si feceris, satisfecisti Apostoli petitis; Sic enim dedisti Hostiam Deo placentem. Reperire est tales, qui mortificandô se exhibent Deo hostiam quidem viventem, sed neutiquam placentem. Carnem jejuniîs macerant, tergum flagellîs cædunt, longas orationes fundunt. Et tamen cum Israëlitis gemunt Isaiæ 58. *Quare jejunavimus, & non accepisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti?* audientes responsum Dei: *in jejunio invenitur voluntas vestra.* Bona licèt in se fuerit hostia, vivens & sancta; placens tamen non fuit, quia in offerenda illa non meam spectâstis voluntatem: occisâ carne adhuc vixit propria voluntas, & hâc vivente potuit adhuc in vobis vivere appetitus vanæ gloriæ, laudis humanæ, proprius amor. Enim verò quis nescit: veteres Philosophos mortificationi ita studuisse, ut etiam piissimos vicissent Christianos. Fuerunt hostiæ vivæ, sed tamen Deo displicentes: quia carne exteriùs tam rigidè mortificatâ vivebat adhuc Voluntas propria, vanæque laudis desiderium; & hinc quò magis mortificatione placere studebant hominum oculis, eò magis displicebant Deo. Talem utique Hostiam non te offeres Christiane Lector.

N.25. *Considera porrò:* Quomodò hominibus impiis Deus certam constituat peccatorum mensuram, quâ completâ eos puniat, prout puniit Amorrhæos & Cananæos, atque alios ejusmodi populos, qui pro temporali suorum criminum pœna à Posteris Abrahæ devicti, pro æterna verò in Tartarum deturbati sunt. Quare si urgeat te gravis tentatio, cogita; quòd si consenseris in delictum, forsan per illud ipsum compleatur mensura peccatorum tuorum, & sequatur ultio divina-

Doctri-

Doctrina 3.

Deſumpta ex cap. 16. Lib. Geneſ. in quo deſcribitur ſuperbia Agar, fuga & reditus, atque partus Ismaelis.

Conſidera: QUàm mirabilî modô divina Providentia diſponat, ut quædam animæ, quæ alias virtute & pietate ut Domina ancillam ſuam, Sara Agarem antecellunt, Deoque gratiſſimæ exiſtunt, relinquantur in ſpirituali ſterilitate & longâ ariditate: adeò, ut nullîs aut rariſſimîs tantùm conſolationibûs, ſolatiîsque fœcundentur ſupernîs. Hoc ipſum obtigit Chariſſimæ Chriſti Sponſæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis *teſte Engelgraf in Dom. 4. poſt Pentec. §. 2.* Hæc per quinquennium cruciata, nec quidquam ſentiebat ſolatii: quin potiùs cruciatuum vî in fruſta diſcerpi videbatur. Alius quidam eximiæ Sanctitatis Vir dicere conſueverat, ut refert *Drexel. lib. 1. c. 9. Rhet. cæl.* Quadraginta jam annîs ſervis Deo in multa oratione absque ulla interna conſolatione. Verùm hanc Solatiorum Spiritualium penuriam non alia de cauſa patiuntur dilectiſſimæ Chriſti Sponſæ: quàm ut perpetua in humilitate conſerventur, ſeſeque in patientia & plena reſignatione in Dei beneplacitum exercendi habeant copiam: atque hinc aſſerit aureus liber: *non eſt in eo tantum vitæ ſpiritualis profectus, cùm conſolationis habueris gratiam, ſed cùm humiliter & abnegatè patienterque ejus tuleris ſubtractionem.* Reperire eſt econtra animas, quæ non adeò magni apud Deum ſunt meriti & pretii, ſupernîs tamen ſolatiîs recreantur frequenter, intuitu quarum inſtar Agaris, ob fœcunditatem in ſuperbiam elatæ, alias, tanquam pietate & virtute ſibi cum ſterili Sara longè impares deſpiciunt: & hinc è domo divinæ gratiæ merentur cum Agare ſuperbiente expelli, perituræ; nî erroris ſui per internam Angeli Cuſtodis inſpirationem admonitæ, ſeſe humiliarent, & mediante pœnitentiâ redirent ad domum, ex qua propter ſuperbiam fuerant ejectæ. Sicut homo ſacrarum circumferens in ore, non exinde vocatur dulcis: ita conſolatio divina in ſe licèt optima ſit, & ab optimo proveniant Deo, non tamen eos efficit optimos, quos afficit. Hortatur ergo Gerſen noſter lib. 2. c. 9. §. 4. *Noli extolli, noli nimiùm gaudere, nec inaniter præſumere, ſed eſto humilior ex dono, cautior quoque & timoratior in cunctis actibus tuis quoniam tranſibit hora illa, & ſequetur tentatio.* Quantò Chriſtiane! ſi in *N. 26.*

spiritualibus exercitiis quandoque ad longum temporis spatium experiaris ariditatem, noli ab iis desistere animumque despondere, ratus: te gratiâ Dei excidisse, & hinc te cum Petro totâ nocte piscantem in vanum laborare : *Cùm te consumptum putareris orieris ut Lucifer.* Cùm videberis prostratus, perditus, abjectus, prosperè procedes ad modum stellæ Dianæ in campo Cœlorum progredientis. Apostolus de miseriis servorum Dei loquens utitur terminô limitante, asserens: *quasi tristes*, quæ verba subtilî indagine scrutatus S. Augustinus quærit causam hujus additæ limitationis, & sibi respondens ait : id fieri, quòd somnii instar se habeant desolationes & miseriæ Justorum: Somniis autem semper addi terminum limitantem *quasi*, id testante Josephô Genes. 37. *putabam nos ligare manipulos in agro; & quasi consurgere manipulum meum.* Sic etiam Scriptura, panem subcinericium devolutum de monte describens Judicum 7. His utitur verbis : *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi Subcinericius panis ex horrdeo volvi &c.* Adde ergo desolationi tuæ terminum *quasi*, illam vocans quasi abjectionem, somnum aut fabulam esse miseriæ. Regium Prophetam interroga, parem miseriam expertum, quando auditus est conqueri: Psal. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea est.* Fatebitur ille: *Sicut Pater miseretur filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Sed quæ est patris erga filios etiam charissimos misericordia? en! pecunias illis denegat superfluas, ne in ludos sese effundant : vini ciborumque copiam ipsis subtrahit, ne intemperantes evadant : rarò se ipsis affabilem demonstrat, ne timorem & reverentiam sibi debitam perdant. Haud aliter (si sensum moralem spectemus) erga te gerit se Deus, quando credis: te preces quidem fervidas fundere, sed non exaudiri. Sacris te interesse quidem sedulò, sed nullum in eis gustum sentire : meditari cum Davide, sed potiùs aquam, quàm ignem experiri. Patrem hîc agit miserentem : hinc subtrahit spiritualium consolationum dulcedinem, ut meritum non perdas, temporalem recipiendô mercedem : monstrat austeram faciem, ut timorem, omnium virtutum custodem, in te conservet : ad preces surdum se exhibet, ut tuam probet perseverantiam, in cœlo coronandam. Resignatus ergò in tam providi Parentis voluntatem, dic cum Ascetâ; lib. 3. cap. 16. §. 2. *Hæc mihi consolatio : libenter velle carere omnî humanô solatiô, & si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & justa tentatio pro summo solatio.* Quod tuas preces exercitiaque solita concernit, peritum agricolam imiteris, qui etsi

quando-

quandoque ſterilem annum ſentire cogatur, agris tamen debitam impendere curam non deſinit.

Doctrina 4.

Deſumpta ex cap. 17. lib. Geneſis, in quo deſcribitur mandatum illud datum Abrahæ de præſentia Dei ſemper habenda. Mutatio Nominis & lex circumciſionis.

Conſidera: QUàm benè diſcurrat Angelus, qui vices Dei agens hìc loquitur Abrahamo, aſſerens: *Ambula coram me, & eſto perfectus*, dicturus per hoc: in omnibus actionibus tuis ô Abraham! Deum ſemper præſentem & videntem cogita, fiet inde, ut easdem peragas modô perfectô. Conſequentia planè perfecta & infallibilis, ut docet communis Aſcetarum ſententia, quæ melius aſſequendæ perfectionis medium dari non poſſe autumat. O Chriſtiana anima! ſi vivaci in imagine circumferres Deum perſpicaciſſimum illum Judicem, & ſeveriſſimum etiam minimorum ſcelerum ultorem, quàm pauca forent, in quæ per diem peccandô impingeres. Nunquid enim tot verba detractoria, ſcurrilia, fraternæ charitatis offenſiva effunderes? ut nihil de aliis actibus peccaminoſis dicam. Quis gregariorum militum proſpicientem è feneſtra Ducem ſuum intuens, è ſtatione ſua movet pedem? arma abjicit? ad ſomnum ſe diſponit? quis diſcipulorum Præceptorem à tergo hærere putans, fabulis indulget? libros abjicit? cum prohibitis ludit ſociis? quæ uxor aſſidentem ſibi habens maritum, cum alio amatorios miſcet ſermones? tactuſque impuros admittit? cogita caſtiſſimum illum, Jacobi filium, quàm gravibus peccandi periculis, quàm violentîs fœminæ blanditiis, quàm horridîs adulteræ minîs impetatur? & tamen blanditias ſuperet, minas ſpernat, peccatum effugiat? quæras ex ipſo: quibûs armîs tot hoſtes vicerit? tot fregerit inſidias, innocentiam ſuam ſalvans indemnem? forſan enormis tanti criminis turpitudo? aut innata juveni pudicitia? aut formidanda Domini ſui rabies? aut turpiſſimi probri infamia ei gladium, quô vinceret, præbuit? aut ſcutum, quô ſe tam ſtrenuè defenderet, ſubminiſtravit? hæc omnia, etſi cæteroquin ſpiritualis pugnæ arma ſint fortia, tot roboris tamen habuiſſent nunquam, ut tot ignea & flammantia Veneris tela avertiſ- *N.27.*

sent, aut tam robustas machinas perfregissent. Audi Basilium, & audies illud, quô vicerit: *Joseph non aliô clypeô armatus Victor evasit, nisi præsentiâ conditoris sui.* Sin autem solus iste clypeus repellendis tot, tamque gravibus par fuit insultibus, cur tentationes tuas his insultibus longè debiliores non repellat? Augustinus tot vitiis olim assuetus, tot pravis habitibus affectus, non tantùm ab his ferreis Dæmonum vinculis per timorem Dei liberatum se esse penitùs fatetur, & abinde ad meliorem frugem reductum, atque ad sectanda Christi vestigia allectum: sed quasi violentiâ tractum esse, ita Solil. cap. 14. loquens: *Magna nobis indita est necessitas, justè rectèque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.* Hanc ergò tremendam Imaginem oculis mentis tuæ antepone Christiane, certus: quòd non compatiatur ullam veneris aut alterius vitii speciem in corde tuo cohabitare, quæ à Christiana perfectione, quam à te requirit Conditor Deus, te removeat.

N.28. *Considera* 2. Quàm stolida & damnosa sit illorum hominum socordia, qui veræ pœnitentiæ fructus parere differunt in seram usque senectutem: ut enim Abraham teste S. Scripturâ hujus cap. V. 17. putavit: impossibile fore, ut centenarius generet prolem, & uxor ejus nonagenaria pariat, ita fermè impossibilis redditur veræ pœnitentiæ fructus illis hominibus, qui talem ad ultimos usque vitæ dies distulêre; & hinc S. Bernardus Serm. 38. ait: *Qui dissimulant in vita agere pœnitentiam, & de extrema confessione præsumunt: quommodò sub unius horæ articulo revocari posse existimant omnia, cujus concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt?* Audiemus brevi: quàm difficulter se Jacob expediverit è servitute, quâ se ad septennium obstrinxerat socero suo Laban pro Rachele filia: his enim exactîs dolose ab eo circumventus, septem aliis servire debuit, quibûs etiam finitîs neutiquam finita servitus est; sed denuò detentus, prioribus, inter continuos labores exantlatis, sex alios adjicere coactus est. Ad extremum denique mediante fugâ libertatem adepturus: ut clanculò se subduxit, ab insectante Hero deprehensus, graviter objurgatus non sine vitæ omnisque substantiæ periculo tandem ægerrimè evasit. Jacobum hunc meritò figuram dixerim illius, qui per inveteratam peccandi consuetudinem servitio Dæmonis addictus est. Ah! quomodò se ab illa expediet eô tempore, quô miser iste servus impeditur à gravissimis doloribus in corpore, impugnatur à timore mortis in anima? ubi cernit

tot

tot peccata à ſe per vitam commiſſa? tot occaſiones pœnitendi neglectas? tot gratias ſpretas? ubi audit amicorum lamenta, liberorum planctus? Rex Ezechias vir optimæ vitæ, acceptâ mortîs ſententiâ, tantâ perturbatione obrutus eſt, ut nil aliud quàm ſuſpiria ex imo pectore trahere, ejulari, & mortem deprecari audiretur, *Iſaiæ* 38. Quæſo: quæ veræ pœnitentiæ ſigna exſpectabis ab homine, tot vitiîs & peccatîs irretito, quando pœnitere eò uſque diſtulit, donec audierit: *Morieris tu, & non vives?* hæc perpendens Chriſtiane Lector, hodie adhuc cum Davide exclama: *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam.* Hodie adhuc cum Abrahamo ſtringe cultrum veræ pœnitentiæ, & quidquid peccati in te vivit, ociùs reſeca. Eris in libro vitæ mutatô nomine peccatoris, in nomen dilecti filii ponendus, & futurus per gratiam Dei Pater multarum virtutum & meritorum, dicesque tranquillâ mente moriens: *in pace in idipſum dormiam, & requieſcam.*

FASCICULUS V.

Doctrinarum Moralium & Aſceticarum.

Doctrina I.

Deſumpta ex cap. 18. lib. Geneſ. in quo deſcribitur liberalitas Abrahami in ſuſceptis Hoſpitibus & Angelis, ejusque preces pro Sodomitis fuſæ.

COnſidera, & lauda miram Abrahami liberalitatem quam exercuit erga pauperes, dum illos non tantùm motu propriô ad ſe venientes perhumaniter excipere conſuevit, ſed de tali hoſpitio forſan non cogitantes, & alibi volentes divertere, blandâ vî ſuos lares adire coëgit. *Magna res & pretioſa homo miſericors*, ait S. Chryſoſt. Homil. 36. ad populum Antioch. *Hæc major eſt gratia, quàm mortuos ſuſcitare; multò namque majus eſt: eſurientem paſcere Chriſtum, quàm in nomine JEſu mortuos ſuſcitare; nam illic quidem tu de Chriſto benè mereris, hîc autem ipſe de te. Hîc in ſignis ipſe Deo debes, in eleemoſina verò Deum habes debitorem.* Hoc compertum habebat S. Thomas de Villa Nova, *N.29.*

&

& hinc amplos Ecclesiæ redditus usque adeò in egenos disperſit; ut ne lectulum quidem ſibi relinqueret: nam eum, in quo jacuit, cùm in Cœlum vocaretur, ab eo paupere commodatum accepit, cui paulò ante eundem eleemoſinæ locô donaverat. Alexander V. Pontifex maximus eâ excelluit liberalitate in pauperes, ut ſe poſſet divitem Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem jure meritô nominare. S. Carolus Borromæus arcam ſuam eleemoſinîs penè ſemper exhauſtam, imò quot annîs ad multa millia obæratam vidit, non timens, novas facere impenſas in gratiam pauperum, quin etiam, cùm Orienſem Principatum quadraginta millibûs aureorum vendidiſſet, intra viginti quinque dies omnes has pecunias in egendo & pia opera diſtribuit. Taceo Eliſabethæ Hungariæ liberalitatem, quæ in eleemoſinis dandis nullos habebat terminos neque metam; unde Mater Pauperum paſſim ab omnibus audiît. Nihil refero de liberalitate S. Franciſci aſſiſiatis, qui nunquam pauperi, propter Deum aliquid poſcenti, ſe negaturum jurejurandô ſpopondit. Nihil dico de liberalitate S. Paulæ Romanæ, propter quam ad extremam usque paupertatem & ipſa redacta eſt. Cerne econtra ò Chriſtiane! & deteſtare parſimoniam tuam, quæ tam fortiter tibi aures obſtruit, ut tot egenorum ante fores tuas clamantium voces & lacrymas non exaudias, & obolum unum pluriès volvas in manu, quàm in pauperum manus evolvas. An neſcis: eleemoſinam ſimilem eſſe ſemini ſparſo in ſolum, quod agricola multiplicî fœnore iterum recipit? an neſcis; illam ſimilem eſſe pilæ, quæ projecta in terram ad manum, de quâ exierat, reſilit. An neſcis: homines per eleemoſinam reddi ipſi Deo ſimiles teſtante id S. Gregoriô Nazianz. Orat. de cura pauperum, ubi inquit: *Fias infortunato Deus, miſericordiam Dei imitandô.* An ignoras: miſericordiam erga pauperes ſignum eſſe æternæ prædeſtinationis; nam Eccleſiaſtici effatum eſt c. 17. *Eleemoſina viri quaſi ſignaculum eum ipſo* Antichriſtus ſignabit ſervos charactere beſtiæ *Apocal.* 13. Sed in manu nonniſi contracta, arida, ſterilî & avarâ, de qua Matthæi 25. ait Chriſtus: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare &c.* An demum ignoras; per eleemoſinam homini temporalem gloriam & fortunam parari? hoc enim probant Sapientis verba Proverb. 3. *Miſericordia & veritas te non deſerant: circumda eas gutturi tuo, & invenies gratiam coram Deo & hominibus.* Quid ergo Chriſtiane dives inſenſate facis? quid cogitas? cur tam utili mercimonio non attendis? per tuas pecuni-

cunias forſan erigere cupis ſumptuoſas domus? eleemoſina tibi præparat æterna tabernacula, ſi largiter eam dederis. Per aurum tuum quæris lauta convivia, opiparas menſas? eleemoſinâ ductrice Angelici convivii hoſpes eris. Appetis raras & pretioſas veſtes? planè ſplendidius veſtimentum comparari nequit illô palliô, quod aperit multitudinem peccatorum, eleemoſina vocatum. Arrident tibi arculæ, theſauris repletæ? Deo tuas divitias ad uſuram impertire: dabit is theſaurum tibi, *in quo ſunt omnes theſauri divitiarum* teſte Apoſtolô, benedictum videlicet filium ſuum. Quare ex ore Auguſtini ſic alloquitur te Deus: *Sed avarus es? me conveni: ego filium divitem, pauperem propter te feci. Aurum quæris? ille fecit. Familiam quæris? ille fecit. Poſſeſſiones quæris? ille fecit. Argentum quæris? ille fecit. Quid quæris tantùm, quæ fecit? ipſum accipe, qui fecit. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.*

Conſidera porrò: Quanta ſit Miſericordia Dei: dum tanto numero impiorum inter impuriſſimos Sodomitas invento, propter decem tantummodò Juſtos, ſi reperti fuiſſent, peperciſſet. Parcet haud dubiè etiam tibi peccator propter paucula, ſi feceris miſericordiæ erga pauperes opera. Et licèt in peccatis tuis obſenueris: tamen non diffide cum *Sara*; fore, ut verum pœnitentiæ partum enitaris, dummodò oblatæ gratiæ velis ſeriò cooperari.

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 19. lib. Geneſ. in quo deſcribitur humanitas Loth angelis exhibita, à quibus incendio Sodomæ ſubducitur, ſed in ebrietate cum propriis filiabus coit.

Conſidera 1. QUàm ſollicitus ſit Deus pro illorum ſalute, qui ob neceſſariam vivendi conſuetudinem malis conjuncti vivere debent; ei tamen, quâ poſſunt induſtriâ, ſervire ſtudent: Loth enim inter peſſimos Sodomitas, quibus convixerat, optimus, Angelos tutelares hîc à Deo recipit, eum ruinæ totius urbis ſubducentes. Non aliter quilibet ſervorum Dei: licèt non tantùm à perverſis cingatur ſociis, ſed ab ipſis Dæmonum larvis, ruinam haud dubiè evadet. Theophila Virgo in perſecutione Diocletiani & Maximiniani ad turpe proſtibulum tracta; cùm calidîs precibûs Deum caſtitatis ſuæ cuſtodem invocâſſet, angelum Domini lateri ſuo adſtan- *N.30.*

stantem quantociùs habuit, factumque est, ut mortuus corrueret ille, qui primus cubile ingredi præsumpserat, pudicitiæ ejus vim illaturus. S. Gregorius Thaumaturgus Cæsareæ ponti Episcopus horrendam persecutionem fugiens : cùm in monte se abscondisset, ab homine quodam proditus, undique armatorum manu cingitur; sed illi omnes oculis capti, nil ante se videre poterant, nisi duas arbores sibi oppositas. *S. Greg. Nazianz. in vita ejus.* Et quis nescit: S. Felicem Presbyterum Nolanum inter duos parietes arenarum telis esse defensum à lictoribus? quid igitur Christiane sive in anima sive in corpore ab hostibus timeas mali, si Deum timeas eumque piorum more colas semper ? Apostolicam navem intuere, inter procellas fluctuantem & ruinæ vicinam audi exclamare : *Domine, salva nos, perimus.* Matthæi 8. Diceres quidem, illam divinâ ope destitui, dum cernis : Magistrum dormire; sed somnus iste vel maximum futuræ opis indicium erat. Dormiebat hêrcle, ut servos suos pupillam oculorum suorum esse, & velut talem à se conservari ostenderet: sicut enim palpebris clausis pupilla oculi servatur illæsa, ita Magister cœlestis, ut à spumantibus undis discipulos defenderet, in tuto ponendos, palpebras claudit; demonstrans, eos haud aliter, quàm pupillas oculorum à se protegendos. Ingeniosus hic conceptus *Lirani* est, in hunc locum ita scribentis: *Custodivit eos, sicut custoditur pupilla oculi: licèt enim Christus permiserit, eos tunc corporaliter perturbari ; tamen sollicitè custodivit eos sicut pupillam oculi sui &c.*

N. 31. *Considera* 2. Quomodò homines, qui Sodomitarum instar quærunt suas libidines explere, excæcari soleant; adeò, ut imprimis non videant jacturam divinæ gratiæ & flumen æternæ damnationis, eorum capitibus imminens : ut pariter non videant dispendia famæ, honoris, divitiarum & sanctitatis : demum, ut non videant copiam emergendi, si carnalibus vitiis aliquando fuerint immersi. Hanc cæcitatem ponderosis describit verbis S. Greg. M. in Moral. dicens: *Ex quo luxuria semel mentem occupaverit, vix eum bona cogitare permittit : sunt enim desideria viscosa ; quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio.* Quis Salomoni clarissimos sapientiæ infusæ oculos eruit, ut relictô Deô Idola sectaretur, nisi impurus fœminarum amor? in quantam cæcitatem devolutus est luci-

lucidiſſimum illud Chriſtianæ Eccleſiæ Sydus Henricus VIII. Angliæ Rex ob impurum amorem, ut legitimam conjugem, jam prolè maſculâ donatam, poſt viginti annos è throno ſuo propelleret, locô illius ducens unam è gynecæo deſumptam mulierem, ſolâ deformitate celebrem? erat illi oblonga facies, capillus niger, color ſubflavus, os unô dente ex ſuperiori gingiva proeminente defœdatum: in dextra manu ſextus adnaſcebatur digitus, ſub collo ferebat tumorem, cujus cauſâ collum & pectus operiebat *Florim. lib. 6. hær. c. 2.* ò quàm enorme monſtrum adamavit cæcus iſte amator? poſt ſtupratam Matrem, ipſam filiam duxit, idque ex ſententia adulatoris non gravius peccatum eſſe cenſuit; quàm gallinæ pullum & matrem ejus comedere? quanta hæc cæcitas? ex qua dein plures aliæ, æternùm deridendæ, ortum ſuum traxêre. Nihil hîc referam de nota Theſtimi cæcitate, qui ob immodicum veneris uſum, oculîs graviter laborans: cùm audîſſet, ſibi à Venere abſtinendum, ſi oculos ſervare mallet, reſponſo dedit teſte S. Ambroſiô lib. 4. in Luc. *Vale amicum lumen.* Ad luxuriam autem, quæ enarratas haſce cæcitates parturit, vel maximè diſponit, vinum largiùs hauſtum: *nam venter merô æſtuans*, ut aſſerit Hieron. *citò ſpumat in libidinem;* prout Loth, cæteroquin inter impuriſſimos Sodomitas caſtiſſimus, ſuô lapſu probavit; dum ebrius adeò obcæcatus eſt, ut propriîs filiabûs abuteretur. Quare ſi & tu ò Chriſtiane nolis, tam nocivâ cæcitate percuti, fuge vinum, in quo eſt luxuria.

Doctrina 3.

Deſumpta ex cap. 20. lib. Geneſ in quo deſcribitur Raptus Saræ perpetratus ab Abimelech, qui à Deo in viſione reprehenditur.

Conſidera: EXterna Chriſtiane pietatis opera, quò fuerint pulchriora & magìs à Sanctitate ſplendida, eò magìs obnoxia eſſe periculo: ne à vana gloria & laudis humanæ appetitu rapiantur corrumpenda, inſtar pulcherrimæ Saræ ab Abimelech raptæ. Quare, ut ab iſto periculo reddantur immunia, oportet ea tegere velô bonæ intentionis, quod velum nobis Chriſtus ſuadet, aſſerens Matthæi 5 *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt.* Ut enim fructus arborum, quæ juxta viam publicam plantatæ ſunt, rarò *N. 32.*

maturitatem assequuntur, nî sedulum habeant custodem; ita virtutum opera, quæ in conspectu hominum patrantur, rarò ad meritum matureſcent, & perfecta evadent, nisi per laudatam intentionem eis custodia adhibeatur. *Sicut puerulus* (ait S. Chrysost. Homil. 53. in Epist. ad Hebræ. *quando canis insiliens placentulam vult auferre, mox eam Patri aut Matri quasi defendendam porrigit: ita & nos, quando Diabolus opera nostra per vanæ gloriæ insultum eripere nobis molitur, per bonam intentionem Deo & B. Virgini custodienda offerre debemus.* Singulæ virtutes singulos hostes sibi insidiantes habent: vana autem gloria omnium virtutum communem hostem agit. Aspexit Pharisæus ille varias virtutes, quas exercuerat, & eas ostentui habens, ait: *Jejuno bis in Sabbatho &c.* Et ecce! omnes paucis hisce verbis adeò destruxit, ut domum rediret omnî meritô vacuus, qui venerat tot bonis operibûs onustus in Templum. Idem accidisse Samsoni vult S. Ambros. Epist. 70. Is enim ob stupendam victoriam de mille viris obtentam sibi applaudens, jactabundô ore dixerat: *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, & percussi mille viros.* Vix verba compleverat, mandibulam projecit, nomen locô imponens: *Ramathlechi*, quod *maxillæ elevationem* indicat, quantociùs æstuare magnâ sitî, & mortem sibi vaticinari incepit, quæ paulô post evenerat oculis orbato, per quos obliquô intuitu & arrogantî superciliô victoriam suam aspexerat, eam pariter ab aliis videri, laudari, & deprædicari cupiens. *Non tondebis primogenita Ovium*, præcipit Deus Deuteron. 15. in quæ verba S. Greg. M. 8. Moral. c. 34. ait: *Ovium primogenita tondere, est occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia opera bona denudare. Cùm ergò vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est, ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat.* Christus Dominus stupendô miraculô sanitatem leproso restituens, quid quæso mercedis locô petiit? *Matth.* 8. en! non tantùm non laudari, sed nec sciri quidem à quoquam hominum voluit factum tam laudabile, severô & minacî vultu imperans: *Nemini dixeris.* S. Bernardus, quem vocant Christi collactaneum, cùm audiret, se ob varia miracula laudari, æstimarique plurimum, indignabundus aiebat: se ex scripturis didicisse; signa æquè fieri ab imperfectis, quàm à perfectis: Se verò nec perfectionis nec fictionis conscium esse; & hinc opera illa nihili ducere. Sed & aliàs vanâ gloriâ tentari cùm cœpisset, audiebatur dicere; *Propter te non cœpi, propter te non desinam.* Hilarion Abbas *teste Hieron.*

Hieron. in ejus vita, ob frequentiſſima miracula ubique decantatus vir, ut vidit, ad ſe confluere ingentem hominum turbam, profugit de eremo ad eremum de regione in regionem, & amarîs lacrymîs ſuam religionem vanæ gloriæ expoſitam deflens exclamabat: *rurſum ad ſæculum rediî, & recepi mercedem meam in hac vita. Eu! homines Palæſtinæ & vicinæ Provinciæ exiſtimant me alicujus momenti eſſe, & ecce! ſub prætextu Monaſterii ad diſpenſationem fratrum vilem ſuppellectilem habeo.* Talî velô etiam tua obtege opera, & ſalvabis illæſa.

Porrò conſidera: Quomodò Deus non tantùm ſervorum ſuorum proprias perſonas, ſed alienas quoque illorum intuitu, eorumque bona tueatur; dum nec tangi quidem, quid dicam corrumpi? paſſus eſt Saram uxorem Abrahæ: hinc eò majorem in eo ponas fiduciam, quô graviora fuerint pericula, tibi aut bonis tuis imminentia; nam juxta effatum divi Ambroſii lib. de Joſeph. *ibi plus eſt auxilii, ubi plus periculi: cùm Deus ſit adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

Dòctrina 4.

Deſumpta ex capite 21. Geneſ. in quo deſcribitur Nativitas Iſaac, Ismaelis & patria domo ejectio.

Conſidera: QUòd ſicut Abraham non priùs inſtituerit ſolemne convivium, quàm filius Iſaac, juxta divinum promiſſum ei natus, fuiſſet ablactatus; ita Deus non conſueverit, hominibus cœleſtium conſolationum epulas adornare, eosque talibûs recreare, antequam ab uberibus terrenarum delitiarum fuerint penitùs abſtracti, & habiles effecti, ad comedendum ſolidum mortificationis panem. Iſaac Presbiter de contemptu mundi ſcribens, inquit: *Ejusmodi panis poſt ablactationem datur infanti: ut ſi homo vult in Divinis delectari, priùs debet à ſæculo veluti infans ab uberibus ablactari.* Pſalmiſta regius ad ſpiritualia gaudia & jubilos animaturus exclamat, Pſal. 97. *Jubilate Deo omnis terra, cantate & exultate, & pſallitate.* At qualia hunc in finem petit adhiberi inſtrumenta? en! reſpondet ociùs: *Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce pſalmi.* Pſal. 97. Quis autem neſcit: Citharas tunc ſuavem dare harmoniam, quando chordîs benè extensîs extenuatisque fuerint inſtructæ? haud ſecus res agitur nobiſcum: quô magìs animus à terrenarum rerum ſolatiis fuerit extenuatus, eò lætiorem N. 33.

tiorem sonum cœlestium consolationum sentiet. Non poterat Sponsa frui aspectu pulcherrimô convallium & florentis vineæ, antequam Canticorum 6. *Descendisset in hortum nucum*, priusquàm videlicèt terrenarum voluptatum dulcedinem linquens, se convertisset ad amaras mortificationis nuces. Non antea David se profitebatur, circumdatum lætitiâ, antequam cantâsset: *Conscidisti saccum meum* Psal. 29. Affectum videlicèt terræ affixum. Plutarchus de Gentibus testatur: eos Templa ingressuros, omnem pecuniam sibi charissimam priùs ante fores deposuisse, ut hôc factô docerent: favores cœlitum non per rerum temporalium abundantiam & possessam in eis voluptatem, sed per earundem contemptum à Diis obtineri. Ergo cum Ismaële filio ancillæ expellendum est è domo pectoris Christiani, quidquid inordinati affectûs amorisque in ea vivit erga mundum, carnem, & delitias fugaces. P. Vincentius Caraffa verbis S. Augustini innixus, amorem nostrum assimilat humanæ manui, quam constat: plura simul comprehendere non posse; dimittat unum, necesse sit, ut retineat alterum. *Putate*, inquiens, *amorem hominis quasi manum esse*, ait S. August. *Si aliquid tenet, tenere aliud non potest, occupatam habet manum. Quæ verò stultitia foret, ne dimittat quis pulverem, quô manum plenam habet, non accipere sceptrum & coronam auream, quæ ipsi offertur? &c.* Dimittendæ siliquæ porcorum, ut sapiant panes filiorum Dei. Quando cernimus: homines instructæ selectissimîs cibîs mensæ assidere, illos tamen aut gustare nihil, aut gustatas dapes illis desipere, judicamus illicò: tales, aut aliîs ad saturitatem usque refectos esse, aut stomachum gestare, malîs humoribûs, & ad febrim disponente materiâ repletum. Ipsissima hæc causa est, ob quam Christianorum plurimi, licèt ad epulas divinîs dapibûs turgentes invitentur, & hasce cœlitum dapes sibi apponi videant; inde tamen nil nutrimenti sapientis hauriant, quin fastidiosè illa fercula detrectent; eò quòd repletum terrenîs solatiolis stomachum circumferant. Ignoscendum est talpis, à natura cæcis, si credant: nil pulchrius esse tenebris, in quibus degunt, nil splendidius cavernîs, quas inhabitant, nil dulcius, & ad vescendum aptius, amarîs terræ radicibûs: nec enim unquam viderunt lucidum solem aut radiantes stellas, nec mellis quidquam gustârunt umquam, ignoscendum est inquam his animalculis, quæ totâ vitâ altiorem bonorum sensum non habuêre; sed quòd inter homines, & Christianos quidem reperire sit tales, qui sperent cœlestia solatia,

latia, terrena tamen non reſpuant, non miſſa faciant, exclamantes cum murmurantibus Iſraëlitis Num. 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones &c.* O quantæ amentiæ indicium? vide Chriſtiane Lector: an non & tu hos inter reperiaris unus?

FASCICULUS VI.

Doctrinarum Moralium & Aſceticarum.

Doctrina I.

Deſumpta ex cap. 22. lib. Geneſ. in quo deſcribitur Abrahæ obedientia in oblatione Iſaac.

Conſidera: QUàm obſequioſus fuerit Abraham divino Præcepto, tam difficilem & naturæ tam contrariam rem continenti: enim verò non exſpectavit ſolis ortum, ſed altâ etiamnum nocte abiît ad locum, mactando filio deſignatum. *Verus obediens non attendit*, teſte Bernardô de præc. & diſp. *Quale præcipitur, hôc ſolô contentus, quia præcipitur*: hinc Abrahamum imitaturus quidam Monachus, ut referunt vitæ PP. lib. 4. Filium, à ſe priùs legitimè in ſæculo genitum, ab Abbate ſuo juſſus in furnum ociùs projecit; ſed divinâ virtute illæſum extraxit. Scipio Africanus bellum gerens, oſtendit viros armatos, quos ſecum habebat, turrimque præcelſam in mari poſitam, aſſerens: nullum ex militibus adeſſe, qui non celeriùs concenſâ turri in mare ſe præcipitem daret. Pauſanias græci agminis Imperator, cùm inter ſacrificandum Mardonius Dux Perſarum inexſpectatô impetu irrueret, ſuos omnes abjectîs armîs & clypeîs, quibus ſe defenderent, juſſit quieſcere, nec priùs hoſtem depellere, quàm pugnæ ſignum audirent: quod à ſingulis tam exactè præſtitum eſt, ut licèt plurimi eorum caderent inulti, nullus tamen inveniretur, qui non auditô priùs ſignô hoſti ſeſe opponeret. O Chriſtiane Lector! quomodô confunderis, non tantùm Abrahami viri ſanctiſſimi, ſed etiam barbarorum exemplis, qui ſuperiorum juſſa diſcute- *N.34.*

scutere, & tanquam impletu nimìs gravia arguere soles. *Species contumaciæ est*, ait Petrus Bles. Epist. ad Priorem *de modo mandati inquirere, hæsitare, discernere, aut differre: in contractu enim obedientiæ non habet disputatio aut disceptatio locum; nam si in discussionem seu suspicionem ea, quæ tibi sunt mandata deduxeris, ad lignum scientiæ boni & mali manum prævaricationis extendis.* Aurum etsi metallorum omnium maximè densum sit, maximè tamen omnium tunsile, fusile ac ductile est, etiam in minutissimas partes & folia extendi se patiens, fundique in omnem typum & figuram. Talem oportet esse veræ obedientiæ alumnum; tundat superior, premat, ducat, findat, fundat, gravia aut levia imperet, ad omnem nutum & imperium se illicò obsequiosum exhibeat subditus. Hoc erat tribulato Job in extremis suis calamitatibus unicum solatium cap. 1. v. 21. *Sicut placuit Domino, ita factum est.* Quasi diceret: voluit Deus, superior meus, ferri à me gravissimas hasce ærumnas, & ecce! lubenti animô sustuli omnes, nunquam auditus conqueri gravitatem mandati, rigorem imperantis, aut excusare virium mearum imbecillitatem. *O virum!* exclamat S. Hieron. Epist. ad Demetr. *ante Evangelium Evangelicum, & Apostolicum ante præcepta Apostolica discipulum Apostolorum.* Quæso: quam heroicam præstitisset obedientiam, si vidisset Salvatorem suum ex obedientia captum à Judæis, falsò accusatum, flagellìs cæsum, spinìs coronatum, & tandem infami cruce suspensum? nónne cœli in motibus suis sunt contrarii, & tamen omnes ad unius superioris sui nutum in stupendam conspirant harmoniam? nónne elementa quoad situm & qualitatem notantur diversissima, & tamen ad supremi illius Architecti imperium illicò conjungunt singulas vires, ut universi conservent machinam? an non in te ipso reperis quoddam discordantium humorum chaos, & tamen ad unicum mandantis Domini verbulum *fiat* pulcherrimum surgit mixtum, per concordissimas discordias formatum? *Ipse dixit, & facta sunt.* Psal. 148. De te verò Christiane Lector audiatur, *superior dixit, & facta non sunt?* quia videbantur genio tuo non sapida, naturæ tuæ non nihil contraria, impletu difficiliora?

N. 35. *Considera* 2. Quod sicut Abraham victimâ suâ honoraturus Deum jusserit in pede montis servos cum Asino subsistere, & ipse solus ascenderit montem cum filio: ita oporteat, nos Deum per præces & sacrificia accessuros, seponere priùs omnem comitatum rerum temporalium, quarum memoria obsistere possit menti, in solum Deum

Deum tunc temporis elevandæ. Ut enim cordæ inſtrumenti muſici digitô tactæ diu reſonant, nî iterum tactæ compeſcantur; ita cogitationes, de temporalibus negotiis habitæ, in noſtra mente tinnitum relinquunt, qui devotioni obſtrepat, nî ante orationis initium contrariîs cogitationibûs expellantur. Hoc ipſi noverant Gentiles; hinc Templa ingreſſuris legendum objiciebant iſthoc proverbium: *Adoraturi ſedeant.* Parî de cauſa Deus Hebræis imperat: calceos deponant, ſacras ædes frequentaturi, cogitationes videlicet terrenis ab occupationibus ſordidas abigant, quando cogitant, Deo per orationem loqui. In hunc denique finem Sacerdotes Catholici altiorî nonnihil voce ſacra inchoant, dicendô: *Oremus*, ut ſic præſentium animos excitent, mentemque à terrenis abſtractam in ſolum transferant Deum: quid enim oratio, niſi *elevatio mentis in Deum?*

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 23. lib. Geneſis, in quo deſcribitur Mors Saræ, planctus Abrahami, emptio ſepulchri & ipſa ſepultura.

Conſidera: QUanta cura fuerit Abrahamo pro cadavere Saræ uxoris ſuæ: dum illud noluit inferre ſepulchris Gentilium, ſibi ultrò oblatis, ratus: injurioſum fore, tam piæ & fidelis fœminæ corpus conjungere cadaveribus impiorum; ſpecialem ergo pro ea habiturus ſepulturam, magnos impendit ſumptus emendô agrum Hethæi. O Chriſtiane Lector! ſi Abraham tam ſollicitus exiſtit pro digna requie cadaveris Saræ, in cineres reſolvendi: quantam curam te habere oportet pro requie animæ tuæ, poſt mortem corporis æternùm victuræ; ne illa damnatis in Inferno aſſociata, injuriam patiatur, nullîs unquam lacrymîs ſat deflendam? ſit ergo præcipuum tibi in hac vita negotium: tot bonorum operum & meritorum ſiclos colligere, quot requirit emendus ager ille, quem Venalem exponit Divinus ille Hethæus Chriſtus Dominus. Et hem! tam levî pretiô comparari poterit, ut regius Vates teſtetur Pſal. 55. *Pro nihilo ſalvos facies illos.* Unicô tantùm liberalî prandiô Martha ſoror Magdalenæ illum emit, & Joſephus ab Arimathæa accommodato tantùm ſepulchrô. Audi Auguſtinum in Pſal. 49. *Quid tam vile*, aſſerit ille, *quàm frangere panem eſurienti? tanti valet Regnum Cœlorum.* Audi Petrum *N.36.*

Chrysologum Serm. 8. dicentem: *Da nummum, & accipies Regnum. Da micam, & accipies totum.* quin imò: emere si non possis tam exiguò pretiò, saltem mendicare poteris, & mendicandò assequi cœlum. Taliter assecutus est infamis ille latro Dismas, qui rebûs omnibûs spoliatus, è cruce pendens, solâ oratione obtinuit Paradisum; & hinc hortatur S. Greg. Nazianz. de pauperum amore loquens: *Si nihil in substantia tua habes, quàm tibi in victu & vestitu mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere.* Quid enim oratio, nisi clavis cœli? hâc clave usa est Anna Prophetissa *Luca* 2. Non discedens de Templo, sed jejuniis & observationibûs serviens die ac nocte. Hanc clavem apprehendit, & cœlestes sibi portas reseravit nobilis ille *Cæsar. teste lib. 9. cap. 49.* qui ob vitam rapinis assuetam tandem captus, & à Friderico Imperatore patibulo adjudicatus, vivens in illo eò usque pependit, donec à transeunte milite depositus, & S. Eucharistiâ provisus, cœlum conscendit, hanc gratiam mendicandò, fusis videlicet quotidie certûs precibûs, assecutus.

N. 37. *Considera* 2. Quomodò Abraham non tantùm Saræ suæ, jam actu mortuæ; sed etiam sibi etiamnum morituro sepulchrum emerit, dandò pretium pro spelunca duplici, in cujus unam partem suum quoque corpus, vitâ functum aliquando inferretur: ut sic vitæ suæ tempore frequenter intuens sepulchrum, frequentem haberet mortis memoriam, sciens: *Beatum esse virum, qui horam exitûs oculis mentis suæ semper præfigit, & ad moriendum se quotidiè disponit* teste Gersen lib. 1. c. 23. §. 2. Ut enim cinis conservat ignem, ita mortis memoria calorem divini amoris fovet, & nutrit: atque hinc Majolus Episcopus Vulturiensis; cùm vix Aulæ tergum vertisset, adeò mortis memoriam sibi familiarem habuit, ut omnibus conclavium lateribus calvariam appenderit. Eques quidam Rhodius, ut refert Hieronymus Posius, cùm ingens Draco toti insulæ damno & terrori maximo esset, eum oppugnaturus, hâc arte bellandi usus est. Molossos duos equo suo insidens in fictum Draconem, vivo similem, crebrò exercitiò incitavit, incitatosque assuevit, animosè aggredi objectam sibi feram eamque dilaniare. Tandem assuefactos in vivum Draconem eduxit tam felicî successu, ut immanis bellua laceratîs per Molossorum dentes genitalibûs mortua ante pedes equitis caderet. O Christiane! canes tui sunt potentiæ & passiones animæ tuæ, quas oportet crebrò exercitiò contra mortis simulachrum in aciem educere, fiet inde: ut in ipso

ipſo mortis adventu nihil habeas, quod pertimeſcas mali, ſed felicî victoriâ transeas ad perennem vitam. Ita ſe geſſit Godefridus ex Comite Capenbergenſi Monachus Præmonſtratenſis, qui ſociis in itinere pauſantibûs, ipſe membra ſua ſcamno impoſita, eum in modum compoſuit, quem in mortuis cadaveribus ſepulchro inferendis videmus, quô exercitiô affecit: ut mortem ſibi adventantem intrepidus exciperet, conſolans ipſe fratrem ſuum germanum mœrentem hîs verbis: *Idcircò mi frater propter Deum univerſa abdicavimus, quia nos ad hujus horæ neceſſitatem perventuros, hoc eſt, morituros, certiſſimè noveramus, præoptantes atque ſatagentes, ne hujus nos procella diſcriminis obruat imparatos. Amplectamur ergo hanc à corpore peregrinationem, faciamus de neceſſitate virtutem, gaudentes & gratias agentes, quòd de labore ad requiem, de miſeria ad beatitudinem transmigramus.* Surius 13. Jan.

Doctrina 3.

Deſumpta ex cap. 24. lib. Geneſis, in quo deſcribitur Legatio Abrahæ pro conjugio Iſaaci &c.

Conſidera 1. ALteram ſollicitudinem, quam habuit Abraham, ſervum ſuum Eliezer adjurandô: ne Iſaac matrimonio copulandum, duceret in Patriam à ſe olim imperante Deô relictam, ne videlicet ejus innocentia à malis incolarum moribus corrumperetur. Dices inde Chriſtiane: quid mali immineat à malo conſortio hominibus etiam optimis. Proh dolor! quoties cernitur adoleſcens aliquis, qui in Eccleſia frequens in oratione aſſiduus paulô ante reperiebatur, jam vix ullum Chriſtiani hominis ſignum dare. Unde hæc metamorphoſis? à pravo conſortio, à malorum ſocietate. Non enim tam citò arida ſtuppa flammam concipit, quàm vitæ juvenum à perverſis ſociis pervertantur. Miraberis: Joannem Baptiſtam à tertio ætatis anno inter ſylveſtres beſtias commorantem, nil unquam mali ab illis paſſum; mirandum potiùs fuiſſet, ſi ab ea ætate inter mundanos commoratus, mundam ſervâſſet conſcientiam. Hinc prodigiorum inſtar ſunt vitæ Job, Loth, Tobiæ & Noë, quas conſtat inter reprobos non reprobô modô fuiſſe transactas. Intellexerat hoc ipſum Ariſtippus, qui teſte Strobiô Serm. 35. quæſitus: quid in vita admirandum foret? reſponſo dedit: *Vir bonus inter improbos.* Eâ de N. 38.

causa divinus ille Præco Moyses miraculum exstitisse ait: filios Core in domo rebellis & scelerati parentis positos à seditione fuisse immunes, & hinc non parî ruinâ perditos. Non dispari modô miraculum grande evenisse crediderat senex ille Eremita, qui, ut memorat *Pratum Spirit. c.* 194. Videns juvenem, Alexandriæ ingredi cauponam, exspectabat egredientem, & seorsum hîs alloquebatur verbîs: an nescis Domine frater, quia habitum angelicum fers? ignoras, quia juvenis es? nescis, quia per oculos & per aures & per figuras varias Monachi in civitatibus læduntur? &c. cui ille: *Perge Senior: Deus non quærit, nisi cor mundum.* Hæc audiens elevatîs in cœlum oculîs ac manibûs, altum suspirans Senior exclamat: *Gratias tibi Deus! ecce enim habito in Scythia jam annos 55. & mundum cor, non habeo: hic autem in tabernis conversans cordis munditiam possidet.*

N.39. *Considera* 2. Quòd sicut Eliezer Abrahæ servus exin cognoverit: Rebeccam esse electam, à Deo Isaaci sponsam, quòd potum aquæ frigidæ tam liberalî & promptâ manu propinaverit sitienti: ita signum prædestinationis, & ineundi aliquando cum Christo æterni matrimonii esse liberalitatem & misericordiam, indigentibus exhibitam: in extremo enim Judicio prima inter quæstiones audietur ista: *quid comedit pauper?* & juxta effatum Christi mercedem non perdet, qui sitienti dederit potum aquæ frigidæ. *Manus pauperis*, ait S. Chrysost. in Homil. de jejun. & eleemos. *est Abrahæ sinus, ubi quidquid pauper acceperit, mox reperit. Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit cœlum.* In generali excidio Jerichontinæ urbis unica domus Rachab, etsi mulieris veneri turpissimè servientis, servata legitur, cæterîs omnibûs in cineres redactîs: unicam salutis hujus causam fuisse ejus misericordiam novimus, quam exploratoribus Josue, civitatem ingressis, exhibuit. Habuit ergo meretrix, ob scelestem vitam flammas jam dudum promerita, certum salutis signum in eo positum, quod indigentibus præbuerit auxilium & asylum. Quid autem dictæ urbis excidio comparari poterit similius, quàm horrendum illud incendium, quod reprobos omnes in fine mundi divini illius Josue jussu involvet? planè nullô peccatore hanc ruinam evasurô, nisi qui promptam habuerit manum ad succurrendum miseris. Vis causam nosse: cur Balthasar Rex à lauto convivio transierit ad tam funestam mortem, & inde ad externos Tartari ignes, pascendus liquefactô plumbô & ære? lege *Danielis cap.* 5. & invenies:

nullum

nullum ex pauperibus illis aſſediſſe epulis ſed Magnates tantummodò & nobiles; & hinc Dæmoni in corpus & animam Regis hujus poteſtatem eſſe factam. Hoc perpendens S. Chryſoſt. Homil. 45. in Acta Apoſt. ait: *Sit cuſtos domûs tuæ pauper, ſit tibi murulus & ſpiculæ, ſcutum ac lancea: ubi enim eleemoſina eſt, non audet accedere Diabolus.* Quæris: cur dives ille epulo tot pecuniîs aliam ſibi non emerit ſepulturam, quàm ſtygios rogos, è quibus tam miſerabilî ejulatû unicam tantùm aquæ guttulam rogaverit Abrahamum? en reſpondet illicò S. Auguſtinus vices agens Abrahami, epulonem è cœlo ſic alloquentis Serm. 227. de temp. *Quid faciam tibi? eleemoſinas non feciſti, quæ peccatorum tuorum pœnas extinguerent: interveniant pro te pauperes, quidquid petieris, dono.* Vide ergo, quàm certum prædeſtinationis ad vitam æternam ſignum habeat, quisquis promptam ad dandas eleemoſinas manum habet.

Doctrina 4.

Deſumpta ex cap. 25. lib. Geneſ. in quo deſcribitur Proles Abrahæ & Iſraëlis, Jacobi & Eſau.

Conſidera 1. QUòd ſicut Abraham filiis concubinarum ſuarum paternæ hæreditatis locô aliud non reliquerit, quàm munera quædam, ita Deus perverſis Chriſtianis pro cœleſtibus gaudiis, quæ hæreditatis inſtar ſolis præparat prædeſtinatis ad gloriam, conſignet quasdam fortunas temporales, dignitates, delitias & divitias hujus mundi, queîs ſpatio fruantur. Hinc Chriſtiane Lector, ſi pauperem multisque indigentiîs repletam vitam vivere cogaris, cogita: exſpectare te alibi hæreditatem paternam, æternùm poſſidendam. Sicut falco dum vivit, aucupis manu geſtatur, mortuus ſterquilinium pro ſepulchro habet: gallina verò quamdiu vivit, in angulis domûs aut ſtabuli deliteſcere cogitur, occiſa tamen in argentea patina Regum menſis infertur: ita malis hominibus in hac temporali vita datur ad genium vivere, bonis autem non niſi miſeri & triſtes lucent ſoles; ſed eorum mortes ſequitur longè diſpar ſcena, quàm altâ mente conſiderans Paulus exclamat 2. Corinth. 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudiô in omni tribulatione noſtra.* Paulum imitata Agatha Virgo & Martyr ibat lætiſſimè & glorianter ad carcerem, *N.40.*

& quasi ad epulas invitata agonem suum precibûs Domino recommendabat. S. Thecla post superatas fidei defendendæ causâ immanes belluas, ignem & carceres, animô plusquàm virilî talibûs alloquebatur Deum verbîs: *Ecce me ô Christe! ecce! paratam omnibûs vitæ diebûs ad quævis vincula & carceres pro nomine tuo sustinendos, & pro majori semper gratia ac favore habebo, quàm si quibûscunque mundi thesaurîs & delitiis daretur perfrui &c.* Quid quæso prædestinati aliud sunt, quàm granum in area Domini repositum, quod excutitur, ut in cœli granario reponatur? quid aliud sunt, quàm prætiosi lapides Templi, qui dolantur, scalpuntur, poliuntur, ut ad æternum deserviant hujus loci ornatum? olim hæreditates funibûs dimetiebantur. Funes isti adversitates sunt, è quibus Christus electis præparat flagella, ut eos temporaliter percutiendô, hæredes faciat cœlestium voluptatum. O chari funes! ò benedicta flagella! per quæ electi trahuntur ad cœlum! ò felicia verbera, quæ ad æterni sponsi oscula pios fideles promoveat! eadem hêrcle manus, quæ ad parvum temporis spatium flagellat, tota æternitate illos demulcebit: eadem dextera, quæ terrena abripit bona, æternas illis divitias dabit: idem Dominus, qui nunc in exilium illos mittit, revocabit eos ad patriam, æternùm possidendam. Idem denique Pater, qui illos temporalî hæreditate privat, æternos illis thesauros, quos nec & rugo, nec tinea demolitur, præparat.

N.41. *Considera* 2. Quas cruces & ærumnas status conjugalis comites secum ferat; quis enim non credidisset, omnem fortunam cum tam speciosa & morigera puella Isaaco nupsisse? sed quàm contraria huic exspectationi tulit eventus: siquidem Rebecca non tantùm viginti annîs probrosâ laboravit sterilitate, sed tandem fœcundata, ut parere voluit, fatalibûs fuit oppressa doloribûs. Rectè igitur S. Ambrosius existimat: *Nuptias à nube* originem suam traxisse: ut enim nubes præsagiunt tempestates, ita Nuptiæ indicant tempestatem illam, quam sat claris describit verbîs gentium Doctor 1. Corinth. 7. asserens: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Atque hinc S. Hieronymus Virgines ob puritatis candorem *Liliis*, conjugatos verò ob carnis tribulationem *Spinis* assimilare consuevit. Ingeniosam, & proposito nostro accommodam quidam affert causam: cur Deus Adamo daturus conjugem, ei immiserit saporem, testante id scripturâ Genes. 2. *Immisit saporem in Adam.* Putat autem, id ex magna compassione, erga Ada-

Adamum habita, factum eſſe, quaſi dicens ei: nunc quieſce, & eſto ſine ſenſu, brevi enim habiturus uxorem, nullam ampliùs diem aut noctem quietam & doloribûs immunem habebis. Factum magnô ſtupore dignum obſervat Rupertus Abbas in Patriarcha Abraham: dum Matrimonio copulatum cogitat; frequentiùs à Deo viſitatum: hâc verò viſitatione deſtitutum eſſe, quando dulciſſimâ conjuge orbatus, viduum agebat in Hebron. Notandum inquit in Geneſim ſcribens lib. 6. cap. 33. *Quia Deus ulteriùs Abraham apparuiſſe non legitur.* Unde hoc? nunquid Sanctiorem vitam duxerat fruens uxore, quàm eâ privatus? Celada in cap. 4. Judicum dubiæ quæſtioni reſpondet, dum ait: *Ego quidem exiſtimo: Abrahamum uxore ſuperſtite eguiſſe tot diviuîs inſpirationibûs ne ſuccumberet Matrimonii mole oppreſſus.* Non diſparî de cauſa videtur Chriſtus Dominus interfuiſſe Nuptiis in Chana Gallileæ celebratis: ut videlicèt ſuâ præſentiâ, & gratiîs ex ea manantibûs Conjuges fortiores redderet ad ſufferenda Matrimonii onera, ad portandas cruces, ad decoquenda tædia. Philoſophus quidam Theodatus nomine dicere conſueverat: duas res reperiri, quas naturalî inſtinctu appetant omnes; obtentîs tamen illîs maximè doleant. Unum ex his ſenectutem eſſe, alterum Matrimonium. Sententia planè veriſſima & innumerîs exemplîs probata. Vide ergo Chriſtiane Lector quid agas, ſi nunc vitam cœlibem agis? ne te ſerò pœniteat, hunc ſtatum reliquiſſe.



FASCI-

FASCICULUS VII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 26. lib. Genes. in quo describitur peregrinatio Isaac ejusque Benedictio, puteorum apertura.

N. 42. *Considera:* CHristianum hominem Viatorem hujus mundi, ut suo satisfaciat muneri & officio, debere se ita gerere, ut dici de illo valeat, quod dicit de Isaaco S. Scriptura hujus cap. v. 13. *Ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* In Baptismatis Lavacro efficimur oves tonsæ: quia veteris Adami terrena indumenta exuimus, induentes novi Adami candorem; inde ascendendum instar gregum tonsarum Canticorum 4. v. 2. de virtute videlicet in virtutem. *Nulli servo Dei in eodem statu diu esse conceditur*, ait S. Bernardus Epist. ad ff. de vita solit. *Aut semper proficiendum, aut deficiendum est: aut sursum nititur, aut ad inferiora urgetur.* Ut quis cœlo dignum se reddat, parvulos imitetur necesse est Matth. 18. At quid parvulis à natura magis inditum, quàm omni tempore, dormiant sive vigilent tacitis augmentis crescere, & in statura progredi? quare etiam Christus Dominus discipulos suos non viros, sed pueros appellat. Joan. 21. dicens: *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* pueros inquam appellat, ut sicut illi in corpore, ita discipuli in virtute incrementa acquirant. Quamdiu hîc vivitur, nulli Christiano fas est exclamare cum Petro Matth. 17. *Bonum est nos hîc esse*, sufficit has & has virtutes obtinuisse: sed obtemperandum verbis Christi: *Ecce! ascendimus Jerosolymam*, non corporis gressibus, sed virtutum exercitiis. Completô hujus peregrinationis cursu, non ante auditur: *Dormite jam, & requiescite.* Matthæi 26. Regius Vates plurimos annos consumpserat in virtutis studiô; erat in precibus assiduus, in charitate erga Deum & proximum igneus, in mortificatione continuus. Verbô in omni bonorum operum exercitio indefessus; nec tamen unquam sibi quiescundum ratus, exclamabat quotidie. *Dixi, nunc cœpi* Psal. 76. quærit Joannes de S. Geminiano; cur cœlestis sponsus dilectis-

lectiſſimæ ſuæ ſtaturam palmæ potiùs, quàm alteri aſſimilârit arbori, inquiens Canticorum 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Quid enim præ aliis natura dedit huic arbori ? ſed ingenioſè ociùs reſpondens ait: palma quô annoſior, eò fructuoſior. Arbores reliquæ cùm proficiunt ætate, deficiunt fructu, ſteriles effectæ; palma verò quô magis creſcit ætate, creſcit fertilitate magis. Talem ergo ſe exhibeat Chriſtiana anima, ſi Sponſæ Chriſti nomen & omen habere cupit: quò plures in ætate numerat annos, eò plures in ſpirituali profectu virtutes numeret: ne dum non progreditur, regrediatur. *Juſtorum ſemita*, ait ſacer textus Proverb. 4. *Quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.* Juſtus proinde dici non merebitur, qui adeò ſibi de obtenta Juſtitia blanditur, ut quò ulteriùs creſcat ipſius Juſtitia, non inveniat. Non comprehenſores in hac vita Juſtitiæ, ſed ſectatores beatos prædicat divina ſapientia: *Beati qui eſuriunt Juſtitiam &c.* Et hinc non ſe terminum ſed *viam* nominat, inquiens: *Ego ſum via:* ad quem autem finem datur via, quàm ad proſequendum iter? æmulari nos oportet Cherubica animalia, quæ in admirando ſuo raptu viderat Propheta Ezechiel c. 1. aſſerens: *Non revertebantur, cùm incederent; ſed unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur.* Age igitur Chriſtiane Lector in ſtadio perfectionis poſite, gradiaris & tu tot virorum illuſtrium exempla ſequens, qui illud ſtrenuè gradiebantur non reverſi ad vitia, quibus ante aſſueverant. Non ſit tibi moleſtum, in hac progredi ſemita, quando æternâ quiete frui poteris in meta, dicturus aliquando cum gentium Doctore: *Curſum conſumavi*: ſtadium longum non eſt, quod vix punctum vocari poterit reſpectu termini, qui te curſorem exſpectat. Tunc autem, quod in curſu tuo neglexeris, totâ æternitate non reparabis ampliùs. Curre igitur velociſſimè, quia tempus, quod curſui tuo deſtinatum eſt, non currit tantùm, ſed evolat, & de hodierno die te non facit certum. *Currendum ergo & agendum eſt modò, quod in æternum expediat*, hortatur me & te ſanctiſſimus & perfectionis ſtudioſiſſimus meus Legislator S. Benedictus in ſua Regula.

Conſidera porrò: Quomodò Deus impiis tanquam inſtrumentis utatur, quibûs juſtos in vita cruciet: ſic enim Palæſtinis uſus eſt ad vexandum Iſaac, dum ei puteos à Servis Abraham olim effoſſos obſtruxêre. Verùm ſicut Iſaac illatam ſibi injuriam æquô ſupportavit animo, novos fodiendô puteos, ita nos Chriſtianos docet; quâ mente

te ferre debeamus cruces & injurias, ab impiis inferendas, nec inde moveri, ut à piis operibus & virtutum exercitio desistamus, sed continuò novos puteos meritorum aquîs repletos comparemus, audituri, quod audiit Isaac v. 24. hujus cap. *Noli timere, quia ego tecum sum.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 27. lib. Genes. in quo describitur Paterna Benedictio data Jacobo, & inde exorta indignatio & invidia Esau.

N.43. *Considera:* QUàm verissimè mellifluus Doctor invidiam nominet *malum intestinum & domesticum*, Serm. 29. in Cant. Non enim extraneorum pectora, sed etiam proximè cognatorum fatalî inficit venenô, ut suô exemplô hîc docuit Esau, Germano suo paternam Benedictionem invidens, ad quam tamen Jus omne jam antea vendiderat. O insensate Esau! quid tot in fronte rugæ? quid tuus in vultu pallor, in labiis tremor, in dentibus stridor, in ore murmur, in manibus jactantia tibi proderit? nunquid per hæc invidiæ tuæ signa parentem movebis, ad revocandam Benedictionem Jacobo semel datam? hoc tantùm agis, ut tortorem & carnificem tui agas: an enim nescis invidiam ferro similem esse, quod à sanguine, quem fudit, rubiginem attrahit, à qua exeditur? nonne invidia priùs in propria sævit viscera, quàm lædat proximi bona? hinc effatum est regis sapientissimi Proverb. 14. *Putredo ossium invidia.* Omnia alia vitia à boni cujusque specie aut voluptate ortum habent, sola invidia ex sui tormento. Quare Curtius l. 8. asserit: *Invidi homines nil aliud sunt nisi ipsorum tormenta.* Enim verò si quæras avarum Euclionem: cur tam sordidè vivat, dies noctesque sine quiete transigat? reponet: recreari oculos suos, pascique fulgore auri argentique, quod in Arca repositum cernat. Ambitiosum si interroges: cur totiès terat Aulæ limina? sit in labore tam assiduus, in servitio tam infatigabilis? reponet ille: nil in humanis rebus gloria & honore, quem obtenturum se speret, majus esse. Si scisciteris ex helluone: cur in bestiam degenerans, adeò se cibîs & potu ingurgitet, non ægrè ferens dolores capitis, debilitates stomachii? reponet ille: *Vinum lætificat cor hominis.* Verbô: cuilibet vitio videtur inesse utilitas ac delectatio aliqua, sola invidia hîs caret. Anacharsis invidiam *feram* nominare consueverat,

rat, quæ animam non ſolùm in multas partes divideret, ſed crudeliſſimîs dentibûs laniaret. Dionyſius Siciliæ tyrannus priusquàm hoſtes ſuos è medio tolleret, eorum fortunas æmulis tranſcripſit, ut invidiâ acriùs, quàm ipſâ morte torquerentur. Audierat Saul hanc puellarum cantilenam: *Percuſſit Saul mille & David decem millia*, & invidiâ correptus, quidquid gloriæ de proſtrato Goliath Davidi acceſſerat, quaſi violenter ſibi detractum ratus, irâ inflammari, torvîs oculis generum intueri, quin etiam de ipſius cæde jam conſilia agitare incipit. Non ſapiebant ampliùs cibi, non muſica aures recreabat: ſed livore & bile ebrius, integras noctes inſomnes duxit, ægrè trahens ſpiritum, crebrîs ſuſpiriîs interceptum. Miſerrimum invidi hujus ſtatum perpendens S. Hieron. in c. 13. lib. 3. Reg. ait: *Cur Saul iraſceris, & laus patriæ Salvatoris tibi diſplicet? jam cum tigre nobis ſermo eſt non cum homine: & qui tigris invidiâ evaſerat, mores illius imitabatur in cantu fœminarum.* Sicut ergo tigres muſicô concentu in furias agi ſolent, & ſi non habeant aliud, quod lacerent, in propria viſcera ſtringunt ungues: ita Saul auditâ Davidis laude; cùm eum haſtâ lædere non poſſet, ſe ipſum macie conficere cœpit paulò poſt lanceâ interemptus. Concludo hanc Doctrinam verbîs S. Auguſtini Serm. 83. de temp. dicentis: *Conſideret unusquisque conſcientiam ſuam: & ſi videt proſperitate proximi ſui ſe invidiæ venenô percuſſum, evellat de pectore ſuo ſpinas & tribulos, ut eo ſemen Domini, quaſi in fertili agro multiplicatâ ſegete luminis concipiatur, ut amaritudo invidiæ Chriſti dulcedine leniatur*

Cæterùm ſicut Jacob non potens vocem ſuam mutare, quæ ab intrinſeco provenit, ſed tantùm mutare valens externam manuum ſpeciem, meritò ſibi timere debuit de futura parentis maledictione: ita timeat maledictionem Chriſti Chriſtianus homo, qui cernens proximi fortunam, ei quidem applaudit ſignîs externîs, fovendô interim in mente livorem & invidiam.

Doctrina 3.

Deſumpta ex cap. 28 lib. Geneſ. in quo deſcribitur Myſtica Scalæ Viſio peregrinantis Jacobi, Benedictio & Votum.

Conſidera 1. QUòd Electi piique homines à reprobis & impiis perſecutionem patientes, gerere ſe debeant inſtar Jacobi, *N.44.*

bi, qui auditô matris & patris, fugam suadentium, consiliô, abiit è paterna domo in Mesopotamiam. Haud secùs illi persecutionis tempore per suspiria & fervidas preces iter arripiant in cœlum, rogandô Deum: ut ipsis patientiam uxoris locô conjugat, ad generandum ex ea multorum meritorum proles. *Nihil* enim *utilius*, ait Ruffinus Presbyter in Psal. 60. *potest facere servus Dei*, quem necesse est in hac vita pati, *quàm orare*. Est enim oratio mystica illa scala, quæ se spectandam dedit Jacobo dormienti, & per quam descendentes vidit Angelos, ad ferenda auxilia à Deo missos. Est brachium illud per quod instar Jacobi per totam noctem hujus vitæ colluctamur Deo, non dimittendô eum, donec benedixerit nobis. Est clamor ille Israëliticus, qui durâ servitute pressos, & extremam persecutionem à Pharaone passos, libertati restituit. Est cithara illa Davidis, quæ spiritus infernales in fugam abegit. Est ros ille cœlestis, qui fornacis Babyloniæ flammas & incendia extinxit. Dic quæso Christiane Lector: an aliqua necessitas in terris unquam reperta, quæ per ipsam non fuerit sublevata? fugitivus ex Ægypto populus gravi ciborum penuriâ in deserto cœperat vexari: Sed en! *petierunt, & pane cœli saturavit eos*: dum angelicis coctum manibûs manna in castra eorum cecidit. Devoratus ab immani ceto Jonas sibi haud dubiè moriendum credebat, sed *oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre ceti*, & incolumis evasit. Oravit Abraham, & in decrepita ætate filium impetravit. Oravit Joseph à fratribus venditus, ab Hero suo in carcerem compactus, sed libertatem cum grandi Pro-Regis Titulo obtinuit. Oravit Moyses, & contra se assurgentem Abimelech stravit, aut in fugam abegit. Oravit sterilis Anna, & Prophetæ celeberrimi effecta est mater. Oravit Sara, & Asmodæum superavit. Oravit Esther, & populum suum jam ad mortem damnatum liberavit. Oravit Judith, & de Holoferne Victrix sola Bethuliam in tuto posuit. Oravit Daniel, & famelicos Leonum dentes compescuit. Oravit demum Ecclesia (ut innumera præteream exempla) pro libertate Petri, & quantocius adfuit angelus, qui eductum de carcere neci eripuit. Liceat ergo mihi cum Augustino tract. de mis. to. 10. exclamare; *quid est oratione præclarius? quid vitæ nostræ utilius.*

N.45. *Considera* 2. Quòd si Deus tantum Cultum & Reverentiam voluerit impendi loco, quem in hac visione spectandum dederat Jacobo, quantum cultum & reverentiam impendi velit locis, quos realî cor-

corporis & Sanguinis ſui præſentiâ ſanctificat? quis ſtabulum Bethlemiticum ingrediens, ipſius loci non ſummâ veneratione tangeretur? quis factum illud Adriani Imp. prorſus ſacrilegum non deteſtaretur? qui, ut loci hujus Religionem tolleret, in eo ſtatuam Adonidis erexit. Nunc verò in Templis, ubi Deus noſter non unô vel alterô die, ſed per integra ſæcula corporaliter reſidet, novos Adonides erigunt Chriſtiani toties, quoties Templa in veſtitu & geſtibus diſſoluti, in oculis curioſi, in verbis procaces frequentant. Tales alloquens S. Chryſoſt. Homil. 24. in Matth. ait: *Quid facis ô homo? mulieris ſpeciem confuſiùs in Eccleſia perſcrutaris, nec horreſcis: tantâ Dei Templum afficiens contumeliâ? Proſtibulum tibi videtur Eccleſia & forô ignobilior: nam in foro erubeſcis, etiam times, ne quis te videat, mulierem ſectari. In Eccleſia verò Dei, cùm ipſe Deus te alloquitur, & ab iſtis deterreat, eô ipsô tempore maximè fornicatione & adulterio uteris &c.* Filii Aaronis contra Religionis ſuæ Jura alienum ignem auſi in Templum deferre, flammîs conſumpti ſunt: quô ſuppliciô fuiſſent puniti, ſi etiam impurum ignem intuliſſent? & tu amoribus addicte juvenis in ipſum Dei Sacrarium & Sancta Sanctorum non vereris libidinoſas inferre faces, & inſanæ cupiditatis excitare incendia? ea eſt Turcarum in ſuas Moſchæas Reverentia, ut nullum in eis patiantur canem: & tu Chriſtiane Deo incarnato appropinques, non tantùm inſtar canis, ſed etiam inſtar ſordidiſſimi porci te habendô; dum immunditias, quas illi è cœno deferunt in corpore, tu à libidine defers in pectore & mente? at demus, te Chriſtiane Lector non horum è numero eſſe, qui venereîs actibûs Templa conſpurcant: hos tamen inter vix non unus eris, qui in Templo garrire, ridere, dormire præſumunt? Rotgerus Monachus refert de S. Brunone Archiepiſcopo Collonienſi, quòd Sanctus iſte inter ſuum fratrem Henricum & Cunonem affinem nimiam colloquendi familiaritatem cernens tempore Miſſarum, præſagô ſpiritu eis prædixerit: ò! in quantam inimicitiarum amaritudinem iſta in hoc tempore tremendo malè parta contubernia reſolventur! pœnam hanc docuit eventus Suriô teſte 11. Octob. dum Cuno Hungaris ſe jungens, Henrici & Imperii juratiſſimus evaſit hoſtis. Non putas forſan: ridentes in Templo puniri? audi, quid memoret Rupertus Abbas Tuitienſis in vita S. Heriberti. Cùm Epiſcopus Argentoratenſis in Miſſa *ad Pax* vobis effuſiùs riſiſſet, in prandio eô laterum dolore correptus eſt, ut intra paucorum dierum ſpatium mortuus plangeretur, punitus in membro,

quod sedes risûs est. Pro dormientibus in Ecclesia, vindictam Dei pariter non dormire, testatur Surius 17. Febr. Dauserius Diaconus in Templo commorans, cùm B. Constabilis Abbatis Cavensis sepulchro innixus, tantisper caperet somnum, apparentem sibi illicò conspicit sanctum, qui asserit: *Quare de sepulchro meo facis grabatum?* Diaconus terrore quidem excitari, sed paulò pòst sui iterum oblitus, obdormire incepit. At illicò à Beato audiit: *Nonne tibi prohibui, ut de sepulchro meo, non faceres tibi grabatum?* his auditîs ociùs è somno surgens, brachium suum adeò contractum sensit, ut ejusdem movendi omnî careret facultate: facti tamen pœnitens, & supplex sancto factus pro sanctitate, pristinas brachii vires obtinuit. Has pœnas considerans perge nunc garrire, ridere, aut dormire in Templo, si putas, paribûs pœnîs te non posse à Deo affici.

Dòctrina 4.

Desumpta ex capite 29. lib. Genes. in quo describitur adventus Jacobi ad Laban, servitus, Nuptiæ cum Lia & Rachel.

N. 46. *Considera:* PEccatori ad Deum convertendo occurrere Pastores ovium, Presbyteros Ecclesiæ: qui, ut spem veniæ à Deo obtinendæ ipsi faciant, & sic ad veram pœnitentiam ipsum disponant, monstrant ei speciosam Rachelem, divinam videlicet Misericordiam; quâ cum Jacobo conspectâ peccator, per sinceram scelerum suorum confessionem amovet à puteo pectoris sui grandem illum *taciturnitatis* & *verecundiæ* lapidem, quô os ejus fuerat à Dæmone clausum. Occurrit ei postea Christus Dominus instar Labani, ad se conversum gratiæ osculô salutans, & cibans suô corpore alloquitur verbîs v. 14. hujus cap. à Jacobo auditîs: *Os meum, & caro mea &c.* Quòd si dein in regendis ovibus suarum passionum fidelem & indefessum reperit servum, promittit, se ei in sponsam daturum pulcherrimam *Rachaelem*, æternam gloriam, postquam *Liam*, vitæ activæ figuram, plurium meritorum fœcundam matrem in hac mortali vita sibi priùs copulaverit. Dum hîc Christiane peccatori suadeo sinceram confessionem, apud Ecclesiæ pastores deponendam, quæres ex me: quas conditiones requirat ritè peragenda confessio? respondurus dico imprimis: Sinceram veramque confessionem talibûs terminîs instituendam, ut eam exci-

excipiens in claram peccatorum omnium (quod ſpeciem & numerum concernit) notitiam deveniat, eſt pro dolor! reperire aliquos, qui adeò obſcura methodô in explicandis ſuorum criminum ſordibus utuntur, ut confuſus auditor neſciat, quid judicet. Accuſant ſe in genere, quando forent declarandæ ſpecies. Sub dubio rem fatentur, quandò certitudinem cognitam habent. Culpam in alios, puta in ſervos vel uxores transferunt, quam ſibi imputare ſolis deberent. Confeſſionale accedunt non præmiſſô ſcrutiniô, quod totum confeſſario relinquunt: ut brevitatis gratiâ alios modò ſileam errores, quos Theologi ſubſtantiales vocant, vel ex defectu requiſitæ contritionis, vel propoſiti emergentes. Verùm quàm parum illi ſuo ſatisfaciant officio colliges exin: quòd Sacerdos in confeſſionali tum Medicum, tum Judicem agat. Sed quis medebitur vulneri, non ſatis detecto? *Quod enim medicina ignorat, non curat*, ut aſſerit Trident. Seſſ. 14. cap. 5. Quis Judicum feret juſtam ſententiam ſuper rem, quam non habet debitè perſpectam? audierat Pilatus, multîs vocibûs conclamari: Chriſtum malefactorem eſſe; ſed generalî hâc accuſatione non ſatur, ociùs interrogat: *Quid ergo mali fecit?* hinc regius David non genericè tantùm, ſed ſpecificè ſe confeſſum teſtatur, exclamans: *Delictum meum cognitum tibi feci, & Injuſtitiam meam non abſcondi*, in quæ verba S. Greg. *plus eſt*, inquit, *delictum cognitum facere, quàm manifeſtare: ille enim delictum cognitum facit, qui non ſolùm quod fecit, annunciat, ſed etiam peccati cauſam & originem narrat, qui non ſuperficietenùs peccatum loquitur, ſed & quando, & ubi, & quomodo, & ſi vel ex ignorantia, vel caſu, vel ſtudiô deliquerit, confitetur.* Errat, & vel maximè errat, qui culpam, quam fatetur in alios rejicit, Saulem imitans: Is cùm à Samuele Propheta deprehenſus, negare non poſſet, ſe peperciſſe melioribus in exitio Amalech 1. Reg. 15. culpam ſubditis imputavit, aſſerens: *pepercit populus melioribus ovibus & armentis, ut immolarentur Domino.* Errant pariter, qui propriæ accuſationis capaces, hoc onus in confeſſarium transferunt. Cur enim Protoparens noſter & filius Cain ad ſui accuſationem provocati, à Deo redarguti, & puniti fuêre? reſpondet Auguſt. Serm. 19. de Sanctis: *Si Adam humiliter ſe accuſâſſet, & in authorem ſuam culpam non retorſiſſet, à paradiſo non exulâſſet.* De Cain verò Ambroſ. aſſerit Orat. 5. Adverſus Judæos, quòd quidem faſſus ſit: majorem eſſe iniquitatem ſuam, quàm ut mereatur veniam; peccatum tamen non eluerit. Rationem annectit: *Hic autem non dixit prior, ſed exſpectavit, donec redargueretur à Deo;*

quin

quin potiùs illô redarguente negavit. Scruteris nunc: an confessiones tuæ nullum habeant ex his errorem? & si aliquem deprehenderis, corrige.

FASCICULUS VIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 30. lib. Geneseos, in quo describitur sterilitas Rachaelis & inde concepta tristitia, partus Josephi.

N.47. *Considera:* QUòd si tam probrosa fuerit in lege naturæ corporum sterilitas; adeò, ut infœcunda Rachel marito suo conquesta sit: *Da mihi liberos, alioquin moriar!* quàm probrosa in lege gratiæ existat animarum sterilitas, in hoc sita: quòd homines à tempore Baptismi, & ibi initi cum Christo Matrimonii, aut nullos aut raros dederint solidarum virtutum fructus, & inde nata merita. Proposita quidem numerantur plurima, quæ quilibet dante Deô & instigante Angelô tutelare concepit: at illa nunquam ad maturitatem & partum pervenêre juxta illud Isaiæ c. 37. *Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi.* Non sufficit cœlesti sponso, ut ipse testatur Cant 7. Videre *si floruerit vinea*, sed cupit videre: *Si flores fructus parturiunt.* Florent autem tantummodò vineæ, cùm fidelium mentes bona proponunt opera: sed fructus deest, si propositis in effectum deducendis desit labor; nam homines imitantur arbores, quarum virtus & valor non ex floribus, ramis & foliis, sed ex fructibus *teste Christô Dominô* cognoscitur. Sæpè propositum bonum, quod in aurora prodiit, jam in meridie occubuit. Auditum à multis manè Davidicô ore: *Non movebor in æternum;* sed antequam sol declinâsset in vesperum, de talibus pariter auditum est: *Avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* O quàm generosô propositô in ultima cœna exclamavit Petrus: *Domine paratus sum, tecum &*

& in carcerem & in mortem ire: ſed eâ etiamnum nocte ò quàm frigidô ore reſpondit? *Non novi hominem* Matthæi 26. Vide Chriſtiane Lector: an non & anima tua parvî defectu laboret, prompta in concipiendis propoſitis, tarda in parturiendis? metuendum ſanè, ſi ad extremum vitæ tuæ ventum fuerit; te agnita ſterilitate tuâ cum Rachel dicturum Chriſto: *Da mihi liberos*, virtutum videlicet merita, ſine quibus nemini datur cœleſtis gloria, *alioquin moriar*, morte planè non aliâ, quàm æternâ. Reponet tunc Chriſtus: Proverb. 1. *Vocavi, & renuiſti &c.* ut autem Rachel longam ſterilitatem perpeſſa, tandem Joſephum adepta, noluit ſaturari unicô partu, ſed ociùs rogavit dicens v. 25. hujus cap. *Addat mihi Deus alterum.* Ita oportet Chriſtianam animam, quæ ſublatâ ſemel moralî ſterilitate parere cœpit virtutes, non ſaturari unius aut alterius partu: ſed aſſequendis omnibus continuò allaborare. Hinc Chriſtus Diſcipulos ſuos Joan. 15. Non alloquitur: ego vos elegi, ut obtentâ unâ vel alterâ virtute aſſideatis dextræ & ſiniſtræ meæ, *ſed ut eatis, & fructum afferatis.* Quæ verba explicans S. Fulgentius Epiſt. 4. ad prob. ait: *Sicut autem, qui ad patriam tendit: donec perveniat, ſemper habet, ubi ambulet, ſic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore conſtituti peregrinamur à Domino, præſens vita nobis via eſt, in qua ſemper habemus, ubi poſſimus proficere, donec Deo perducente ad illam valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam pervenire.* Eodem in capite memorat Chriſtus: divino parenti per hoc ipſum gloriam acceſſiſſe, quòd parturiendis identidem fructibus virtutum inſtiterint, evaſuri per hoc indefeſſum virtutis ſtudium in genuinos ſui diſcipulos: *In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* Celeberrimus ille Apocalyſeos Commendator Viega Com. 2. Sect. 9. Præpoſterum notat modum loquendi, quando Verba Iſaiæ conſiderat, quæ ejus cap. 27. Legenda reperit, de ſervis Dei, in lege gratiæ futuris dicta: *Florebit, & germinabit Iſraël.* Enim verò utens metaphorâ ab arboribus deſumpta, ſi appoſitè loqui voluiſſet, dicere debuiſſet: *Germinabit, & florebit Iſraël:* quis enim neſcit: arbores priùs novîs ſurculîs veſtiri, dein floribus ornari? verùm præpoſterum hunc loquendi modum, ſpiritualem ſenſum neutiquam præpoſterum efficere: clarîs teſtatur verbîs, dum aſſerit: *Quia Juſtus cùm in flore eſt, adhuc ſe debet reputare in germine eſſe, ut conetur magis effloreſcere, & in uberem fructum prærumpere.* Quare etiam Propheta Regius quæſtionem movens Pſal. 16. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſan-*

cto? illicò hoc responsum subnectit: *Qui ingreditur sine macula, & operatur Justitiam.* Quod subtilî indagine scrutatus magnus ille Basilius advertit: Prophetam non de præterito, sed tantùm præsenti tempore locutum: & hinc dixisse, tunc à virtutum solidarum studio Justis quiescendum esse, quando conscensô monte Dei vivere desierint. Vera S. Doctoris sunt: *Attende exactam dictionis vim: non dixit, qui ambulavit, sed qui ambulat, neque qui fecit Justitiam, sed qui facit: non enim unus actus perficit studiosum virtutis operatorem, sed per omnem vitam prorogari, & extendi convenit virtutis actiones.* Porrò sicut scriptura hoc capite meminit; Jacobum varii coloris virgas ovibus suis objiciendô, suum gregem ingentî copiâ auxisse: ita anima perfectionis studiosa intuendô & imitandô diversa Sanctorum exempla eorumque exercitia, grandem virtutum copiam colliget.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 32. lib. Geneseos, in quo describitur Discessus Jacobi cum uxoribus è domo Laban, invidiæ ingrati soceri eum insequentis &c.

N. 48. *Considera:* QUomodo felicitas terrena comes sit invidiæ etiam respectu illorum, qui sanguine conjuncti sunt. Jacobô enim insigniter ditatô filii Laban conquerebantur: *Tulit Jacob omnia, quæ fuerant Patris nostri, & de ejus facultate ditatus, factus est inclytus.* v. 1. cap. cit. Ipse etiam ingratissimus socer generum antea charissimum minacî vultu terrere cœperat. ò quàm stolidi igitur sunt homines illi, qui dies noctesque impendunt augendis fortunæ bonis, quibûs tamen obtentîs præter immensas curas & labores aliorum livorem in se provocant, etiam âb amicis & consanguineis non tuti. Si media pars tantorum laborum impenderetur acquirendis meritis, quæ hominem æternâ ditant felicitate, quot Sanctos foret Christianô in Orbe numerare? quàm pauci in exitu de hac mortali vita, & transitu ad cœlestem Chanaan, haberent aliquid persecutionis timendum à Dæmone, qui aliàs moribundos in hoc itinere instar furibundi Laban, Jacobum persequentis, vexare consuevit. O quàm verissimum est illud Thomæ Mori, litteris & pietate clarissimi viri edictum: quàm plurimos in hac vita laborare, Infernum mercari, cujus vel dimidio cœlum lucrati fuissent. Spectemus paullisper Mercatorum hujus sæculi

culi ſtudia, quomodò abſorpti & toti lucro ſuo immerſi, omne tempus augendis impendant divitiis: ſeu menſæ accubent, ſeu cubitum concedant, ſeu ſtrato aſſurgant, nil aliud animo volvunt, nil aliud manibus agunt, quàm ærarii ſui augmenta. *Jubet avaritia, ut mare tranſeas*, eos alloquitur Auguſt. in Pſal. 18. *& obtemperas; jubet, ut te ventis procellisque comittas; jubeo ego, ut ante oſtium tuum, ex eo quod habes, des pauperi: piger ad faciendum ante te opus bonum, & ſtrenuus es ad transeundum mare*, ad horrea triticô, ad penuaria vinô & oleô, ad ciſtas aurô & argentô implendas. Hîc curritur ſine requie, hîc laboratur ſine defatigatione, hîc ſudatur ſine tædio. Quod profundiſſimè ſibi cordi ducens magnus ille Indiarum Apoſtolus Franciſcus Xaverius erubuiſſe legitur: Mercatores priùs ad Japonas contemptô vitæ periculô penetrâſſe, fluxas ac perituras merces illuc devehendô, quàm ipſe cœleſtibus theſauris, quibûs fides Orthodoxa propagari poſſet, ſuam collocâſſet operam. *Conſiderare* inquit S. Hieron. ad Demetr. *pudet: quantus ſit fervor in ſæculo: ipſa magis ætate inflammatur divitiarum amor, inſatiabilis eſt, expleri neſcit harum cupido: celerem res habituræ finem ſine fine quæruntur: nos cœleſtes divitias, immortales honores pigrâ quâdam diſſimulatione negligimus.* Figuram habemus in Evangelico homine, qui deferebat manum dexteram, aridam penitùs, & exercendo operi prorſus inutilem, ſiniſtram verò ſuccô plenam & ad labores expeditam. Ita proh dolor! ad colligendas opes, ad congerendos theſauros reperimur robuſtiſſimi, ad obtinenda cœlitum bona viribûs deſtituti, aut toti languidi. Metuendum hêrcle, ne ſerò & ſeriò quæramur, quod quærebatur ille Secretarius *Barrii teſte ſolitud. p.* 237. Qui fatalî morbô oppreſſus exclamavit: ò me infelicem! qui ſupra 25. chartæ volumina conſcribendis & conſignandis rationibus impendi, nunc verò moriturus non invenio modicum foliculum, cui rationes animæ meæ inſcribam. *Vivamus ergo* Chriſtiane Lector! me & te hortatur Chryſologus Serm. 12. *Deo paululum, qui ſæculo viximus totum, dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. Tempus eſt, ut aliquando noſtræ provideamus domui.* Optimam vitæ partem obtinendis divitiis collocavimus, quas brevî hæredes dividunt, noſtri nullam habituri memoriam. Parum ſupereſt vitæ, conſtans fortè decem aut viginti annis: igitur ſectandô virtutes vivamus hôc, paucô tempore, ut æternùm vivamus. Conſideremus quærelas illas, quas Jacob contra Labanum ſe perſequentem effuderat v. 38. cit. capitis dicendô: *Viginti annîs fui tecum &c. diu noctuque æſtu urebar &*

gelu, fugiebat somnus ab oculis meis &c. Consideremus inquam hæc verba, à quolibet temporalium rerum studioso objici posse mundo, quando mortis hora imminet: viginti videlicet annis, aut ultra *fui tecum ò munde!* Quos serviendô tibi tot inter labores tot inter ærumnas consumpsi, & hem! mercedis locô id unicum habeo, ut me omnibûs spolies, transferendô illa ad ingratos hæredes.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 32. lib. Genes. in quo describitur Jacobi Legatio ad fratrem Esau, lucta cum Angelo & Benedictio.

N. 49. *Considera:* QUòd etsi Jacob non ignoraverit: se vî Benedictionis paternæ constitutum esse Dominum fratris sui Esau; tamen mittens ad eum nuntios hisce verbîs humillimîs usus sit: *mitto Legationem ad Dominum meum &c.* Inde nos erudiens: ad placandos inimicos melius non reperiri medium humilitate. *Placantur*, inquit Abulensis, *animi submissione humilî.* Regius Propheta 1. Paralip. Videns ante se Angelum evaginatô gladiô stantem, ad nullum aliud nisi humilitatis scutum confugit: *ceciderunt* (ùt asserit textus sacer) *tam ipse quàm majores natu vestiti ciliciîs, proni in terram &c. Et convertit gladium suum in vaginam.* Jam duos Principes Ducesque militum coram Elia ignis ultor absumpserat; quid ergo auxilii supererat tertio, quô fatalem à se averteret flammam? en! sola humilitas ei sucurrit: curvandô enim genua furorem Eliæ inhibuit, ignem repressit. Non suffecerat Dæmoni, contra Jobum assurgenti, abstulisse ei pecora, occidisse proles, acuisse in illum lividos uxoris dentes & linguam; sed nova identidem moliebatur mala, queîs ipsum affligeret. At contra rabiem hanc se defendit Job strenuissimè, corpus suum projiciendô super sterquilinium; in abjectissimo enim hoc loco positus, non poterat sibi ultra timere de profundiori lapsu. S. Antonius Eremita innumeros furibundi Dæmonis videns laqueos, universo Orbi præparatos, rogavit Dominum, quærens: quis eos foret evasurus? & responso tulit: *Sola humilitas hos evadet laqueos.* Planè sicut soli pisciculi evadunt lagenam piscatoris, sic soli humiles insidias Dæmonis & aliorum inimicorum effugiunt. Repones forsan Christiane Lector; per humilitatem minùs authoritatem personæ, perdi respectum,

ſpectum, eidem ab aliis debitum. At nego, & pernego, hanc ſubſiſtere ſequelam: quis enim Chriſtum vel Dignitate Perſonæ, vel majoritate Imperii ſuperavit unquam? *Sciebat*, ille teſte Apoſtolô: *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à DEO exivit, & ad DEUM vadit*, & tamen ſurgit de cœna, præcingit ſe linteô, mittit aquam in pelvim, in genua devolvitur, ſordidos diſcipulorum pedes lavare incipit. Nunquid per hunc ſummæ humilitatis actum vel parum aliquid de habito apud Diſcipulos ſuos reſpectu perdidit? quin potiùs Petrum cæterorum omnium Principem ad majorem reverentiam permovit exclamantem præ nimio reſpectu: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Joan. 13. Eſt haud dubiè oratio humilitatis proteſtatio, ſignumquè creaturæ DEO ſubjectæ; hanc Chriſtus in Monte Thabor videntibus, qui aderant diſcipulis, peregit: ſed nunquid per hoc humilitatis exercitium authoritati ejus derogatum aliquid, quin potiùs additum? ſic equidem ſe humiliantis facies transfiguratur, in alterum ſolem mutata, veſtibûs inſtar nivis albefactîs. S. Matthæus cap. 27. circumſtantias dominicæ paſſionis deſcribens aſſerit: *Poſuerunt ejus cauſam ſuper caput ipſius ſcriptam &c.* Quæ verba expendens Venerabilis Beda noſter quærit cauſam: cur titulum hunc ſibi probro magis, quàm laudi futurum, maluerit ſuper crucem, & non infrà affigi, & reſpondens dubiæ quæſtioni ait: *Pulchrè titulus non infrà, ſed ſupra crucem ponitur, quia licèt in cruce pro nobis hominis infirmitate fulgebat: ſupra crucem tamen Regis Majeſtate fulgebat.* Quaſi dicat: non fortuitò, ſed ſingularî Cœli conſiliô titulum Regis in fronte Crucis locutum eſſe, ut daretur intelligi, quòd etſi patiendô tam infame ſupplicium, infirmitatem hominis præſetulerit; inde tamen Regiæ Majeſtati ac gloriæ dempſerit nihil, ſed eam firmârit validius. Hæc tibi ſi non ſuffecerint argumenta, ſtabulum Bethlehemiticum intuere, videbis ibi in genua procumbentes Reges Orientis, & regalia deponentes Dona, quibus teſtantur: eò plus reverentiæ & ſubmiſſionis deberi recenter nato puſioni, quô ſe humiliorem demonſtret.

Cæterùm Jacobi verba verſu 10. cit. capitis prolata notatu digniſſima ſunt, quibûs teſtatur: *in baculo meo tranſivi Jordanem, & nunc cum duabus turmis regredior.* Paribûs enim verbîs & tu Chriſtiane uti poteris in tranſitu ad æternitatem, quando ſpretîs hujus mundi rebûs ſolô baculô crucis proviſus tranſieris Jordanem hujus miſerrimæ vitæ. Quare cum Paulo ore cordeque exclama: *Mihi abſit gloriari niſi*

in cruce Domini nostri JESU Christi, in quo est salus &c. Nec cessa luctari cum Jacobo, donec cum ipso elucteris.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 33. lib. Genes. in quo describitur familiaris fratrum, sibi invicem occurrentium congressus Jacobique iter in Socoth & Salem.

N. 50. *Considera:* QUàm obsequiosum & munificum erga fratrem suum Esau, quem noverat suum semper infensissimum extitisse hostem, sese exhibuerit Jacob, dicens v. 10. cit. cap. *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum DEI.* Haud secus te Christiane, quando obvium habes inimicum tuum, oportet semotâ omnî vindictâ, privatâ authoritate inferendâ, ei exhibere signa reconciliationis, amoris & benevolentiæ, ut sic etiam imiteris Salvatorem tuum, qui intuens Judæos juratissimos suos hostes, dirissimam sibi mortem inferentes, pro eorum salute rogavit Patrem, dicens: *Dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Joan. 13. Quid? quòd Judam ipsum Judæorum Coriphæum gratioso, dignatus sit oculo, ut eum ad Pœnitentiam provocaret. Summum sacerdotem legis novæ immitatus Levita Stephanus, dum imbre lapidum ab hostibus obruitur, clamat ex amoroso pectore Actor. 7. *Ne statuas illis hoc peccatum.* Jacobus Apostolus à Judæis de Pinna Templi præceps actus, & morti proximus oravit: *Domine da veniam illis, quia nesciunt quid faciunt.* Surius in vita ejus. S. Paulus de sua & aliorum Apostolorum personis testatur 1. Corinth. 12. *Maledicimur, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur & obsecramus.* Carolus V. Imperator homini, qui ei necem paraverat, ad se vocari jusso, non tantùm capitale remisit supplicium, sed post varios affectus & signa gratiæ ei exhibita, mille aureos donò dedit teste Æneâ Sylv. *Pusilli hominis est*, ait Seneca lib. 2. de ira, *repetere mordentem ùt mures & formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt imbecilla, se læsi putant, si tangantur.* Et hinc Pericles convitiatorem suum totâ die, inultè sustinens, nocte discedentem accenso lumine domum deduxit: Socrates verò calce à quopiam petitus; cùm moneretur, ut reperscuteret: *An*, inquit, *si asinus mihi calcem impegisset, in eum recalcitrarem?* hoc ò Christiane! Ethnici & Barbari præstitêre; quid te oportet facere, cui totiès inculcantur notissima illa

illa S. Evangelii verba: *diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Matth. 5. Imitatur DEUS terrenum Imperatorem, qui ad reremuneranda ſervorum nobilium ſibi præſtita ſervitia, diverſas feudorum inveſtituras concedit, hâc tamen lege, ut ſibi reſervet Dominium directum, cæterîs omnibûs ſervo nobili relictîs. Vis noſſe Feudi, à DEO hominibus conceſsi excellentiam, conſidera omnia Dona animæ tuæ: Conſidera libertatem in operandô, facilitatem in diſcurrendô, potentiam in recogitando præterita: cerne futurorum providentiam, ſcientiarum capacitatem, artium liberalium habilitatem, negotiorum ſolertiam, prudentiam ad gubernandum, ùt alia brevitatis ſtudioſus ſileam. Quid autem à te pro tam nobili Feudo in recognitionem ſupremi Dominii aliud petit, quàm illud Apoſtoli: *Mihi vindicta, & ego retribuam. Deſine* igitur *ab ira, & derelinque furorem.* Pſal. 36. Fac hoc in gratiam illius, qui ob tot peccata contra naturam, contra legem à te perpetrata, totiès tibi veniam indulſit. Fac hoc in obſequium illius, à quo etſi ingratiſſimus, tot tamen gratiæ & naturæ dona accepiſti. Fac hoc in favorem illius, qui ſe Patrem tuum vocari dignatur, ſolem ſuum oriri faciens ſuper bonos & malos, pluensque ſuper juſtos & injuſtos.

Pro coronide hujus faſciculi diſce à Jacobo præter dilectionem inimicorum etiam diſcretionem erga ſubditos, ſi ſuperiorem agis. Dum videlicèt moderatô labore nos occupare debes, ne indiſcreto oneri ſuccumbant. *Si plus in ambulando*, ajebat ille, *fecero eos laborare, morientur cuncti greges unâ die.* v. 14. cap. cit. Quod ſanctiſsimus meus Legislator Benedictus Superioribus ante omnia imitandum proponit. Quare Chriſtus Petrum principem cæteris diſcipulis præfecturus, jubet: illos habeat non ſervorum ſed *fratrum* inſtar, non imponendô onera, ſub quibus deſpoticè ſubditi gemere ſolent, ſed injungendô talia, quæ cujuslibet viribus ſint accommoda.

(o)

FASCI-

FASCICULUS IX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 34. lib. Genes. in quo describitur Dinæ curiosæ defloratio; Sichemorum fœdus & eorum clades.

N. 51. *Considera:* QUanta damna homini afferant curiosi & malè mortificati oculi: Dina eum, dum curiositate ducta & seducta, spectatum ivit mulieres alienigenas, rapta à Sichem, & ab eo corrupta est. Optimè ergo S. Ambros. oculos vocat *retia*, & Salvianus illos nominat *naturales animæ cuniculos.* Quare Prædicatorum Generalis secundus, cùm ex gravi infirmitate usum unius oculi perdidisset, convocatis in capitulum fratribus dixit: fratres gratias agite DEO, quia jam unum perdidi inimicum. Heroina Judith Holofernem superatura, id unicum petiit: *capiatur laqueò oculorum suorum in me.* Sciebat: curiosum oculum intuenti regulum esse qui dum nictat, necat. Verùm si tam nocivum fuit Dinæ, oculos non frænare in aspiciendis personis paris sexûs; quàm nocivum tibi erit ò Christiane! personis disparis sexûs familiariter colloqui? sicut Sal, quod ex aqua factum est, eidem si conjungatur, mox solvitur, & deficit; ita masculus ex muliere natus, ut ei appropinquaverit, perdit virilem animum, & effœminatur; *nihil sentio*, ait S. August. lib. 8. Soliloq. *Quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ.* Si teste Isaia cap. 40. Omnis caro fœnum est, & teste Jacobô Apostolô *lingua mulieris ignis*, quid ex hoc consortio nisi incendium exspectabitur? quod Diabolus in Paradiso non valuisset multô molimine, hoc unica fœmina etiam sine verbis effecit, dandô vetitum pomum Adamo, *qui comedit.* Genes. 3. armatis Israêlitarum cohortibus non virorum exercitum, sed imbelle fœminarum colloquium & consortium objecit Balac: *Fœminarum enim congressus*, ùt asserit S. Basil. Serm. Quòd castitas virtutum fundamentum sit, *ùt præcipua Diaboli tela, quæ maximos viros præcipites egerunt, sunt omninò vitandi: quodque mirum in hoc genere: etsi nulla libido, nulla peccandi voluntas, nihilque nisi sanctum in dictis factisque admiremur; tamen ipso congressu à natura titillatio quædam*

quædam oritur, ut ſexûs ſtatim diverſitas ſentiatur. Atque hinc S. Simon ſtylita converſus, nulli unquam mulieri oculos intendit: ùt taceam penitùs negatum colloquium; quin imò propriæ matri omnem recuſavit acceſſum. S. Hieronymus, ut ſe ab hac difficili pugna expediret, non paſſurus in anima cladem, inter feras vitam egit, & Vigilantio ſibi objicienti: hanc methodum vivendi non eſſe pugnæ, ſed fugæ ſimilem, reſponſo dedit: *Fateor inbecillitatem meam: nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.* Experiuntur, talibus colloquiis & conſortiis addicti maſculi, quod expertus eſt Sichem corruptor Dinæ, de quo ejus parens v. 8. hujus capit. meminit, aſſerens: *Adhæſit anima filii mei animæ filiæ veſtræ.* Concupiſcentia enim carnis limus eſt, lutum viſcoſum, quod ſi quis apprehenderit, quaſi inſeparabiliter ſibi agglutinat. Mulier quidem facta eſt viro in adjutorium, ſed incauto fit in exitium. Hoc ergò Chriſtiane lector ut effugias, fuge mulierum conſortia præſertim illa, quæ fiunt remotîs arbitrîs.

Porrò ſicut erga corruptam Dinam ſe geſſerat ſtuprator, ita Diabolus erga maſculos ſe gerit, quos mulierum conſortiis in ſua egit retia, & in lapſum præcipites egit. Ut enim videt, eos per interna Angeli cuſtodis monita ſalubrî timore adactos triſtari de perdita innocentia, de offenſo Deo, de promeritis Tartari pœnis: illicò eos variîs terrenarum rerum illecebrîs nititur delinire, ut hanc piam triſtitiam tanquam proximam ſolidæ emendationis viam, penitûs ex eorum mentibus abigat.

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 35. lib. Geneſ. in quo deſcribitur Jacobi Iter, in Bethel inſtitutum, ut DEO ſacrificaret.

Conſidera: NOn absque Myſterio & Speciali documento Jacobum, DEO ſacra facturum, petiiſſe ab uxoribus ſuis præter ſimulachra Deorum inanium etiam ipſas inaures, quas patriô more geſtare conſueverant: nam per has, tanquam per ſymbola illorum hominum, qui libenter aures detractoribus prebent, poterant æquè diſplicere DEO, ac per ipſa Idola, dum teſte S. Ambroſio lib. de. Jacob cap. 7. *Genus Idololatriæ eſt, benignè accipere detrahentem, eidem arri-* *N. 52.*

dere, & applaudere. Nunquam ergo credas ò Christiane! tuas preces & sacrificia à DEO exaudienda fore, si aures feras malè custoditas à detrahentium linguis. S. Augustinus: ut convivas suos doceret, quàm invitâ aure exciperet detrahentium verba, hoc distichum supra mensam suam scriptam affixerat: *Quisquis amat dictis insontûm rodere famam, hanc mensam vetitam noverit esse sibi.* Tamque strictam observantiam his monitis haberi voluit: ut cùm aliquandò familiares sibi Episcopos audiret, de aliis perperàm loqui, eis diceret; aut versus hos delendos esse, aut se de sede surrecturum. Propheta regius testatur; non tantùm surdas sibi aures ad detrahentium dicta extitisse, sed detractorem inimici locô se excepisse: *Detrahentem proximo suo hunc persequebar.* Sanè sicut sirenum suaviter cantantium voces, dum avidâ bibuntur aure, navem in periculum submersionis ponunt: ita detrahentium verba libenter audita, audientis animam peccati periculo exponunt. Jusserat olim Deus Exodi 38. fieri in Templo certos lebetes, in quos emunctæ candelarum reliquiæ projicerentur, ne tetrô odore offenderent nares, sed aquis immersæ extinguerentur: videtur hoc Præceptô insinuâsse: detrahentium fætores ociùs per displicentiam audientium extinguendos esse, ne in Templo animæ peccati fætorem excitent: elephas etsi à natura fortitus sit ingentem corporis staturam, valentem magîs viribûs; adeò tamen sibi à muribus timet, ut vel solum eorundem fugiat odorem: haud secus summi in pietate viri sibi timent à detrahentium linguis, quibus murium instar fama proximi, & ipsa auditoris conscientia arroditur. Supra citatus detractionis osor Augustinus lepræ contagio comparat detrahentium linguas Serm. 26. ad ff. in eremo scribens: *Sicut lepra proprium corpus devorat, & sic adhærentes inficit; sic & murmurator non solùm se, sed etiam cunctos audientes inficit, ac perimit.* Quare lege divinâ imperatum est, leprosos separari à castris, & os contectum habere, ne halitu suô aliis nocumento forent. Cumbriæ Rex teste Ludovicô Barthemâ; cùm ab infantia venenô nutritus esset, solô sputô vel halitu homines necare consueverat; haud aliter se erga proximos gerunt detractores, qui sibi aurem præbentes necant in anima, venenô maledicentiæ infecti. Quare illos instar veneni fuge ò Christiane!

N. 53. *Considera* 2. Quàm pulchram utilemque Doctrinam pœnitentibus Jacobus reliquerit, dum non tantùm voluit, ut simulachra inanium

nium Deorum à ſuis uxoribus abjicerentur, ſed ut etiam mutarentur veſtes: per hoc innuens, ad veram pœnitentiam, & ineundam cum DEO pacem non ſufficere, quòd quis peccata ſua confitendô abjecerit, ſed requiri inſuper, ut deponantur pravi habitus & malæ conſuetudines, ne ſtantibûs hîs relabamur in peccata, quæ paulò ante depoſuimus. Hinc nos hortatur Chriſtus Matth. 10. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*, & Moyſes Levitis imperat Exodi 32. *ponat vir gladium ſuum ſuper femur ſuum, & occîdat unusquisque fratrem, amicum & proximum ſuum.* Quæ verba Petrus Damian. explicat, trahensque ad ſenſum ſpiritualem & propoſito accommodum ait: *Myſticè docuit: nequaquam ſufficere, ſi ab Idololatriæ cultu, vel pravitate vitæ quisque convertitur, niſi & propria vitia gladiô Spiritûs mortificare conetur.* Hæc ſi non audirem verba, mirarer certè: quòd Magdalena de remiſſis omnibus peccatis certior reddita, mortificandis ſenſibus tota incubuerit; non patiebatur ampliùs, oculos converti ad objecta, quibus tam ſuaviter antea eos paſcebat, ſed continuis lacrymarum imbribûs madebat. Sepiebat aures ſpinîs, quos antea recreabant amaſiorum cantilenæ. Guttur, cui nonniſi delicatiſſimîs cibîs & potibûs blandiebatur, infudit aquam cum lactucis agreſtibus & herbis. Manus, nonniſi tractare mollia aſuetas, durô exercuit in labore. Gentium Doctor ad vitam ſpiritualem à Chriſto reſuſcitatus exclamabat, *quotidie morior.* Morte videlicêt moralî, quam ſenſuum noſtrorum mortificationem appellamus. Hâc morte ſibi quotidiè utendum reabatur Apoſtolus; ne dum vivere permitteret paſſiones ſuas, ipſe vivere non permitteretur. Præibat hoc in paſſu gentium Doctorem regius Propheta: qui veniam peccatorum ſuorum adeptus, cum pro hac & aliis à Deo acceptis gratiis gratias referebat. Deo, exclamans Pſalm. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* ſtatim ſubjunxit: *Calicem ſalutis*, mortificationis quotidianæ ſymbolum, *accipiam &c.*

hem! Chriſtiane pœnitens hunc calicem tibi pariter propinat;
ut bibas ex eo ſanitatem animæ, æternum duraturam,

Doctrina 3.

Desumpta ex capite 37. lib. Genes. in quo describitur Jacobi amor erga Josephum. Technæ fratrum & venditio atque luctus Jacobi ob Josephi mortem, quam audierat à bestia illatam.

N.54. *Considera* 1. JAcobum, dum ita dilexit filium Joseph, ut ei tunicam polymitam fecerit, se probâsse sincerum verumque amatorem: nam sincerus amor largîs manibûs probatur, ut probatus est à Jonatha, qui propter Davidem sibi dilectissimum se propriâ tunicâ exspoliavit. Ita probatus est à tribus Magis qui Christo amantissimo infantulo obtulêre munera. Ita probatus est ab ipso æterno Patre, qui filio suo longè charissimo *dedit omnia in manus.* Ita probatus est à Spiritu Sancto erga Apostolos sibi acceptissimos, dum eis *tribuit charismatum Dona.* Quare falsò te dixeris amatorem proximi ò Christiane! si eidem necessitate pressò, non succurras, dandô eleemosinam: *Qui enim aliquem amat*, ait S. Clem. Alexand. lib. 1. Pædag. *ei vult prodesse.* Nec sufficit exspectare, donec rogeris; sed hilarem datorem promptumque exigit vera charitas, ùt docuit Tobias filium suum, & S. August. lib. 50. homiliar. homil. 39. pulcherrimîs exprimit verbîs, dum ait: *Festina pietate succurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur Domino, vendices tibi. Imitare Deum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Et ecce! veniet tibi pluvia antequam roges, descendit ubertas nocte, dum stertis, dum adhuc in lecto es. Jactat Cœlum, & parturit terra tot cellaria messium: dum nescimus, sic accipimus, & tantas opes comedimus, antequam rogemus. Et tu homo modicus, modicum panem precibûs vendis? non rogaverunt quatuor millia JESUM in deserto septem panes & paucos pisces, ut infinita agmina pranderent, qui prandiô vicisset saltem usuram mensuræ* Hanc Doctrinam sibi dictam autumans S. Richardus Episcop. Cicestrens. Sæpè stipem elargitus est iis, quarum preces nondum audierat, & cùm essent, qui causam hujus ultraneæ liberalitatis quærerent? illa Davidis verba responsi locô dedit inquiens Suriô teste 3. April. *Scriptum est: Domine! prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis &c.*

Nec satis erit amori litatum, si dederis non rogatus, nisi etiam des celeriter; *Ne dicas amico;* Proverb. 3. *vade, & revertere: cras dabo tibi, cùm statim possis dare,* Hinc evangelicus ille villicus Luc. 16. erga debi-

debitores ſuos ſe liberalem exhibiturus remittendo debita, uni dixit: *Sede citò*, & *ſcribe 50. &c.* Surius 23. April. memorat: S. Adelbertum ſecundum Pragenſium Epiſcopum, cùm pauperi viduæ in via conſtitutus, non haberet pecunias, quas largiter daret, juſſiſſe illum alterâ die adire civitatem, ut ibidem à ſe acciperet, quantum ejus exigeret neceſſitas: Verùm mox tactum meliore cogitatione dixiſſe famulo, quis ſcit: An in craſtinum usque vivam? hodie compleat acceptio datum, ne ego judicium, illa verò ſentiat damnum; detrahens ergo ſibi cappam, quà amictus erat pecuniæ locô pauperi detulit. Nec demum ſinceræ dilectionis leges adamuſſim obſervat ille, qui diſpenſat diſparî ratione perſonarum habitâ, puta: qui liberalior erga notos aut propinquos exiſtit, neutiquam ſatisfaciens verbis Apoſtoli Galatarum 6. Quæ verba expendens S. Auguſt. aſſerit: *Ad omnes homines faciamus bonum. Ad omnes dico: non per partes, non ad unum, vel duos, vel tres, ſed ad omnes homines. Chriſtus enim non pro Sanctis tantùm eſt paſſus, ſed pro peccatoribus, & impiis & ſceleratis aſcendit in crucem &c.* His præluſerat monitis vidua Saraptena 3. Reg. 17. Quæ licet gentiliſmum profiteretur, erga Eliam tamen Hebræum tam munificam ſe exhibuit.

Conſidera 2. Jacobum auditâ filii ſui morte ſcidiſſe veſtimenta, & induiſſe ſe ciliciô, ut doceat nos: alienæ mortis memoriam ſeriò habitam, optimum eſſe veræ pœnitentiæ ſtimulum. Quare Angelus ſaluberrimum mulieribus documentum daturus Matth. 28. Vocat eas ad ſepulchrum, aſſerens: *Venite, & videte, ubi poſitus erat Dominus.* Eo ipſo momentô, quô concionante Paulô adoleſcens ille *Act.* 10. mortuus cecidit, deſiit concionari Paulus; etſi viderentur plura ſupereſſe, populo inculcanda: ſed concionatoris vices optimè ſubiit ipſa mortis Imago, omnium auditorum oculis objecta. Nullô efficaciorî ſermone Maximilianus primus Imperator putaverat, Populum ad contemnendam Mûndi Pompam perſuaderi poſſe, quàm ſi cadaver ſuum exponeretur, ab omnibus conſpiciendum. Liffardus Monachus & Janitor Monaſterii Cæſariô teſte lib. 4. c. 4. Cùm magnô vitæ religioſæ tædiô affectus, de repetendo cogitaret ſæculo, à ſene quodam ad Cœmeterium de nocte ductus, & apertô ſepulchrô cadaver inſpicere juſſus, omnem tentationem unicô actu excuſſit. Sanè ut matres, dum volunt ablactare infantulos ſuos, aliquid abſynthii aut aloës mamillis apponunt: ita homo à delitiis, quibus *N. 55.*

peccandô assueverat abstrahendus, amaram mortis memoriam sibi præfigat. *Sicut nemo*, ait Drexel. in prodrom. *prudens inter oceani fluctus in tabula ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus scelera meditatur: nemo inter medios armatos hostes inermis hilarescit; ita qui in perpetuo mortis metu versatur, audebit ea perpetrare, quæ æternum infelicem afferunt mortem.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 38. lib. Genes. in quo describitur Incestus Thamar, Judæ confessio, geminorum partus.

N. 56. *Considera* 1. QUòd etsi gravissimum commiserit peccatum Judas, habendô carnale commercium cum Thamar, in hanc tamen solam capitale feratur supplicium: adeò quidem, ut Judas peccati sui nec accusetur quidem. Videtur illud ea de causa factum: quòd Judas ipsemet agnoverit delictum suum, illudque suâ sponte confessus sit, dicens: *Justior est me.* Priùs se ipsum accusans, quàm fuerit ab alio delatus, aut accusatus. Rectè igitur ad propositum nostrum asserit S. Bernardus Tract. de interna domo c. 1. *Ex eo unusquisque justus esse incipit, ex quo sui accusator esse incipit.* Vix crudelis ille latro in hæc verba linguam resolverat: *Nos digna factis recipimus*, ociùs audivit Christum promittentem sibi: *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Lucæ 23. Leprosi Evangelici, ad Sacerdotes confessionis gratiâ missi, Lucæ 17. *dùm irent, mundati sunt;* adeoque ipsum etiam confessionis deponendæ desiderium; erat eorum curatio. *Confessio & pulchritudo*, canit Regius Vates Psal. 95. *in conspectu ejus.* Optimè conjungitur confessioni pulchritudo tamquam fluvius suo fonti, tanquam fructus arbori, tanquam herba semini. Pulchrum ergò te reddes Christiane, si tantùm dixeris, deformem te esse: inculpatus eris, si tuam culpam sincerè sacerdoti apperueris. Miraculum diceres: si mulier solâ parvi sui corporis detestatione integrum mox palmum excrescceret, plusquàm mediocrem adepta staturam; aut rugosos suæ frontis vituperandô sulcos rugasque, pellem subitò extendi sulcosque explanari cerneret: aut fuscum suæ facili fastidiendô colorem, genas sibi redderet candidas. Aut suæ maledicendô senectuti, ad primævum floridæ ætatis ver rediret: & tamen quod in hoc mortali vita miraculum diceres, ex confessione, naturali quasi effectu nascitur; hæc enim meretrices coram Deo

Deo turpiſſimas vertit in Virgines ſpecioſiſſimas: hæc avaros Telonarios in liberaliſſimos efformat eleemoſinarios: hæc publicanos mutat in Apoſtolos. Hos effectus perpendens S. Hieron. exclamat Epiſt. 10. ad Ruſt. *Qui ſua confeſſus fuerit peccata, & dixerit: putruerant, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, fœditatem vulnerum in decorem ſanitatis commutat.* Negant, & pernegant moderni Philoſophi non pauci numerô: creaturam aſſumi poſſe ad creandum per modum cauſæ inſtrumentalis: eò quòd creatio ſit productio rei ex nihilo: omnis autem creata actio cùm ſit accidens, exigat operari dependenter à ſubjecto; verùm huic neutiquam ſubſcribet Vates regius, cùm non dubitat: poſſe ſibi creari cor mundum, mediante aliquâ creatâ actione; ſed quænam illa? en hæc in propatulo eſt legenti Pſal. 50. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Sola oris confeſſio hôc Doctore teſte eſt creativa actio: petit ergo ſibi creari cor novum mediante confeſſione adeoque ab omni macula purum, & à ſordibus prorſus remotum. *Tam purus*, ait Bened. Fernand. in Geneſ. *ab omni labe per confeſſionem fidelis exiſtit, ut non tam prioribus mundatum ſordibûs, quàm de novo creatum habere videatur.* Hæc omnia confirmat S. Ambroſ. exemplô, lectu digniſſimo, quod de aliquo juvene, impuris amoribus dedito lib. 2. de pœnit. narrat. 15. Scelerum ſuorum pœnitens factus, exiit è paterna domo, in qua commoratus aliquandiu ſervierat Veneri. Poſt longum itineris ſpatium ad patriam tandem reverſus, laſcivæ fœminæ, cujus amoribus antea fruebatur, obviam factus: illam vel non noverat ampliùs, vel ſaltem non noſſe ſe fingebat. Cùm verò illa blandîs ſalutans verbîs, ei diceret: *Ego ſum illa.* Repoſuit juvenis: *ſed ego non ſum ille.* q. d. tu quidem depoſitis nondum in confeſſione ſordibûs remanes antiquum illud veneris deterrimæ mancipium: ego autem peccatîs omnibûs Sacerdoti doloroſè detectîs, totus alius appareo. Eadem metamorphoſis tecum continget ò Chriſtiane, ſi hunc juvenem, quem forſan imitatus es peccantem, imiteris confitentem.

Conſidera 2. Quòd licèt inter geminos in utero Thamaris exiſtentes, & per partum effundendos, *Zara* prior manum extraxerit: quia tamen eandem retraxit, hinc prior egreſſus eſt *Phares*, docens: coronam non deberi benè incipientibus ſed finientibus. Hinc fruſtrà gloriaberis ò Chriſtiane! te in via virtutum velociter cucurriſſe, niſi ante mortem perveneris ad metam. Hominem ex terra formavit Deus, ex elemento, ut apparet ſtabili, eique in Paradiſum poſito *N.* 57.

duplex

duplex commisit munus: *operari* videlicet, & *custodire*. Unius horum munerum est: colere terram, alterius verò benè culta custodire, per quod ipsa operis benè cœpti consummatio denotatur. Scimus: gladium Davidis, quô Goliatho caput superbum amputaverat, inter Sacra Templi asservatum esse, non fundam aut lapidem: his siquidem duobûs tantummodò prostraverat, & in terram dejecerat gigantem; gladiô autem tanquam consummatæ victoriæ signô, illum penitùs necavit. Christus Dominus ad descensum crucis provocatus, descendere noluit, quia gloriam, sibi à Patre dandam esse, non crediderat: nisi moriens dixisset: *Consummatum est*. Nullum voluit Deus sibi offerri sacrificium, nisi sale conditum. At sal, cùm corporibus incorruptionem aspergat, symbolum perseverantiæ est: atque hinc Christus perpetuum Pacis fœdus nobiscum initurus, legatos suos misit, salis naturam induere justos, inquiens: *Vos estis sal terræ* Matthæi 5. inter hos solus insulsus fuerat Judas, & hoc ea de causa, quòd licèt optimè cœperit, pessimè tamen finiit, ex arbore suspensus: econtra Paulus, etsi inceperit male, optimè tamen finiit. Tu ò Christiane! à Juda principium, finem à Paulo accipe, & inter hos duos media tutissimus ibis viâ, perventurus ad gloriam & coronam.

FASCICULUS X.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 39. lib. Geneseos, in quo describitur Josephi Prosperitas, Tentatio, captivitas ob recusatum adulterium.

N. 58. *Considera* 1. JOsephum ab eo momento, quô à suis fratribus fuit venditus, & patriô solô expulsus, specialî curâ à Deo exceptum esse, prout testatur S. Script. hujus cap. v. 2. *Fuitque Deus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens.* Præbet ergo insigne solatium illis omnibus, qui amicorum aut parentum auxiliô dese-

deſeruntur. *Meritò*, inquit S. Chryſologus *Genti Sanctæ, quia humana deſunt, divina ſuccurrunt, & adeſt Deus ipſe, cui homo non erat, qui adeſſet*, & S. Thomas in Jobum ſcribens ait: *Ubi deeſt auxilium humanum, ibi maximè adeſt divinum.* Medicum agit Deus, qui florem mali granati tunc colligit, & maximi æſtimat, cum cadit ex arbore: ſicut etiam tunc pullum aquilæ aſſumit nutriendum, cum è nido unguibûs parentis ſui abjicitur. Geneſis 22. Jugulanda innocens Victima Iſaac, omni humanô deſtitutus auxiliô, fatalem exſpectabat ictum: ſed hem! quantociùs divinum advolat præſidium, quô jamjam percuſſura manus retrahitur, & jubetur Pater ab incepta nece filii deſiſtere. Quis non credidiſſet, actum eſſe de Jeremia, quando communi Regis & Principum Regni conſenſu projectus eſt in lacum cap. 38. At habuit ociùs juvantem Dei manum, quæ pectus Abdemelech Ædiopis ad commiſerationem perpulit, & iſtô Mediante Prophetam morti ſubduxit. Et quis Jonam in Ventre Ceti jam tumulatum, viventibus in terra iterum comitem adjunxit, niſi ſolus ille, qui imperat Ventis & Mari, & omnibns, quæ in eis ſunt? non ambige igitur Chriſtiane Lector, veriſſimam eſſe S. Chryſoſtomi ſententiam, Homil. 30. ad pop. ſcribentis: *Cùm ab hominibus nihil acceperimus, tunc à Deo majora recipiemus.*

Conſidera 2. Joſephum relictô in manu fœminæ palliô aufu- *N.* 59.
gientem, exemplum non ſatìs admirandum nobis reliquiſſe. Cogita enim: formoſum juvenem, blanditiis & minîs tam fortiter tentari, nec tamen vel à longè moveri à propoſito ſervandæ caſtitatis & fidelitatis, Domino ſuo debitæ? habere voluptatem oblatam, ſed disgratiam Dominæ ſuæ, quin & mortem ipſam præeligere? carcerem & compedes habere oculis ſuis objectos, ſi diſſentiret: & non tantùm fugere nefas, ſed & pallium dimittere? O nos miſeros! qui hoſtem quærimus quandoque, & non tantùm non fugimus à tergo hærentem, dum in tot peccandi occaſiones tam incautè nos præcipitamus, millies à ſapiente moniti Eccleſ. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Poſuit Deus, ùt docuêre præcedentia, lignum in medio Paradiſi, aliîs arboribûs teſte Nyſſenô quaſi circumdatum & tectum, ne Protoparentes hujus ligni vetitos fructus frequenter intuentes, exponerentur malæ occaſioni, & abuterentur fructu, ſibi ſub tam gravi pœna interdicto: ad quod periculum ut eos fallaciſſimus ille ſerpens induceret, Evam juſſit, oculos attentiùs infigere arbori vetitæ: *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectu-*

 que

que delectabile. Tum ut jam semel deceptam propinquius malæ occasioni conjungeret, persuasit: periculum mortis subesse nullum, etsi legeret fructum, ac manu gestans odorem exploraret. *Tulit* ergo *de fructu ejus.* O Eva malesana parens! quid agis? Ah! tetigisse, periisse est, mox enim subnectit S. Textus. *Comedit*, & comedendô perdit innocentiam, incurrit mortem, sic malam occasionem non fugisse, est ipsum subiisse malum. Centenas ejusmodi praxes cacodæmon in Evæ posteris tentat, dum teneræ juventuti persuadet, ex familiari consortio personarum disparis sexûs nihil evenire periculi. Adolescenti cuidam suggerit: innocentiam manere integram, etsi in puellam elegantem oculos conjiciat, eam in via salutet, dein manu prensam domum deducat; hæc enim meræ Urbanitatis signa esse. Ab his audacior factus adolescens, frequenter colloqui, osculari incipit, & dum hæc quoque humanitatis palliô teguntur, tandem ad illa devenitur, quæ calamo scribere vetat religiosa modestia hinc optimè cecinit recentior quidam Poëta: *Post visum risum : post risum venit ad usum; post usum tactum, post tactum venit ad actum, post actum factum : post factum pœnitet actum.* Jacobus Eremita miræ sanctitatis vir, etiam miraculis celeber, hoc ipsum serò nimis se expertum esse ingemuit : nam à fœmina cujus societatem non fugerat, ad lapsum devolutus est; adeò, ut à qua antea dæmonem ejecerat, jam pudorem infelix amator expulerit, quin & vitam ipsam. Quare Christiane Lector! quantumvis sanctus & solidus in virtute esse tibi videaris, quantumvis ciliciô loricæ locô armeris in toto corpore, flammas (occasiones videlicèt peccandi) fuge; nî malis, de tua actum esse innocentia : & *erit* teste S. Ambrosio lib. 2. de pœnit. *Fortitudo tua ùt favilla stuppæ, & opus tuum quasi scintilla, & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 40. lib. Genes. in quo describitur Pincernæ & Pistoris Regii captivitas, utriusque somnia. Josephi somniorum explicatio.

N.60. Considera 1. QUàm instabiles sint Aulæ mundique totius honores atque favores : Pincerna enim regius (si Judæis fas est credere) id unicum delicti comiserat : quòd Rex in poculo suo muscam, ex incuria Ministri relictam, invenerit; Pistoris verò omne pecca-

peccatum exſtitit, pilus in pane repertus: & hem! unâ horâ perdidêre hi duo Regis gratiam, officiorum ſuorum Dignitatem; nullâ ratione præteritorum meritorum habitâ. Quis hoc perpendens, non dixerit cum Petro Dam. l. 4. Epiſt. 6. terrenos honores & dignitates fumum imitari, qui quô altiùs extollatur, eò citiùs etiam à levi flatu in nihilum redeat? Lucæ 4. Diabolus Chriſto (in ſublimem locum deducto) dicitur in momento omnia Regna Mundi oſtendiſſe, ut factum hoc lecturi intelligamus: in momento temporis ea omnia præterire, quæ Mundus magni æſtimat, adeoque teſte S. Ambroſiô in hunc locum: *ſæpè honor ſæculi abiit, antequam venerit.* Per merum ſomnium ad regales honores olim aſcenderat Joſephus, dum adhuc juvenem agebat intra paternos lares, & ecce! ſurrêxere illicò fratres illius, ut fictum Regem è Throno deturbarent. Et nonne *Aula* & *aura* unica tantùm differunt litterâ? quid autem aurâ inſtabilius? & tamen hîs omnibûs ſat cognitis, tantùm deſudant Chriſtiani in acquirendo Principum & Magnatum favore, in obtinendis Aulæ honoribus & officiis: ut teſte Petrô Bleſſenſi Epiſt. 14. *Gloriam Martyrii mererentur homines illi, hæc patientes pro Chriſto; nunc verò evadant Martyres ſæculi, per multas tribulationes Regnum Inferni intrantes.* Utinam ſaperent exemplô canis illius, qui ſemel Dominum ſuum ſecutus ad Aulam: cum ab aulicis canibus malè exceptus domum rediret, nunquam impoſterùm ultrà Aulæ Veſtibulum dominum ſuum ſequi voluit. Utinam tam frequentî aliorum ruinâ docti diſcerent, aulæ honores & dignitates croco ſimillimos eſſe, tunc primùm altiùs excreſcenti, quandò pedibûs calcatur. Mirabimur forſan: cur tantus evaſerit Moyſes, & ad tam grandem aſcenderit Dignitatis apicem, ut Deus Pharaonis vocaretur? ſed dubium reſolvet Joſephus lib. 6. antiquit. c. 5. narrans: quòd cùm aliquando Termutis Pharaonis filia venuſtiſſimum hunc puſionem ad regni ſucceſſionem adoptatum, regali adoptâſſet ſinui, & Rex blandè exceptum puerum pectori applicâſſet, imponens ei diadema ſuum: is ociùs diadema è capite detractum in terram abjecerit indignabundus, ac tenerîs pedibûs conculcaverit. Ex quo colliges exemplo, veriſſimum eſſe effatum Emiſſ. Serm. de aſcenſ. *Sublimabunt nos, ſi fuerint infrà nos:* honores videlicet & Dignitates Mundi.

Conſidera 2. Errores commiſſos à duobus aulicis Piſtore & Pincernâ figuram eſſe peccatorum illorum, quæ Theologi vocant venialia, hæc etſi pili aut muſcæ inſtar à nobis habeantur, damna ta- *N.* 61.

men inferunt gravissima, de quibus audiatur Augustinus Homil. 50. in lib. 50. humil. sic asserens : *quamvis singula non lethali vulnere feriant, sicut homicidium & cætera hujusmodi, tamen omnia simul congregata velut scabies, quò plura sunt, necant, & nostrum dedecus ita exterminant, ut ab illius sponsi specioso forma præ filiis hominum castissimis amplexibus separent , nisi medicamentô quotidianæ patientiæ defecentur.* Hoc expertam se esse testabitur S. Catharina Senens. quæ ob unicam oculi deflexionem & durante oratione admissam distractionem, à Christo reprehensa, adeò erubuit, ut præoptaret coram toto potiùs confundi Mundo, quàm parî reprehensione denuò affici. Perpetraverat olim David scelera duo, planè gravissima, sed veniam impunitus promeruit : at numerandô subditos non gravius quàm venialiter dicitur peccâsse, rigidam tamen pœnam subire coactus est. S. Hieronymus de Paula Romana scribens testatur; eam tot lacrymîs minimam noxam venialem expiâsse, ut illa gravissimorum criminum crederetur rea. Eusebius Theodoretô teste quadraginta annîs unicam evagationem mentis gravissimè luxit. Alios non paucos numerô reperire fuit, quibus risus excussior, copiosior mensa, aspectus incautior , temporis exiguum dispendium, jocosum mendacium , vel alia hujus generis minora piacula copiosas lacrymas extorserunt, meritò timentibus: se eorundem causâ gravissimîs à Deo plectendos pœnîs. Vis Christiane Lector nosse, quam lædendi virtutem habeat veniale peccatum ? dicam : illud esse *cancrum* animæ, qui sensim sine sensu depascat gratiam, donec illam penitùs enecet, dum ad mortalem culpam disponit. Dicam : illud *lepram* esse, quæ adeò defœdet animam , ut divinis oculis abominabile reddatur objectum. Dicam: *paralysin* esse, quæ motum ad pia opera impediat. Dicam : *podagram* esse, quæ cursum in via perfectionis retardet. Dicam : *asthma* esse, quod ad cœlum aspirare non sinat. Dicam denique : nihil uspiam fœdum aut horrificum inveniri, quod veniali noxæ comparetur. Alphonsus Salmeron inter celebres Theologos non postremus, multâ authoritate fretus, asserere non dubitaverat: si contingeret, quempiam sua peccata etiam levia tam enormî in specie, quâ illa clarissimè intueatus Deus, cernere, ille quantociùs ruptîs præcordiîs præ nimio horrore sensibûs & vitâ destitutus exaresceret. Lorinus S. Scripturarum Interpres maximi nominis aspectum hunc ipsis gehennæ tormentîs graviorem esse contendit. Ecce Christiane Lector ! quod tu instar pili æstimas, trabs

est

eſt in oculis tantorum virorum. Planè ſi hîs motivîs nondum deterritus, perges: *modica ſpernere*, tunc cum Joſepho tibi præſagio, fore: ut aliquando ex furca purgantium pœnarum ſuſpenſus, graviſſimè luas.

Doctrina 3.

Deſumpta ex cap. 41. lib. Geneſis, in quo deſcribitur ſomnium Pharaonis de bobus, & explicatio Joſephi.

Conſidera: DIu noctuque nobis obtingere, quod ſemel in nocte obtigerat Pharaoni: ille videbatur ſibi, ſtare ſupra flumen: nos continuò ſupra illud ſtamus; quid enim tempus, quod in hoc mundo vivimus, niſi ſymbolum fluminis? ùt unda pellit undam, ita dies trudit diem, & ſicut à currente flumine tantum habemus, quantum haurimus: ita ex annis perpetuò euntibus nihil accipimus, niſi quod in res perpetuò duraturas collocamus. Inſtar *boum pinguium* illi ſunt tantummodo reputandi dies, qui fuerant acquirendis meritis impenſi. *Nemo igitur*, hortatur tam ſeriò S. Bernard ad Scholaſt. *Nemo veſtrum parvi æſtimet tempus, quod in Verbis conſumitur otioſis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremedibile, nec advertit inſipiens, quid amittat. Licèt fabulari aiunt, donec hora pertranseat. O! donec hora pertranseat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miſeratio Conditoris indulſerat &c.* Si pauperi aperiretur theſaurus regius eâ conditione, ut intra horam tot exinde pecuniarum ſumeret, quot poſſet: tali certè nec momentum unicum efflueret, quô extrahendis pecuniis non occuparet manus. Ad quid verò aliud ô Chriſtiane! tibi Deus præſens indulſit tempus, quàm ut meritoriis negotiis illud impendendô, theſaurum obtineas, in felici æternitate reponendum? Sed quot dies & menſes (ut momenta taceam) fluunt fruſtranea? quot à tempore uſûs rationis ad horam hanc, quâ iſta legis, ſunt perditæ horæ vanîs diſcurſibûs, luſibûs, jocîs? quot dormiendô extra ordinatum ſolidumque tempus? quot comedendô & bibendô ultra neceſſitatem? proh dolor! hæ horæ, quæ ſine numero ſunt, non alia in ſpecie comparent, quàm ſeptem illi miſerrimi, *macieque* confecti *boves*, quos aſpicere horror fuit Pharaoni. Veſtis ſciſſuram paſſa reparari poteſt, incenſa do- *N.62.*

mus restaurari, civitas perdita recuperari, & exercitus cæsus novis copiis augeri potest: at dies isti, quos in tanta copia ante oculos transiisse cernis, nullâ arte, nullô pretiô revocabis, coactus cum Poeta fateri: *Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum, Rex poterit succurrere rebus, nemo diebus.* Quære epulonem divitem in sua purpura ignea sudantem, quid daturus foret pro unica horula? responderet ille, daturum se milliones mille, imò totum Orbem, si sui foret juris. Quære Alexandrum M. in Throno flamifero sedentem: quanti æstimet unius quadrantis horarii jacturam? reponeret ille: triumphis omnibus & Victoriarum Pompis infinitiès majorem. Non dispar responsum audires à Neronibus, Diocletianis, Maxentiis: fore nimirum unicum etiam momentum, animæ saluti impendendum, infinitiès majoris, quàm omnes mundi dignitatès, opes, delitiæque sint valoris. Humbertô teste de 7. donis: quidam Religiosus horrendô ejulatu excitatus, causam illius ut inquisivit, responso tulit: adesse ex damnatis animabus unam, quæ nihil magis cum innumeris aliis, in Inferno detentis, defleat, quàm temporis jacturam. ô tremenda cogitatio, quæ damnatos continuò occupat! *tempus non erit amplius.* Apocal. 10. Non erit amplius vel unicum momentum, quô pœniteat pœnitenda, ut vel unica cum Petro guttula lacrymarum fundatur, aut vel semel tantùm tundatur cum publicano pectus. Ah! fuit tempus. quando tam facilî negotiô dabatur copia merendi cœlum, assequendi æternam felicitatem. Fuit tempus, quando auditum à nobis, *nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis.* Quando vidimus, sedere pro tribunalibus confessarios, benignâ aure nostra audituros peccata, & cum modicâ pœnitentia æternum ignem commutaturos. Fuit tempus: quando sine famæ honorisque nostri dispendio bona aliis per nefas ablata reddere voluimus. Fuit tempus, quô sine fortunarum nostrarum gravî jactura succurrere potuimus tot egentibus, & fores nostras incassum pulsantibus. Fuit tempus: quô unicô pœnitentiæ actu lucrari potuimus, quot nunc innumeris non possumus. Verbô: *Transiit messis, finita est æstas, & nos salvati non sumus.* Jerem. c. 8. Ut tota messis latet in virtute seminis, sic tota æternitas in quovis momento temporis. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Operemur bonum, emendô per pœnitentiam peccatorum veniam, per patientiam in adversis coronam, per labores pro gloria Dei susceptos quietem, per eleemosinas æternas opes, per jejunia angelicas dapes, per sen-

suum

ſuum mortificationem cœlitum voluptates, per terrenarum rerum omnium contemptum Olympi Regnum, patiamur cum Joſepho hîc carceres, ut aſſequamur ibi libertatem filiorum Dei.

Doctrina 4.

Deſumpta ex cap. 42. lib. Geneſ. in quo deſcribitur primus Iſraëlitarum adventus apud Joſephum in Ægyptio, illorum agnitio & tentatio.

Conſidera: QUòd etſi commune doceat Proverbium: *Honores mutare mores, ſed rarò in meliores*: adeò ut nihil frequentius ſit hominibus, ad magnas dignitates evectis; non tantùm extraneos, ſed etiam agnatos vilioris conditionis homines ſpernere; Joſephus tamen in Pro-Regem Ægypti aſſumptus, fratres ſuos vulgarî habitu amictos, & frumentum inſtar pauperum empturos, neutiquam deſpexerit. Quô actu humilitati regii Vatis præluſit, qui in generum Saulis aſſumptus, non aſſumpſit ſibi cornua, ſed oculos ad natales paternamque domum deflectens dixit 1. Reg. 18. *Quis ego ſum? aut quæ eſt vita mea? aut cognatio patris mei in Iſraël, ut fiam Gener Regis?* Quin imò in ſucceſſorem Saulis jam unctus, abjectiſſimi officii, quô olim fungebatur, tam parum puduit meminiſſe, ut plenô exclamaret ore Pſal. 77. *Et elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ovium &c.* Moyſes totius Iſraeliticæ plebis Dux à Deo creatus, eandem Virgam, quâ quondam oves rexerat, ſceptri locô habuit, ut quantò major ſibi videretur, mirabilia operandô per Virgam illam, tantò demiſſiùs ſe gereret ob illius aſpectum, qui in memoriam illi reduceret viliſſimum paſtoris munus. Chriſtus Dòminus eô momentô, quô Petro detulit claves univerſæ Eccleſiæ, Parentis ejus fecit mentionem Joan. 21. ne Petrus videretur occaſionem nactus eſſe, obliviſcendi pauperum & humilium ſuorum parentum. Benedictus XI. ex infimo genere natus: cùm Proceres Romani Matrem ejus pretioſîs veſtibûs ornatam adducerent, omne filialis affectûs ſignum eidem denegavit, aſſerens: ſuam Matrem ejusmodi veſtibûs nunquam fuiſſe uſam: ſuîs ergo induta veſtibûs compareat, omnem à Papa filio habitura honorem. Taceo Sixtum V. obſcurîs pariter natalibûs ortum, per jocum dicere ſolitum: ſe natum eſſe in domo illuſtriſsima: illam ſiquidem ſolis lumine per mille ſciſſuras & rimas immiſſô poſſe illuſtrari. Quid *N.63.*

refe-

referam de ipso Salvatore Mundi Regum Rege & Domino Dominantium ? audiatur auctor imperfecti operis de illo sic discurrens : *Homo si ex humili generatur, & Deô præstante ascenderit, erubescit generationem suam audire, & Christus adhuc gloriatur, fratres suos dicendô, sedens in Majestate &c.*

N.64. *Considera* 2. Non disparibûs verbis, quibûs Ruben fratres suos v. 22. cit. capitis allocutus fuerat, inquiens : *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audistis me &c.* conscientiam quemlibet peccatorem in Inferno alloqui. dicit illa, quoties monui : claude oculos ab objectis turpibus, sciens oculos esse scopulos, *& non audisti me ?* quoties clamavi : redde bona injustè parta ; non enim remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *& non audisti me ?* quoties tibi inculcavi : abjice malam blasphemandi consuetudinem, *qui enim blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum*, & de his & de aliis innumeris admonitus, *non audisti me ?* idcircò venit super te tribulatio ista, æternùm ferenda : *Unicuique* ait S. Bernardus lib. de conscien. c. 9. *liber est conscientia, & ad hunc librum discutiendum & emendandum alii libri sunt inventi : anima verò cùm de corpore egreditur, nullum alium librum conscientiæ secum poterit portare, atque in illo agnoscere, quô debet ire, vel quod recipere.* Cain Alcuinô teste adeò graviter ferebat exilium ob culpam suam tam abominabile sibi redditum, ut vitam penitus sibi ablatam cupiens, in has eruperit voces Genes 4 *Ecce ejicis me à facie tua &c. quicunque invenerit me, occidet me.* Denotâsse ergo hæc verba ingens mortis desiderium, ait præfatus author interrogat. 89. ut velut compendio mortis cruciatus evaderet præsentes, quos longè ipsâ morte duriores crediderat esse. Erant cruciatus illi malæ conscientiæ, quæ Cainum afficiebant non tantùm temporali in exilio, quod tunc patiebatur : sed in æterno, quod modò patitur, stimuli & angores, omnibûs Tyrannorum tormentis & morte ipsâ crudeliores. Quantîs quæso angustiis fataliter vulneratus Saul premebatur, quando ab obvio amalecita occidi cupiit 2. Reg. 1. ratus, mortem sibi levamini futuram, at causam angustiarum si inquiras : invenies : hanc non fuisse hostilem exercitum appropinquantem ei, sed crimina, quæ ei conscientia, omnî crudelior hoste, objecerat ; nam Abulensis verba Saulis ex Hebræo sic legit : *quia tenent me ora vestimenti sacerdotalis.* q. d. recogito horrendum illud sacrilegium, quô Deo Justitiæque olim injurius, octoginta quinque Sacerdotes Domini jusseram necari : hic tor-

tor

tor menti meæ obverſans adeò vitam mihi deteſtabilem reddit, ut felicem me faceres ô Amalecita! ſi faceres me mori. Et hæ ſunt proh dolor! quærelæ, quas ſingulis horîs centiès nunc ſorſan repetit miſerrimus iſte Rex, non tot tormenti ab omnibus Inferni flammis paſſurus, quàm à ſtimulo ſauciatæ conſcientiæ patiatur. Philoſophus Cordubenſis Epiſt. 97. Hanc veritatem cæteroquin infidelis habuit ſatis perſpectam, *prima* inquiens, *& pœna maxima eſt peccantium peccâſſe, nec ullum ſcelus impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt.*

FASCICULUS XI.

Doctrinarum Moralium & Aſceticarum.

Doctrina 1.

Deſumpta ex cap. 43. lib. Geneſ. in quo deſcribitur ſecundus fratrum adventus cum Benjamin fratre natu minimo, Joſephi erga eos, & ſpecialiter erga fratrem uterinum exercita humanitas.

Conſidera 1. CHriſtum Dominum non Ægypti tantùm, ſed univerſæ Terræ Salvatorem haud aliter ſe gerere erga peccatores, per pœnitentiam ad ſe converſos, quàm Joſeph Salvator Ægypti ſe geſſerat erga fratres ſuos, ante ſe in genua proſtratos: ut enim ille non negavit negatam ſibi à fratribus charitatem, & non retinuit injurias ſibi ab illis illatas; ita Chriſtus, cum peccatores per ſincerum propoſitum & prævium dolorem confeſſionemque ritè peractam ad ſe converſos, & pro obtinenda venia ſupplices videt; illicò Sacerdotibus Miniſtris ſuis imperat: ut, quos traditâ ſibi authoritate à peccatis abſolviſſent, reficiant pane Euchariſticô. Lauda igitur infinitam Salvatoris tui clementiam & liberalitatem Chriſtiane! & dic cum Thoma Kempenſi lib. de Incarnat. *O ineffabilis Miſericordia tua Domine! quæ ſuper id, quod excogitari poſſit, declarata eſt: nam neſcientes te ſollicitè quæſiiſti, deſerentes te non deſeruiſti, peccantibus benigniſſimè indulſiſti, averſis à te viam oſtendiſti æternæ Salutis? ſi tam pius* *N.65.*

es factus inimicis, quid eris amicis? S. Lucas Evangelista priusquam prodigi filii parentem, compassione tenerrimâ commotum proponit, refert: illum suos direxisse oculos in filium reducem & pœnitentem, ut quò eum cernetet magis fame extenuatum, lacerum vestibûs, ob peccata compunctum, eò magis moveretur ad Misericordiam; atque hinc etiam à longè conspecto & calidas fundenti lacrymas ipse collacrimari, & brachia in amplexum jam explicare cœperit, ut sic divinæ Misericordiæ exprimeret Benignitatem, quæ etiam prævenit pœnitentes, & non tantùm ad se venientes gratiosè excipit. Quare Mellifluus Doctor Tom. 2. Serm. 19. a. 1. c. 2. ait: *Misericordiam ad pœnitentiam revocantem peccatoribus offert, dum manus expandit, quasi omnes peccatores vocet, & trahat dicens eis illud Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis &c.* Nonne Petro pœnitenda remisit, ferè antequam pœniteret, dum tam gratioso oculo perfidum respexit? nonne Zachæum curiositate suâ potiùs, quàm pœnitudine peccatorum in arborem tractum, ad agendos veræ pœnitentiæ fructus invitavit? quare si tua te angant peccata Christiane! accede ad Jesum, ipse est, qui Lucæ 15. *peccatores recipit.* Prosternere ad Sacratissimos ejus pedes, illic mulier septem Dæmonibûs obsessa, plurimîs nempe conspurcata peccatîs, vix dum abluit pedes, eluit turpissimas animæ suæ sordes. Si ut ovis perdita errâsti, pastorem habes in Christo, qui nonaginta novem relictîs, te sollicitè quærit, ut inventam conjungat electorum gregi. Si ob malam peccandi consuetudinem in tumulo sordium tuarum diu jacuisti, en Christus exclamabit: *Lazare veni foras.* Si venereîs captus amoribûs cum Samsone oculos perdidisti, quos audeas elevare, ut iratum tibi cœlum pro venia obtinenda aspicias: en in Christo reperis talem medicum, de quo testatur Evangelium Lucæ 14. *Cæci vident.* Absit, ut vel semel animum tuum subeat maledicta illa cogitatio Caini Genes. 4. dicentis: *Major est iniquitas, quàm ut veniam merear.* Quàm ingens enim immanéque debitum contraxerat Evangelicus ille debitor Matth. 18. & ecce vix procidens in terram rogaverat differri solutionem ejus, non tantùm hanc, sed totius debiti remissionem obtinuit. Perpende causam tam gratiosè & celeriter remissi debiti: *quia rogâsti me.* Hæc unica est, per quam innuit misericordissimus Dominus, ad impetrandam peccatorum veniam non esse opus longîs jejuniîs, non protrahendis per aliquot noctes vigiliîs, non instituendis ad limina Apostolorum peregrinationibûs,

non

non largîs eleemoſinîs, non rigidîs corporum macerationibûs, ſed unicâ contritâ ſcelerum confeſſione, & brevibûs pro venia precibûs.

Conſidera 2. Quòd ſicut Benjamin natu minimus quintuplò plus cibi cæterîs fratribûs à Joſepho acceperat: Ita plus gratiæ in Sacra refectione cibi euchariſtici recipiant illi Chriſtiani, qui per veram humilitatem cæteris ſe fecerint minores: ùt enim vas amplum, quô plus evacuatum fuerit, eò plùs recipit materiæ ſibi infuſæ: ita plus gratiæ recipit anima Chriſtiana divinô refecta pabulò, quô plus à ſuperbia fuerit exhauſta. Quô magìs centurio ille domum ſuam Chriſtô hoſpite indignam reputaverat, eô majorî dignitate fuerat exaltata. *Altus eſt Deus*, ait S. Auguſt. in feſto Aſcens. Dom. *Erigis te, & fugit à te, humilias te, & diſcedit ad te. Quare hoc? quia excelſus eſt, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Huic ergo virtuti præ cæteris omnibus ò Chriſtiane ſtudeas, ut eò dignior fias tantô hoſpite recipiendô. *N.66.*

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 44. lib. Geneſis, in quo deſcribitur ficta fratrum revocatio propter ſcyphum in ſacco Benjamin repertum.

Conſidera 1. DEUM cum electis eodem modô ludere, quô luſit Joſephus cum fratre ſuo Benjamin, quem inſtar furis haberi, & ad vincula fictè trahi voluit: ſed poſtea eum tenerrimè amplexatus, cæteris omnibûs longè chariorem habuit. Haud aliter Deus electos vult variis miſeriis premi, & vix non ab illis ſupprimi patitur; quod tamen non aliâ facit mente, quàm ut eos ad ſui intimam conjunctionem vocatos, ſupernîs muneribûs ditet. Hoc ipſum expertus eſt Joſephus ipſe, quem paſſus eſt à fratribus vendi, in carcerem compingi. Hoc poſt Joſephum expertus fuit Job cum innumeris aliis. *Tantò quis pretioſior DEO*, inquit S. Bernardinus tom. 3. Dom. 10. poſt Pentecoſt. *Quantò propter eum fit vilior.* Quare vates regius non tantùm non petiit à crucibus liberari, ſed pro inferendis ſibi ſupplicabat inſtantiſſimè Pſal. 25. *Proba me Deus, tenta me, ure renes meos & cor meum.* Noverat Sanctus vates: hanc DEI Indolem eſſe, ut quos intendat elevare, hos priùs deprimat: hos odio habeat, ut amet: hos deſerat, ut ſubveniat: his minetur, ut condonet; hos exſpoliet, ut reſtituat; exponat, ut protegat, deſtruat, ut fortificet. *N.67.*

Electorum desideria, ait S. Bernard. tom. 3. Serm. de Tribulat. *dum premuntur adversitate, crescunt sicut ignis, qui dum flatu premitur, creditur extingui, & unde creditur extingui, roboratur.* Experientia probat: oneratis navibus longè magis prodesse salsi maris aquas, quàm dulces fluminum, in his equidem majori submersionis periculo subsunt: quid autem navigantibus ad perennem cælestis Jerosolymæ portum aquæ salsæ aliud sunt, quàm miseriæ & cruces hujus vitæ? quin immò ipsa calamitatum tempestas favens ventus est, ipsa adversitas felicitas, ipsa afflictio securitas. Servis DEI, inquit Augustus, idem obvenit, quod Petro, qui Christo appropinquaturus prosiliit in salsum mare, in quo non sine evidenti vitæ periculo luctari debuit cum fluctibus & procellis. Verba S. Doctoris sunt Serm. 16. de SS *Igitur S. Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic pervenit ad Christum, ostendens nobis: quòd non nisi per pericula pervenitur ad Christum.* Juristis commune axioma est: absurdum esse, plus juris habere eum, cui fundus legatus est, quàm ipsum hæredem aut testatorem, si viveret. Quô positô & suppositô concludes ô Christiane: nullum cœlestis fundi participem futurum, qui Domino illius, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam, non patiendô assimilatur. Quid? Christus in capite deferat spinas, & tu rosis coroneris? ille laceretur flagellis? & tu voluptatibus recreeris? illi sit in ore fel & acetum? tibi mel & vinum? ille sit cruentus in torculari, tu marcidus in lupanari? ille inter contumelias & opprobria? tu inter plausus & gratulantium voces? erras à via, qui tam à longè eum sequi vis, qui solus est via.

N. 68. *Considera* 2. Quod sicut nubes fulmina minans, sæpissimè à vento in pluviam resolvatur: ita divinæ comminationes in imbres gratiæ frequenter desinant, Deusque adeò pronus sit ad comiserandum; ut licèt aliquando minas intentet; memor tamen humanæ fragilitatis gratiosè indulgeat peccata pœnitentibus instar Josephi collacrymans. Hinc S. Ambros. in Psal. 74. ait: *Plus minatur, & minus exigit, cùm irascitur, differt, cùm miseretur, properat, ut absolvat, terret, ut corrigat &c.* S. Augustus. lib. 4. de civit. Dei c. 2. refert: à Gentilibus summâ veneratione cultum esse Numen aliquod, Romiorum habens nomen. Hoc à vertice ad calcem usque uberibûs & mamillîs erat refertum, ex quibus omnia animalia, domestica fuerint & mansueta, vel sylvestria & fera, lac ubertissimè sugebant. Erant persuasi Gentiles illi, Numen isthoc figuram esse Dei, tòtius naturæ authoris. Ridebis chare

Lector

Lector ſuperſtitionem iſtam, ſed non ridebis latens in ea ſymbolum, ſymbolum inquam Miſericordiæ veri Dei, quæ planè innumeris ſcatet uberibûs, è quibus non Juſti tantùm, qui animalium manſuetorum nomine veniunt, ſed etiam graviſſimi peccatores, belluarum mores induti, lactantur, id atteſtante Prophetâ Oſeæ 2. *Ecce! ego lactabo &c.* in hunc finem peccanti animæ in aurem clamat Canticorum 6. *Revertere, revertere ſunamitis, revertere, ut intueamur.* ô mirabilis vocandi modus, planè talis, qui eſt ſine modo. Non ſatis eſt vocâſſe ſemel, vocâſſe bis, ſed tertiò vocatur aberrans anima, & cur hoc? quærenti reſpondet S. Juſtinus. *Idcircò tam crebrò revertere dicitur, ut jam ſi converſa deliquerit, in deſperationem non decidat, ſed à peccandi conſuetudine ſpei indulgentiæ reſipiſcat.* O ingens divinæ Pietatis magnitudo, quæ Deum incantato vix non ſimilem reddit, adeò ut unico quaſi in momento omnium peccatorum obliviſcatur, cùm tamen illa habeat ſibi præſentiſſima, ut maximas debitorum ſummas diſſimulet, cùm tamen ſit ipſa Juſtitia rigidiſſima. Ut amet meretrices, latrones & publicanos, cùm tamen ſit ipſa ſanctitas, & currat poſt illos, qui eum vel maximè fugiunt. Nonne iſta videntur eſſe alicujus incantationis ſigna? quare rebelles Iſraëlitas aliquando puniturus, exclamare auditus eſt: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus.* Fatetur ergo: utramque manum ſibi à miſericordia conſtringi, & hoc non eſt, quod miremur, quando de eo loquentem audimus Eccleſiam, quæ fatetur: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere;* ſi proprium, & à natura eſt ei inditum *miſereri;* ergo violentiam patitur, ſi quandoque cogitur iraſci. Cogetur autem iraſci tibi Chriſtiane Lector, ſi de obtinenda peccatorum tuorum venia deſperans, pœnitere recuſaveris.

Doctrina 3.

Deſumpta ex capite 45. lib. Geneſ. in quo deſcribitur Joſephi gratitudo erga Deum, ejus manifeſtatio, fratrum reditus & relatio, patrisque inde concepta lætitia.

Conſidera: JOſephum exemplô ſuô nos Chriſtianos docere omnia bona in ſolum Deum, tanquam omnium largiſſimum datorem eſſe referenda: non enim eſt auditus dicere: Pharao me fecit Dominum Ægypti, vel meâ prudentiâ aſſecutus ſum tantum Di- *N.69.*

gnitatis fastigium, vel meâ solertiâ tot opibûs sum cumulatus, *sed Deus me fecit Dominum &c.* Quare ô Christiane! quibûscunque tandem naturæ vel fortunæ polleas bonîs aut donîs, ea omnia in Deum tanquam largissimum eorundem datorem gratâ referas mente. Fur sanè es, qui tibi aliquid exinde usurpare præsumpseris. Illuc unde flumina exeunt, revertuntur, & Dona Dei denario comparantur, cui est figura circularis, in qua finis initio connectitur. Judith generosè de Holoferne triumphans, victoriam tam insignem non suæ fortitudini adscripsit, sed divinæ solùm potentiæ, dicens: *per manum fœminæ percussit eum Dominus* c. 13. David celeberrimos Triumphos, quos magnô numerô de hostibus suis reportaverat, non suæ belli peritiæ, sed divinæ adscripsit dexteræ, cantans Psal. 117. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Viginti quatuor seniores, à Joanne in cœlo conspecti, coronas è glorioſis capitibus suis detractas, ad pedes agni deposuêre Apocal. 4. Christus etiam de se testatur: *Opera, quæ ego facio, in nomine Patris mei facio.* Filium imitata Mater ter benedicta in sacratis semper labiis ferebat: *Deo gratias*, teste S. Bonaventurâ. Matrem virgineam imitatus ei devotissimus filius Carolus VI. Imperator Romanus, nunc temporis felicissimè regnans, dum nuper Aulæ suæ citatô cursu advolantes audiit præcones victoriæ illius, quæ à Turcis Duce Eugeniô Principe de Savoia, æterni nominis Heroë, reportata est propè Petervvardinum urbem, in has voces erupisse fertur: *Jesus, Maria, Joseph, & Sancti laudentur omnes; Deus hostes nostros prostravit.* Talia ergo secutus exempla Christiane dic cum asceta lib. 3. c. 22. *Omnia, quæ in anima habemus & corpore, & quæcunque interiùs vel exteriùs naturaliter vel supernaturaliter possidemus, tua sunt beneficia, & te beneficum, pium ac bonum commendant, à quo bona cuncta accepimus: omnia ex te, & ideò in omnibus es laudandus.* Et verò quis, nisi mente captus sit, se gratum non exhibeat datori bonorum Deo? dum persuasi sumus omnes: gratiarum actionem esse novi doni petitionem, petentem verò exaudiendum esse constet, ipsâ veritate divinâ id confirmante. Mater viventium Eva, per primum partum enixa Cainum filium, ut quantociùs grates persolvit, dicens: *possedi hominem per Deum*, mercedem gratitudinis consecuta est, Abelem generandô, priori filio milliès meliorem. Elcanæ Uxor Anna, postquam acceptum à Deo filium appellavit *Samuelem*, h. e. *à Deo datum*, meruit aliorum quinque fieri fœcunda parens. Parem remunerationem non dubitavit S. Hierony-

ronymus in Epiſt. ad lætam ei promittere, quod filiam ſuam Paulam gratitudinis cauſâ Deo conſecrâſſet: *fidens*, loquor, *accepturam te filios, quæ primum fœtum Domino reddidiſti.* Mirabile fuerat illud factum Noë, dum volens benedicere filio ſuo Sem Geneſ. 9. in hæc verba reſolvit linguam: *Benedictus Dominus Deus Sem.* Hæc enim verba magis divinas Laudes, quàm benedictionem filii videntur denotare, ut ipſemet S. Chryſoſt. Homil. 29. in Geneſ. advertit, aſſerens: *Hoc fortè quis dixerit, non eſſe benedicere Sem, ſed Deum Sem.* Verùm admirationem aufert præfatus Eccleſiæ Doctor, dum pergit hæc ſcribere: *Immò valdè benedixit illum; quando enim Deus benedicitur, & aguntur illi gratiæ ab hominibus, tunc uberior ab illo ſolet iſtis benedictio dari, propter quos ipſe benedicitur.* Fuiſſe ergò ſingularem filii Sem benedictionem in eo poſitam, quod Pater gratum pro acceptis à Deo beneficiis ſe exhibeat, filiô id ipſum pariter facturô, ut ſic mereatur, plurium adhuc beneficiorum reddi particeps. Teſtabatur olim largitor bonorum Deus Proverb. 8. Ludere ſe in orbe terrarum: at quô luſu? planè non aliô quàm pilæ, dum dona ſua hominibus miſſa, remitti quantociùs vult inſtar pilæ, quæ ab uno ad alterum colludentem remittitur, luſu tamdiu durante, quamdiu doctarum manuum conatu pila in aëre verſatur. Sic tamdiu largiendô gratias ludit cum homine Deus, quamdiu ille per devotas gratiarum actiones accepta remittit; hinc ritè ad propoſitum ait S. Bernard contra vit. ingrat. *Non ceſſat decurſus gratiarum, ubi fuerit recurſus, ſed locum in nobis facimus gratiâ, ut majora adhuc recipere mereamur.*

Porrò quantùm hîc à Joſepho didicimus gratitudinem, Deo præſtandam, tantùm à Jacobo Patre ejus diſcamus ſpecialem erga Salvatorem noſtrum confidentiam: cùm enim iſte intellexiſſet v. 28. cit. cap. Filium ſuum Joſeph in Ægypto vivere, & regnare, exclamavit: *Sufficit mihi, ſi adhuc filius meus Joſeph vivit.* q. d. unicum in miſeriis ſolatium eſt vita filii: hæc omnia mihi portatu levia reddit: hic baculus debilia ſenectutis meæ membra ſuſtentat, quidquid ergò adverſi impoſterum ferendum, feram leviter, hôc unicô adjutus præſidiô, quòd ſciam vivere filium meum. Non aliter diſcurrat ſecum Chriſtianus, cui de fide conſtat, vivere non Ægypti tantùm, ſed totius orbis Salvatorem Jeſum ſuum. Quibûscunque ergo premátur miſeriîs, id unicum ingeminet: Sufficit mihi, ſi vivat Jeſus Salvator meus! *Quid enim quæris, quod in illo non invenias?* ait S. Bernardus de Paſſ. Dom. *N. 70.*

c. 22.

c. 22. *Si ægrotus es? medicus est. Si exulas Dux est. Si desolatus es? Rex est. Si impugnaris? pugil est. Si sitis? potus est. Si alges? vestimentum est. Si obtenebraris? lux est. Si orphanus es? pater est. Sapientissimus est, omnia sine fine gubernans.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 46. lib. Genes. in quo describitur Jacobi iter in Ægyptum, Josephi discretus amor erga fratres suos &c.

N.71. *Considera:* ITer à Jacobo susceptum & feliciter perfectum, typum esse triplicis viæ Christianæ perfectionis: ut enim Jacob primò divertit apud puteum, ibidem mactans victimas, & Deo offerens Sacrificia: ita Christianus in spirituali itinere apud puteum Sacræ Pœnitentiæ primò subsistit, per dolorosam confessionem hircos peccatorum suorum mactans, & offerens Deo cor contritum & humiliatum instar Sacrificii. Abinde progreditur per semitam variarum virtutum, donec tandem pertingat ad suavissimum Salvatoris amplexum & osculum, quô recreatus cum Jacobo exclamat: *Jam lætus morior, quia vidi faciem tuam.* v. 30. citati cap. Ad hoc iter terendum Christus Dominus ab infantia te vocavit ô Christiane! dicens Matth. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Sed proh dolor! quàm parum spatii hactenùs fuisti emensus? utpote qui etiamnum circa puteum pœnitentiæ hæres, instar stulti in circuitu ambulans; dum vix abhinc egressus, cogeris iterum regredi, relapsus in peccata, jam centiès ibidem per confessionem mactata. Id ergò agam Christiane, ut aliquot tibi suggeram remedia, quibûs adjutus relapsum caveas, & cavendô progredi possis. Primum ex his consistit in consideratione miseri illius statûs, in quo frequenter recidivus peccator versatur: hunc clarius tibi non depinges, quàm si imaginaberis: reum aliquem arte vel marte carcerem & compedes effugisse, sed paulò pòst captum esse. Nonne hic arctiori ergastulo incluſus, gravioribûs vinculîs adstrictus, majorî cautelâ asservatus, omnem evadendi spem perdit? de tali meritô dixeris illud Matth. 12. pronuntiatum à Christo: *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Haud secùs si semel è captivitate Dæmonis elapsus, patrandô antiqua in ejus compedes denuò redieris, quid nisi arctiorem custodiam, & fermè nullam eva-

evadendi ſpem fortieris? libro tertio Regum c. 2. narratur: Semei poſt peccatum ſuum impetratâ à Salamone veniâ habitare permiſſum eſſe in Jeruſalem, eâ tamen lege, ut civitatem nunquam egrederetur. Quam conditionem ſibi favorabilem ratus, lubens libensque accepit Semei, aſſerens: *Bonus ſermo, ſicut locutus eſt Dominus Rex, ſic faciet ſervus tuus.* Sed vix elapſi fuêre tres anni: cùm ecce! Semei ſervos fugitivos inſequens, civitatem egreditur, ſed citò captus, omnem redeundi facultatem cum ipſa vita perdidit. Alterum remedium à relapſu retrahens, eſt frequens meditatio pœnarum illarum, quibûs recidivis afficit divina Nemeſis, quas non obſcurîs verbîs Chriſtus videtur præſagiiſſe languido illi, ad piſcinam à ſe curato, quando eum tam ſeriîs verbîs atque minîs à repetendis peccatis deterrere voluit, dicens: *Jam noli ampliùs peecare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.* Joan. 5. Bone Deus! poteratnè deterius aliquid contingere huic miſero homuncioni, quàm triginta octo annîs jacuiſſe languidum; deſertumque ab omnibus? morbus iſte tantô ſpatiô durans ipſâ utique deterior pejorque morte eſt? quid ergo aliud relapſurus exſpectaret iſte, niſi æternos tartari cruciatus? & hos exſpectent recidivi peccatores, è quorum numero jam innumeri æternùm perditi, eos ſentiunt. Unum lubeat cæterîs tacitîs in medium proferre, de quo Cantip. lib. 2. apum c. 30. iſta refert. Agebantur Feſta Paſchalia; cùm homo quidam peccato mollitiei deditus, ſuo cum paſtore me convenerat, tum ab hoc, tum ab aliis peccatis abſolvendus. Videbatur officii Sacerdotalis ratio exigere à confeſſore, movere primò pœnitenti difficultatem aliquam, dein negare ipſam abſolutionem ob peccatum totiès repetitum; hanc verò opportunîs importunîsque precibûs victus tandem largiebar ipſi: cum qua tamen domum hilarî animô rediens, ſtatim ad peccatum rediît, canis inſtar ad vomitum redeuntis, ſed eventu infeliciſſimô: nam ſecundô Paſchatis feſtô eodem crimine ſeſe fœdans, pœnam ſenſit peccato multiplici parem, dum ingeminans verba: *Vindicta Dei ſuper te*, animam exſpuit immundam, æternîs ignibûs nunquam ſat purgandam. Lapſus iſte terribilis, ſi te à relapſu non deterreat, & progredi non faciat in via perfectionis, eo jam conſuetudinis inveteratæ deveniſti in peccando, ut de te verificetur illud Scripturæ Proverb. 18. *Impius cùm in profundum venerit, condemnet*, & ſic à temporali ſordium tuarum puteo, tranſibis ad æternos ignes, nunquam exinde emerſurus.

N.72. Perpende ad hæc discretum Josephi erga fratres suos amorem: hos siquidem noluit ad sublimiorem statum & honoris gradum in Aula Pharaonis (ut facile poterat) promovere, sed sua in arte pastoria, cui ab infantia assueverant, eos exerceri voluit. O quàm longè alia nunc vivimus tempora in Orbe Christiano: ubi moribûs ignobiles, scientiâ rudes sæpè amicorum auxiliô elevantur, in Aulis cum gravi Principum & subditorum damnô. Et quoties etiam Christiane Lector ad Beneficia Ecclesiastica vel Officia Sæcularia prece vel pretiô tales promovisti, quos nullô meliorî titulô ornatos noveras, quàm quòd tecum arcta vivant in amicitia? quàm severam aliquando Deus exiget à te rationem, si per ejusmodi promotiones alieni peccati aut damni te feceris reum.

FASCICULUS XII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 28. lib. Genes. in quo describitur morbus Jacobi, Ephraim & Manassen in filios adoptantis & benedicentis.

N.73. *Considera:* Ephraim & *Manassen*, quos homines avari, non corporaliter cum pio Jacob, sed spiritualiter cum impiis morituri, in suos filios adoptant, germanos esse, quorum prior interpretatur *divitiarum incrementum*, & posterior *Dei oblivio*. Hèrcle quisquis inordinato affectu terrenis divitiis inhiat, obtentisque adhæret: oblivionem Dei sibi intimè conjunget, testatur id Oseas Propheta divinô loquens ore de Judæis cap. 13. *Adimpleti sunt, & saturati sunt, & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei.* Quomodò enim Dei præsentiam habebit ille, qui aliud cordi suo præsens non habet, & & animô tractat, quàm bonorum temporalium incrementa? quomodò divinam æstimabit potentiam, qui tantùm in divitiarum robore & potentia illarum præsumit? quomodò divinam respiciet pro-

providentiam, qui totus in eo occupatur, ut bona poſſideat, repoſita in annos plurimos? quomodò divinam reverebitur veritatem, qui augendæ pecuniæ cauſâ eam in mendacii teſtem millenîs cum perjuriis adducit? antiquas, ſive novas ſi conſuleris ſcripturas, inordinatum divitiarum amorem quid aliud, quam Idololatriam eſſe reperies? hinc prodigioſus ille Propheta Eliſeus ſummo Idololatriæ periculo ne ſe exponeret, oblata ſibi à Rege Syriæ munera recuſavit, æternâ memoriâ dignam proferens ſententiam 4. Reg. 5. *Vivit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam.* q. d. teſtor Deum, qui fidelem devotumque me ſervum habuit ſemper: non accipiam de oblatis quidquam, ne cœcô illorum amore more aliorum captus; dum inciperem fieri ſervus pecuniarum, deſinerem eſſe ſervus Dei mei. *Cumque vim faceret,* inquit ſacer textus; *Non acquievit.* ô ſpectaculum angelicis admirandum oculis! Eliſeus etiam vim paſſus reſpuit pecunias, ut Dei cultum retineret, & Chriſtianorum aliqui Deo ſuo ſe devotos per manere putant, etſi vim adhibeant, aliena rapiendô? Eliſeo ſatius eſt: Regem offendere, ut recuſandô pecunias non fiat aliquando injurius Deo ſuo, & Chriſtiani ſibi de divina applaudant gratia, etſi cum proximorum offenſa opes plurimas congerent? at demus; opes per fas acquiſitas eſſe, ſi tamen pluris illæ, quàm fas eſt, æſtimentur, & amentur, adhuc oblivionis divinæ remanet periculum, id atteſtante Baſiliô, dum ait: *quò plus opibûs & cupiditate creſcis, eò magis charitate,* Dei *deficis.* Sicut enim avis alligatum pedibus deferens pondus, ad altiora volare non poterit; ita animus divitiis addictus, cogitare de Deo aut nullatenùs, aut niſi ægerrimè valebit: quare Philoſophus ille in mare dejecit opes exclamans: *Mergo vos, ne mergar.* Non tam in profundo aquarum, quam in abyſſô ignorantiæ rerum cœleſtium. Ozias Rex, Regiminis optimi optima dederat ſigna eô tempore notata, quô regale ſolium conſcendit: at ut vix divitiarum copiâ, quibûs egebat ante, circumfluì cœpit, cœpit ociùs mentem priùs Deo affixam, ab eodem abſtrahere. *Cùm roboratus eſſet,* ait Scriptura, *elevatum eſt cor ejus in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum.* 2. Paralip. 26. Erat mos antiquis Rheni accolis, filios ſuos recentur natos collotenùs immergere hujus fluminis aquæ, & quos repererant, nihil inde in ſanitate paſſos, hos crediderant, germanæ fortitudinis futuros aliquando ſtrenuos hæredes. Non diſparî modô ad probandam hominis virtutem pietatemque in Deum, certum dabitur indicium, ſi hominem non qui-

dem in Rheni, sed in Pactoli, aurum vehentis, aqua mersum repereris; nihil tamen in pietate exinde læsum : nam non Oziæ tantùm , sed mille aliorum exemplis probatum est illud Sidonii l. 8. Epist. 7. dictum : *Quædam datur societas penè nominis hisce verbis divitiis & vitiis.* Quare ô Christiane Lector! abjice inordinatum ad metallum fallacissimum amorem, ni velis, ut Deus tui æternùm obliviscatur, qui opûm amore fueris Dei oblitus. Scis utique, te aliquando moriturum, nil tecum ferre, nisi thesauros vitæ benè transactæ. Ille verò solùm copiosus ad Deum vadit, qui in hæredes suos adoptat misericordiam & charitatem. Extende igitur (divitiis nunc moraliter moriens) cum Jacobo dexteram, & illam aurô gravem *minori*, pauperi videlicet largiendô divites eleemosinas, impone.

Cùm verò juxta hactenùs allatas rationes, divitiis abundare tam periculosum sit : hinc miraberis Christiane Lector, quod moriturus Jacob filio suo Joseph plus bonorum temporalium legaverit, quàm legaverat cæteris? sed cogita: Jacobum sciviſſe, quòd sicut Joseph in domo opulentissima Pharaonis egerit dispensatorem non retentorem opum ; sic citrà omnem animæ suæ jacturam noverit illis uti. Ut enim venenum habere non nocet, nisi illud stomacho immittatur, ita divitiæ nisi ad ipsum cor transeant, nocumento non sunt.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 49. lib. Genes. in quo describitur ultima benedictio filiorum omnium cum Prophetiis, & dispositio sepulturæ.

N.74. *Considera* 1. JAcobum vocâsse ad se filios, ut moriturus singulis paternam impertiretur benedictionem, illisque prædiceret futura: sed mirare mirum benedicendi modum , dum acerrimis verbis in non paucos illorum invehitur, eosque durissimè increpat. Modus tamen iste minimè paternum excedit modum : nunquam enim melius parentes superioresque suis filiis aut subditis benedicunt, quàm cùm eorum defectus severis, discretis tamen, verbis castigant. Quare Christus ipse parentum optimus, dum jam staret in procinctu, scandendi cœlum : exprobrâsse fertur *incredulitatem* & *duritiem* filiorum suorum Marci 16. Gratioſè etiam benedixit Saulo, quando eidem in terram prostrato dixit : *Saule ! Saule ! quid me persequeris? durum*

durum tibi eſt contra ſtimulum calcitrare? ita Davidi vel maximè tunc benedixit Deus, quando Prophetam ei miſit, crimen adulterii & homicidii objecturum. *Annuntiate peccatori opus ejus*, admonet mellifluus doctor in Epiſtolis, *ne ille in ſuo peccato moriatur : ſanguinem verò de manu veſtra requiret, qui ſuô eum redemit pretioſô ſanguine. En! de cœlo clamat: Virgo Iſrael corruit, & non eſt, qui ſublevet eam, in luto aurum jacet, tollite Margaritam &c.* Nonne malorum omnium caput ex neglecta correctione ortum ſuum traxit ? enim verò ſi protoparens noſter conjugem ſuam, ad vetitum fructum manus extendere auſam, acrî (ut par erat) correctione caſtigâſſet, eò dementiæ non deveniſſet ipſe, ut pro unius cibi momentaneo guſtu æternam ſui, poſterorumque felicitatem vendidiſſet. Ubi correctio locum habet, ibi delictis clauditur locus juxta illud Pſal. 106. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Correctio acetum eſt, quô aſperſa reviviſcit cicada, quæ antea oleô peructa, fuerat extincta. Salomon correctionem ſtimulo comparat Eccleſ. 12. Ut enim pigritantes equi acceptîs calcaribûs ſtrenuè percurrunt vias ; ita correcti filii aut ſubditi à torpore vitiorum abacti, ad terendas virtutum ſemitas animantur. Correctio fortunato homini eſt frænum, quô intra conditionis ſuæ limites retinetur : miſero ſuſtentaculum eſt, ne poſitam in Deo confidentiam deſerat. Superbo magiſter eſt, qui eum docet humilitatem ; intemperanti menſura eſt, quæ ipſi debitum præſcribit in victu modum ; iracundo clauſura eſt, ne bilem cum proximi propriæque perſonæ damno exſpuat: luxurioſo remora eſt, quæ illum retinet, ne porci inſtar luto ſe immergat. Verbô eſt omnibus omnia. Ut tamen correctio ipſa non debeat pati correctionem, oportet correctorem quaſi alterum induere Protheum cœleſtem, qui fiat quaſi omnibus omnia, aut peritiſſimum agere Medicum, qui omnî opportunô ſit proviſus remediô, ſciens pungere, & palpare, uti faſciâ & ferrô, vinô & oleô, igne & unguentô. Requiritur in eo probitas morum, ut monita ejus mereantur fidem ; requiritur nobilis agendi urbanitas, ut faſtidioſi alliciantur : requiritur patientiæ fortitudo, ut oppoſita toleret ; requiritur cordis magnanimitas, ut reſpuat comminationes ; requiritur affectûs teneritudo, ut ſciat compati miſeris ; locutionis ſuavitas, ut non opprimantur puſillanimes ; diſcretio temporis, ne irritum cadat negotium. Animi conſtantia, ut ad finem pertingat opus. Has regulas correctionis ſequens Chriſtiane Lector, qui parentem vel ſu-

periorem agis, haud dubiè poteris aliquando moriens cum Jacobo dicere: *Exspectabo salutare tuum Domine*, erit enim correctionis tuæ merces æterna gloria, cum Jacobo possidenda.

N. 75. *Considera* 2. Quemlibet Christianum, non tantùm mortis, sed totius vitæ tempore id unicum in votis cum Jacobo habere debere, ut aliquando sepeliatur in sepulchro Patrum suorum, quæ sepultura Spiritualitur intellecta Cælum est, spelunca duplex capiens corpus & animam. Verum uti Jacobus sepulturæ suæ inferri non potuit, nisi priùs fuisset ex Ægypto delatus: ita Christianorum nullus Cælum assequi poterit, nisi DEO serviens exierit mundum. Hinc Origenes homil. 15. in Num. ait: *Quoniam non transitur ad terram sanctam, neque pervenitur ad Regnum, nisi priùs vincatur Amalech* videlicet mundus. Anacharsin Scytham virum admirandæ prudentiæ perconctabatur aliquis; quænam naves forent tutissimæ? respondebat ille: *Quæ in siccum protractæ sunt.* Si quærerer ego: quænam Christianorum animæ de æterna salutæ & requie certiores forent? dicetem ociùs: illas foræ salutis suæ certiores, quæ è mundo, periculoso mari simillimo, si non corpore saltem affectu essent sejunctæ. Quare Christus discipulos suos in tuto positurus, ait: *Ego elegi vos de mundo.* Joan. 15. Petrus totâ vitâ inter pericula versatus: ut tandem securus redderetur deportu obtinendo, quid aliud egit, quàm ut à se abjiceret omnia, quæ mundi sunt? quô factô audiit: *& vitam æternam possidebit.* Matth. 19. Possidebis & tu optatissimam hanc animæ & corporis tui requiem, si animô saltem mundum fugeris, & abjeceris, quo mundanos à cælesti sepultura arcent.

Doctrina ultima

Hujus Fasciculi & totius Libri Geneseos.

Desumpta ex cap. 50. lib. Genes. in quo describitur Comitatus & Sepultura Jacobi.

N. 76. *Considera.* QUomodò cadaver Jacobi insignî Pompâ comitentur Magnates Ægypti, at non aliô fine, quàm ut per solemnem hunc apparatum blandiantur Josepho viventi, & rem intuenti, quem mortuum nullus illorum visus est comitari: quia illô mor-

mortuô ſpes omnis lucri fuerat commortua. Talium comitum & ſociorum proh dolor! ingentem adhuc etiam inter Chriſtianos copiam nutrit orbis, prout ipſe teſtaberis Lector, propriâ haud dubiè experientiâ id doctus. Hi ſanè ſe gerunt inſtar Mercurii, qui auri amiciſsimus, tamdiu illi adhæret, quamdiu à fornace abeſt: in quam immiſſum ociùs deſerit. Aman regalis ille Miniſter plurimos numeravit amicos, & Perſonæ ſuæ Præcones habuit, quamdiu regiô fruebatur favore, ſed ut ſuâ dignitate orbatus, ad furcam damnatus eſt, nullum ampliùs audiît, qui ejus partes ſequeretur, vel etiam unicô illum defenderet verbô. Poſtquàm Tobias ſenior viſum recepit, teſte S. Scripturâ cap. 11. *Venerunt conſobrini cum gaudio congratulantes ei & per ſeptem dies epulantes omnes cum gaudio magno gaviſi ſunt.* Nullus verò aderat cæco & vaiiîs miſeriîs afflicto. Sicut pediculi corpora ſpiritû privata deſerunt: quia ſanguis, quô ſalebantur, tunc concrevit, ita plurimorum amicorum turba ſe gerit, quæ præſtò eſt ſuîs ſervitiîs & obſequiîs, quamdiu affulget pinguis fortunæ ſol: hôc occidente, aut penitùs extinctô actum eſt de amicitia. Tales amicos ſe comprobaverant Jeroſolymitani, qui introeuntem Chriſtum triumphali Pompâ & inſignî applauſu excepêre; ſed cum Latronibus eductum deſeruêre. Tales ſe exhibuêre erga S. Agatham concivem ſuam Panormitani, qui illam Chriſtianæ fidei cauſâ comprehenſam, & ex urbe ſatellitum manu tractam, comitavêre quidem, ſed dum in via diſſolutam fortè calcei corrigiam Virgo alligabat, omnes retrò converſi ad ſua rediêre, ad quos redarguendos Virgo Deum precata, eô in loco oleam naſci fecit, ſymbolum ſtabilis amicitiæ, utpote quæ tam æſtatis, quàm hiemis tempore ſuum retinet vigorem. De his amicis omnibus meritô illud ſapientis edictum quadrat Eccleſ. 6. *Eſt amicus ſecundùm tempus, & non permanebit in tempore tribulationis.* Apologus ille, quem de lupo & corvo finxerant antiqui, è fabula jam pridem tranſiît in hiſtoriam, experientiâ id probante. Corvus quâdam die ſe intimum amicum fingens lupi, ad ejus ſervitia ſeſe obtulerat, eâ tamen lege: ut ſi lupus caperet prædam, corvo etiam cederet aliqua portio. Et verò ut lupus prædâ potitus, carnes vorare cæpit, mox ſibi ſanguinem præberi voluit corvus, hanc enim eſſe debitam ſervitii, totâ die præſtiti, mercedem. Cui lupus: *Abi in malam crucem: tu non me quidem, ſed prædam ſectatus es, eô quidem animô, ut ne corpori quidem meo parceres, ſi exanimaretur.* Eſt ergò altera Jonæ Prophe-

tæ

tæ hædera spes illa, quæ ponitur in hominum amicitia, de qua Hebr. V, 10. dicitur: *Filia noctis erat, & filia noctis periit.* Atque hinc recte dicitur Jerem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.*

N. 77. Vide econtrariò, quàm stabilis sit amicitia cum Deo contracta, & nunquam per peccatum grave sublata: ò quàm benedicta firmaque inde nascitur fiducia, dum idem Propheta cit. capite testatur: *benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit quasi lignum.* Erit lignum, quod Laurum dixeris; ut enim Naturalistîs testibûs fulmen in quidquid impegerit, illud sternit, & lacerat exceptâ Laurô: ita calamitates & miseriæ hujus seculi homines dejiciunt omnes, exceptîs illîs, qui divinæ Providentiæ se totos committunt: hæc enim teste Josephô V. 20. hujus cap. ea etiam in bonum hominis vertit, quæ in ejus ruinam ordinaverant inimici. *Vos cogitastis de me malum*, ajebat Joseph fratribus suis, *sed Deus vertit illud in bonum.* Quare aureus orator in Psal. 10. scribens exclamat: *Magna sunt vires spei in Dominum, præsidium, quod non potest superari, portus tranquillus, turris, quæ nequit pati, arma insuperabilia, vires invictæ.* Hôc clypeô tectus Job excussit omnia Tartari tela, illudentibus sibi opponens cap. 13. *Etiamsi occiderit me, in eam sperabo.* Hôc ense armatus Jonathas hostilia solus cum armigero invasit castra, dicens 1. Reg. 14. *Non est Domino difficile, salvare vel in multis, vel in paucis.* Hâc loricâ indutus David risit formidabiles gigantis Goliathi minas 1. Reg. 17. asserens: *Tu venis ad me in Gladio, hastâ & clypeo: Ego autem venio in nomine Domini exercituum -- & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Igitur ò Christianæ! exclama cum S. Bernardo mente & voce: *Tu es Domine spes mea! quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum: Domine tu es spes mea! hæc unica mihi promissionum causa, hæc tota ratio exspectationis meæ &c.* Tu solus es, qui veræ amicitiæ leges observas, nostrum solummodò spectans commodum, & nostræ intentus utilitati.

(o)

FA-

FASCICULUS XIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. lib. Exodi, in quo describitur Israëlitarum post mortem Joseph auctus numerus, Tyrannis regia in eos exercita.

Considera: QUòd quamdiu in Ægypto vixerit Joseph, filii Israël non creverint, creverint autem illô mortuô; ita quamdiu vivat in homine proprius amor, tamdiu anima maneat sterilis, nullos meritorum fructus parturiens; illô autem extinctô nascatur talium ingens copia. Confirmat hoc Simon de Cass. lib. 8. cap. 21. asserens: *Quamdiu amor proprius regnat, abstinentias & vigilias execramus, fugimus labores, præter illos, qui vergunt in proprium bonum. Obedientia fit oculata, & quisque sibi sessor & equus, Judex & advocatus est &c.* Viderat olìm Joannes Apocal. 13. de mari ascendentem bestiam, septem capitibûs armatam. Hæc teste Bernardinô senens. tom. 1. serm. 5. Similis est amori proprio: is enim ascendit de mari, quia amara refugit: habet septem capita, quia septim peccata capitalia ex eo pullulant; unde enim superbia, avaritiâ, Luxuria &c. nisi ex amore proprio suam trahunt originem? extingue amorem proprium, Herculem erga Hydram egisti, amputandô ei omnia capita. Atque sicut corruptio unius est generatio alterius, ita extinctûs his proprii amoris filiabûs, orientur contrariæ virtutes, illis directè oppositæ. B. Angela de Fulginio amorem proprium ipsô magìs Dæmone fugiendum esse credidit, utpote audita dicere: quòd ille mentem humanam omnî gladiô ancipitî penetrabiliùs affligat, & non coërcitus animam millenîs calamitatibûs invadat. Sicut vulpecula mortuam se fingens, ut gallinîs potiatur, canis latratum imitatur, habenda pro fideli custode pecoris, & non pro hoste: ita amor proprius affectus suos tegere consuevit, & speciosam pietatis larvam mentiri. Quare Sponsa cantic. cap. 2. exclamat: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Parvulas vocat, quia etsi grandiores sint passiones, sub amore proprio latentes; parvulas se tamen fingunt, ut eò faciliùs sibi accessum præparent ad rapiendas ex *N.* 78.

anima virtutes. Noverat hoc S. Franciscus Sales. & hinc adeò omnem sui commodi rationem neglexit, ut teste ejus vitâ lib. 4. c. 5. diceret: si vel levem aliquam amoris proprii partem in corde suo sciret residuam, illicò eam ferrô flammâque persecuturus esset. O quàm raros reperiri est homines, etiam illorum in numero, qui cæterîs exactiùs divinis obtemperant mandatis: raros inquam reperire est, ac penè nullos, qui regium vatem imitati, exclamare ausint, ac contestari: *Quid mihi est in Cælo? aut à te quid volui super terram? -- Deus cordis mei & Deus meus?* intersunt divinis officiis frequentur, magnâ cum devotione suas peragunt preces: at non eô solùm fine, ut soli placeant Deo, sed ut placeant pariter intuentium oculis. Multi ad nutum obediunt imperantium vocibus, non currunt, sed volant, ut exsequantur, quod imperatum est: at quis pedibus alas addit, nisi pœnæ timor, confusionis horror, disgratiæ terror? multi Pharisæum imitati, jejuniîs & vigiliîs macerant corpus: at formant intentionem, quam formaverat Pharisæus: ut videlicet visi ab hominibus, sint ipsis admirationi, sibi laudi. Martia, Romanarum Matronarum Decus, cùm præmaturâ morte charissimum perdidisset coniugem, & ipsa juvenis vidua tum formâ tum opibûs floreret, à nobilissimis juvenibus ad nuptias invitata, virili constantiâ eas recusavit, quærentibus reponens: *Quia mea, non me omnes isti quærunt.* Idem proh dolor! Deus, super omnia amandus, jure conqueritur de multis, qui sibi blandiuntur de singulari in eum amore; cùm tamen dona Dei potiùs, quàm ipsum quærant Deum, amore propriô excæcati. Talibus meritò objicit Christus verba, jam pridem aliis objecta ejusdem farinæ hominibus Joan. 6. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducástis ex panibus, & saturati estis.* O Christiane lector! quære etiam ex te, quômodô, & quô fine tuis in actionibus, quà sacris, quà profanis, & ex objecto indifferentibus quæras, Christum? annon reperis recurvum ad vanam gloriam, ad corporis comoditates, ad animi oblectamenta affectum? annon instar Giezi, Naaman sequentis, post Christum curris, exclamans, si non ore, saltem corde 4. Reg. 5. *Curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.* Annon illum colis instar turbæ illius Lucæ 7. viduam sequentis, eâ tantùm de causa, *ut ait Sylv.* Quôd aliquid commodi ab ea sperare possent tanquam à divite? ne ergo instar ferri, à rubigine pereuntis, pereas ab amore proprio, quem tuo in sinu foves, illum penitùs ejice. Sicut Israëlitæ,

litæ, quô duriùs post mortem Josephi fuerunt habiti à Pharaone, eò magis creverant copiâ hominum, & virium robore: Ità quô magis expellere niteris per mortificationem amorem proprium, eo copiosior eris in virtutibus & actibus bonis.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. Exodi, in quo describitur adoptio Moysis, in flumen projecti, fugaque ejus.

Considera: CHristianum hominem, ut soli placeat Deo, gerere se debere erga actus virtutum, & opera bona, quæ peragit, qualiter se mater Moysis gessit erga sum neonatum infantem: siquidem illum tamdiu hominum conspectui subduxit, absconditumque retinuit, quandiu valuit. Ut verò tandem coacta est, eum publico exponere flumini, fiscellam omnî meliorî modô paravit, ut eò minus damni pateretur à rapacibus undis. Verba S. Scripturæ sunt versu 3. cit. capitis: *Sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum.* Haud secus oportet opera bona, quæ nostri partus sunt per gratiam divinam obtenti, tandiu conspectui hominum subtrahere, quamdiu obedientia aut causa gravis non jubet ea pandi. Hâc autem datâ, ut opera in publicum educta defendantur ab aquis vanæ gloriæ & laudis, omnî studiô vigilandum est. Taliter vigilavit S. Petrus Actorum 3. tunc temporis occurrebat ingens populi turba, grande Miraculum ab Apostolo patratum, spectatura: hoc, ut vidit Petrus, contra vanæ laudis procellas fiscellam composuit, hîsce verbîs constantem: *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham &c.* Quasi diceret: oculos amovete à nostris factis, atque in solum Deum eorundem authorem convertite. Prodigium cernitis, in eo admiramini divinam potentiam, laudate Bonitatem. Regius vates, ut actus suos laude planè dignissimos, laudibus hominum subtraheret, fortissimum eis opposuit scutum Psal. 117. cantans: *Fortitudo & laus mea Dominus.* De S. Dominico Prædicatorum Fundatore, vanæ gloriæ ofore maximo, legitur in vita ejus lib. 4. c. 10. quòd postquam sacrâ eloquentiâ copiosissimam animarum messem collegisset, & hinc omnium ora invitus in sui laudem commo- *N.* 79.

visset, fugæ se dederit, relinquendô locum, tot mirîs illustratum concionibûs. Interrogatus autem fugæ causam? responso dederit; quia plures me ibi honorabant, hîc verò omnes me impugnant. Loquebatur de Hæreticis, in quos inciderat, acerrimè à se impugnatos. Ingeniosa est, & nostro accommoda proposito Glossæ Speculatio in caput 2. Matthæi asserentis: Tres Reges Christum adoraturos, thesaurum, quem publica vehebant in via non aperuisse, priusquàm stabuli subiissent tectum: ut eorum exemplô discerent Christiani, actus virtutum affectu saltem occultare, ut eos Thesauri instar cælo acceptissimi in conspectu solius Dei exponant. Et verò quis nisi malè sanus quærit gloriam humanam? dum illa præter hoc, quòd Deo soli debitam laudem iniquè rapiat, tam instabilis est? Ecce enim Moyses laudatus à tota Aula Pharaonis, & ob insignem pulchritudinem summam in æstimatione habitus, insperatò cogitur exulem agere propter homicidium à se perpetratum. Sicut affluxum maris paulô post insequitur refluxus, sic gloriam & laudem, quam operibûs nostris apud homines adepti sumus, sequitur vituperium. Historici de subterraneis lampadibus scribentes referunt: quasdam earum per plures annos absconditas arsisse, & luxisse semper: at verò vel modicô auræ afflatu penitùs extinctas esse. Idem de vana gloria & laude in mundo obtenta, non incongruè dixeris. Luxerit illa plurimîs annîs lampadis instar, vagata per integras regiones, decantata per omnium linguas: unicô sinistræ sortis vel invidi oris afflatû aut omninò periit, aut in infamiam abiit. Jerosolymam cogita, in quas laudes eruperint tot Judæorum Christo acclamantium ora: sed quàm brevi in alias voces mutata audies quando Salvatorem tuum ad subeundum crucis supplicium iniquè damnatum, comitaberis per urbem. O quàm citò illud glorioſum *Osanna* transiit in maledictum *crucifige*. Dic ergo cum Chrysost. homil. 46. in Acta Apostol. scribente: *Nobis igitur curæ non sit quid multi sentiant, neque ultrà, quam oporteat de gloria simus solliciti. Deo vivimus, non hominibus; in Cælo cives sumus, non super terram: illic præmia & bravia nostrorum laborum jacent: illic exspectamus laudes, illic coronas: eatenùs curemus homines, ne illis offendiculo & damno simus.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex capite 3. lib. Exodi, in quo describitur Visio Rubi, Missio Moysis &c.

Considera: QUomodò Deus per Moysen Israëlitas è servitute tyrannica liberaturus, apparueritei in flammâ ignis, ut sic doceat: quòd igneô Zelô ipsum oporteat prælucere suis subditis, & exemplo esse Christianis superioribus, quibus hominum curam commisit Deus, ut eô instigati & ipsi parî ardeant zelô. *Nihil frigidius Doctore, qui verbis tandummodò philosophatur*, ait S. Chrysost. hom. 13. in acta. *Neque hoc Doctoris est, sed historionis & hypocryta, adeoque priùs vitæ exemplô docebunt, deinde verbis &c.* Doctoris autem nomine quilibet intelligi poterit superior, utpote cujus non tantùm est imperare subditis, sed eos quâ verbô, quâ factô erudire. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, asserit ipsa veritas æterna Christus Matth. 6. Quod autem in homine oculus, hoc est in Republica, communitate aut domo superior: ex hujus vita si reluceat pietas, si splendeat justitia, si scintillet morum honestas, si radios spargat castitas, & ardeat in ea charitas, non disparem ardorem in subditis dabitur reperire. Nyssenus subtilî indagine quærit: cur ad Nuptias Evangelicas Rex miserit servos suos, ad operarios autem conducendos ipse prærierit? & respondens ait: ad nuptias utpote ad rem genio hominum acceptam, nullô motivô fortiorî aut exemplô specialî opus esse, secus verô in invitando ad labores, & sudores: atque hinc ipsius Domini operâ opus exstitisse, quâ ceù stimulô afficacissimô permotti irent ad vineas, & laborem in eis sustinendum. Alexander Macedo teste Curtiô lib. 5. c. 14. interiorem Persidem penetraturus, cùm ad viam nivibûs obsitam geluque constrictam perveniisset, ab eaque ineunda fatigatum militem cerneret abhorrere, ex equo protinùs descendit, primusque sibi dolabrâ paravit semitam, quô factô milites animati, celerî passu vestigia Regis insecuti sunt. Planè sicut equus etiam naturâ piger ab alio prætervolante ad celerem sequelam excitatur, ita homo etsi in via mandatorum Dei acedioſum se monstret, fervidi tamen superioris exemplô ad cursum celerem instigatur: peracutè notat Origenes: Seraphinum soliusProphetæ Labia mundâsse, etsi populus abundaret labiîs undequaque pollutîs: *N. 80.*

Seraphin mundavit labia Prophetæ non mundavit labia populi, ait præfatus Doctor. q. d. sufficisse: mundata fuisse sola labia Prophetæ, utpote quarum mundities tanquam à superiore defluret in inferiores, tanquam à capite in membra, tanquam à fonte in flumen. Hinc pariter notat Bernardus in cantica: Solam Sponsam introductam esse in Cellaria, sed solam non exinde lætitiam hausisse, dum sacer subnectat textus: *Exultavimus, & lætabimur memores uberum tuorum.* Indicari videlicèt per hæc verba: profectum Prælati esse totius pariter populi utilitatem, & id quod bonis actibus acquirat ipse, esse omnium subditorum. Audiantur formalia Bernardi Serm. 23. in cant. *Sola introducta videor, sed soli non proderit, vestrum omnium est meus omnis profectus.* Vide nunc Christiane superior, quomodo hactenùs erga tibi subtitos, tuoque regimini commissos te gesseris, quos oportebat instar Moysis ex Ægypto vitiorum ad Chanaan virtutum educere zelo igneo, qualem in Moyse requirebat DEUS? ò quantis bonorum actuum flammis lucerent illi, si tu præluxisses, qui modò toti frigent, vitiis in te visis seducti? sicut exemplari unò apud typographos vitiatò, omnes libri juxta illud impressi prodeunt, eisdem erroribus infecti, ita unius superioris offendiculum, totius populi fit peccatum. Cancer marinus, cùm prolem suam in littore vidisset, tam distortis gressibus incedentem, & hinc imperaret, ut rectà posthac incederet, audiit à prole: *Pater præcede, & mox sequetur filius:* Ex fabula hac disce: obliquos mali exempli in te notati incessus subditorum quoque à via virtutis aberrantium, aut in ea obliquè incedentium causam exstitisse; facti ergò pœnitens dic cum Moyse, Israëlitas alloquente v. 18. hujus cap. *Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino.* O subditi! me præduce ineamus primò viam purgativam, pœnitendò de perpetratis hactenus peccatis, deinde ineundò viam illuminativam sectemur virtutes, & mediantibus istis pergamus ad unionem cum DEO, ut simus gratissima amoris victima.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 4. lib. Exodi, in quo describitur mira Versio Virgæ Moysis in colubrum, lepra manus, & querela de lingua balbutiente.

N. 81. *Considera* 1. PEr Virgam Moysis in colubrum versam, dari documentum superioribus, ad gubernandos alios destinatis, ut non

non tantùm verbîs, sed quantoque etiam verberibûs regnent, utendô virgâ ad castigandos refragos, nî velint, suam clementiam sibi verti in colubrum peccati, à quo afflati, æternum aliquando cum subditis pereant. *Virga directionis Virga Regni tui.* Se, omnesque superiores adhortatur regius Vates Psal. 44. Virgâ autem debitè non utitur, qui illam in terram projicit, non plectendô vitia. *Ecce! constitui te super gentes & regna*, apud Jeremiam cap. 1. Alloquitur superiores Deus. At quô aliô fine? nisi: *ut evellas & destrues.* Sarculô opus est, ut ager ritè colatur. Magistratui aut Prælaturæ nemo præsidet dignè, qui Chirurgiæ ignarus est, aut hujus officio non satisfacit. At quid Chirurgum facere oportet: nisi cauterium adhibere membris languidis? licet interim clamet, ejulet, obstrepet ægrotus. Quando superior cum Moyse *manum mittit in sinum*, impunitum relinquens peccatum subditi: eandem nonnisi *leprâ* peccati infectam retrahit, econtra si eam extendit in vindictam, discretô modô peragendam, audit Encomium illud Exodi 32. *Consecrastis manus vestras hodie Domino.* Tale Encomium merebatur vir quidam, nobilis stemate, sed nobilior Justitiâ, is, ut refert discipulus in promt. Litt. I. exemp. 38. gravî detentus morbô; cùm in proxima camera audiret fœmineum clamorem, quærebat ociùs: quid rerum ageretur ibi? cumque intellexisset: nepotem ex sorore ejus natum, pudori cujusdam fœminæ violentas inferre manus non erubuisse, advocatis ad se aliquot militibus imperat: in debitam tanti sceleris vindictam nepotem suum illicò suspendant. Milites imperium avunculi indicant juveni, jubentque, si vitæ suæ consulere velit, aspectui cognati sui se illicò subtrahat: reduces dein ad Judicem Herum fingunt: se mandatis morem gessisse. Juvenis elapsîs aliquot diebûs cognati iram eferbuisse ratus: illum denuò adit, à quo blandè exceptus, jubetur lectum propiùs accedere, & ecce! ægrotus unô brachiô collum stringens juvenis, alterâ manu cultellum clanculò extractum gutturi tam fortiter infigit, ut mortuus ante lectum caderet struprator. ô si Christianus orbis plura tam exactæ Justitiæ cerneret etiamnùm hodiè exempla, non fierent tot in domibus stupra, tot in Ecclesiis Sacrilegia! quæ olim vindex Deus non tantùm in subditis peccatoribus, sed etiam in superioribus, talia crimina non debitè vindicantibus, æternùm puniet.

Considera 1. Quòd Moyses jam aliquoties Deo locutus, nunquam causatus sit balbutientis linguæ imperitiam; Pharaoni verò *N.* 82.

de

de mandato Dei locuturus conqueratur hunc defectum? ficcinè promptior ei lingua ad colloquendum Deo Regi Regum, quàm homini? sed noverat Moyses Dei genium, cujus est opera potiùs, quàm verba spectare, præsertim in illis personis, quas destinavit regendis aliis; & hinc Summus Pontifex Sanctuarium ingressurus, non tantùm loquaces campanulas, sed etiam intexta mala punica jussus est ferre in vestitu suo: ut mandatô hôc monstraret Deus: se non solô Verborum & precum apparatu, sed vel maximè consortio malorum punicorum, piorum videlicet operum, recreari: eâ de causa Moyses Deo factis potiùs, quàm verbis satisfacturus, debuit legem, quam verbô docuit, factô implere, proprium filium circumcidi procurans petrâ acutissimâ v. 24. hujus cap. *Psallite Domino in cithara & voce Psalmi*, admonet regius Propheta Psal. 97. hoc est: non solæ voces cantandô, sed & manus operandô laborent; *qui enim cantat, & operatur*, ait S. Augustt. Serm. 222. de temp. *Psallit in psalterio & cithara.* Virgines fatuæ excluſæ sunt à cœlestibus epulis, quia ostium linguâ, non verò manum pulsârunt, audite tantùm clamare: *Domine! Domine! aperi nobis.* Duo filii, qui per maternum os libellum supplicem Christo offerebant, hæc verba ferentem Matth. 20. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei &c.* ociùs responsô tulêre: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* primas nempè sedes, innuebat Christus, illis deberi, qui operibûs, non tantùm verbis loquerentur. Mellifluus Doctor notat de Virgine ter benedicta, ad summum honoris apicem inter homines omnes electa, illam quatuor solùm vicibûs locutam. Primò, quandò respondit Angelo per verbulum *fiat.* 2. Quandò salutaverat cognatam Elisabeth per cœleste illud canticum *Magnificat.* 3. Quandò filium dolenter quæsitum reperit in Templo; illum alloquens: *Fili quid feciſti nobis?* 4. Demum, quandò in Nuptiis penuriam vini conquesta est, dicens: *vinum non habent.* Sed quis facta ejus numeret? quis virtutes, singulîs horîs exercitas commemoret? Respublica Athenienſium Palladi magnificum structura Templum, duos adhibuit artifices; quorum alter multîs verbîs peritiam artemque suam commendaverat, asserens: vidisse se Romæ Templum Pantheon, Ephesî Templum Dianæ, Delphis Fanum Apollinis. Hoc opere Doricô, illud Corinthiaco, aliud & Phrygiô elaboratum, in tantam molem, in tot calceos quodlibet excrevisse, tot columnîs tot basibûs instructum. Auditus diu insulsus blatero, ut tandem jussus est: futuri

Templi

Templi rude saltem Schediasma delineare, in mensura & proportione multum hallucinebatur. Alter dein, qui differentem hactenùs tacitus audierat, paucîs arreptô carbone rem omnem scitissimè delineavit, hoc unicum locutus : *Ego faciam, quod ille dixit.* ô Christiane Lector ! jam à tenera juventute vocatus es in artificem, exstruendi illius Templi, de quo meminit Apostolus 1. Corinth. 3. dicens: *Templum enim Dei sanctum est, Quod estis vos.* Sed malè vereor : ne primum imitans artificem, linguâ valeas non manu, multa differens de spirituali hoc ædificio, pauca in eo, aut nihil operatus. Quare ne aliquandò à Templo Gloriæ excludaris, incipe hodie adhuc: illud *facere*, quod Christus Magister Magistrorum dixit, jussitque fieri.

FASCICULUS XIV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 5. lib. Exodi, in quo describitur Pharaonis durities & Tyrannis in populo laboribus oppresso &c.

Considera: QUàm duram & servituti Ægyptiacæ non disparem servitutem agant homines, qui in res terrenas effusi Mundo inserviunt, de illis siquidem exclamat S. August. lib. Confess. c. 15. *Væ! animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa & reversa, & in terga & in latera & in ventrem, & dura sunt omnia.* Quæso : quid laboris impendunt pulchritudinis suæ aut augendæ aut conservandæ studiosæ mulieres ? quantum sudant dignitatum terrenarum æstu accensi aulici ? quàm acerbis cogitationibus diu noctuque fatigantur lucri avidissimi mercatores? de his & cæteris omnibus verissimè dixeris, quod dictum de Israëlitis, in servitute Ægyptiaca detentis v. 12. citati cap. *Dispersus est populus per totam terram Ægypti ad colligendas paleas.* Quid enim divitiæ, honores & voluptates Mundi hujus, nisi meræ paleæ, res videlicet levissi- *N.83.*

viſſimi momenti? Bernardum ſi quæram: quid aurum & argentum? reponet: eſſe *terram rubram & albam.* Quid byſſus & purpura? planè nil aliud, niſi piſcium vermicumque excrementa. Quid ſæculi honores? reſpondet S. Greg. Nazianz. *Mera ſomnia, ſermones alati, & fumus, qui quò ſurgit altiùs, eo citiùs properat ad nihilum.* Quid carnis deliciæ? mera cadavera porcorum, vitulorum, avium hominumque ſtercora. B. Angela de Fulginio dicere conſueverat: Temporalia bona, fortunas & honores eſſe panis micas, quæ cadant de menſa Domini; atque hinc meritò vocari canes illos homines, qui hiſce creaturis inordinatô affectu inhient. *Arias montanus:* Omnia, quæ mundani homines magni æſtimant, non tantùm paleis, ſed quod minus eſt, cipheræ o. comparat, quæ à ſolido numero ſeparata, prorſus nihil efficit, quô plus fuerit multiplicata ſeorſim accepta, eò inaniùs plura inania exprimit. Meritò igitur Paulus Romanis ſuis objicit Rom. 6. *Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* q. d. ex tantis laboribus aliam non retuliſtis utilitatem præter intolerabilem quandam confuſionem, quæ vitam ſuperſtitem odioſam reddit. *Confidunt in nihilo,* ait Iſaias c. 59. *& loquuntur vanitates, conceperunt vanitatem & pepererunt iniquitatem, telas aranearum texuerunt, opera eorum opera inutilia.* Araneas vocat, quæ in circulum aguntur, & gyrantur, ab una ſe in alteram partem magnô conatu ac labore vertentes, totum corpus eviſcerant: *& grandis quidem labor eſt, ſed effectus nullus* teſte Hieron. in Pſal. 89. Simile hoc deſumptum ab araneis, ſi tibi diſplicet, placebit ſaltem aliud, acceptum à venatoribus, quodque in medium profert S. Auguſtinus Serm. 48. de temp. aſſerens: quos æſtus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, à foſſis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem eſuriendi & ſitiendi? quantas viliſſimi & ſordidiſſimi potûs anguſtias, ut beſtiam capiant, & interdum nec ipſæ beſtiæ carnes, propter quæ hæc tanta ſuſtinent, ſunt epulis neceſſariæ? Quamquam & ſi aper cervusque capiatur, & magis ſuavis ſit venantis animô, quia captus eſt, quàm comedentis palato, quia coctus eſt. Quare ô Chriſtiana anima vivat ſancta in te ſuperbia, quâ ſolùm tuô dignum labore æſtimes illud, ex quo perennem fructum ſperare poſſis. Aures præbe acclamanti ſponſæ cant. 3. *Egredimini filiæ Sion,* deſerendô terrena, ſectandô cœleſtia. Scinde cum Jacobo veſtimenta, mundo hactenùs affixi appetitûs, ut eò ſis aptior ad labores & prælia Domini. Labora ut miles, ſed non ut miles ſæculi, qui per mil-

le

le incommoda, vel sexcenta pericula nil consequitur aliud, quàm vanam gloriam, brevem honorem, aut perituras opes. In Mundo si vivis, saltem vive altior mundô, ut nunquam dicaris servus mundi. Dic: an unquam Deus tibi præceperit: ut Patriam, uxorem liberos amicosque deseras, & conscensâ navî furentibus procellis te committas? hoc præcipit mundus avaris mercatoribus. Dic: quandonam Deus imperaverit, ut spretô omnî vitæ periculô ruas in medios ignes & enses? hoc imperat mundus suis militibus. Dic: quandonam mandavit Deus, ut non tantùm totîs diebûs, sed etiam integrîs quandoque noctibûs scribas, legas, speculeris? hoc mandat mundus officialibus suis. Si ergo laborem refugis, fuge mundum, si quietem appetis, quære Deum, in quo est requies æterna.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 6. lib. Exodi, in quo describuntur querelæ Moysis, quòd illum non exaudiant filii Israël, & hinc eò minùs sit exaudiendus à Pharaone.

Considera: QUòd Zelosi concionatores, libri spirituales & divinæ inspirationes, Christianos homines ad vitæ emendationem exhortantes, meritò conquæri possint cum Moyse dicendô v. 12. cit. capitis: *Ecce! filii Israël non exaudiunt me.* Filii Israel, illi videlicet homines, qui gloriantur filiorum tuorum nomine, & quos ex tot millibus selegisti, ut eos verâ fide imbutos, aptos redderes salutis æternæ: quos tot gratiîs prævenisti tot favoribûs comitaris; hi surdi sunt ad mille sacra & salutaria monita. Malum est: quòd infideles, notitiâ Dei carentes, scelera sceleribus accumulent: sed quòd Christiani divinô lumine illustrati, tot verbîs & exemplîs ad sectandas virtutes & fugienda vitia animati, à peccando non desistant, & sui finis penitùs obliti more pecorum vivant, ingens malum, immò malorum omnium extremum est. Quare meritò talibus minatur Salvator Matth. 10. dicens: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum &c.* quia quò plura accipiunt beneficia, eo gravior erit exactio, & quô magìs extollitur dignitas, utique eò magìs exaggeratur ingratitudinis iniquitas. *Levius est, Deum nescire,* asserit Rupertus Abbas lib. 4. c. 13. *quàm cognitum irritare. Tolerabilius est viam Dei ignorare, quàm post agnitam ire retrorsum.* Hinc Pagani illius calvaria, quam S. Macarius in deserto reperit, de statu *N.84.*

animæ olim inhabitantis quæsita, respondit: illam quidem profundè admodùm in Inferno locatam esse; cùm necessariâ ad salutem caruerit Dei veri notitiâ, verùm sub se alias, longè profundiori in loco positas habere animas, Judæorum videlicèt, quibus Dei notitiam scriptura subministraverit. Alias demùm profundissimè Tartaro immensas esse, animas nempè Christianorum perversæ vitæ hominum, qui præter notitiam Dei & Evangelicæ Legis innumeris gratiis dotati, & sacris inspirationibus ad bonum incitati: hæc tamen omnia nihili duxerint, pejores ipsis Idololatris & Judæis effecti. *Israël me non cognovit*, lamentabatur semel Deus ore propheticò; idem nunc sexcenties lamentatur Christus, dum Christianorum vitam intuetur, tot peccatis conspurcatam, quot stellas cœlum numerat. Quid Israel, nisi *homo videns Deum?* & quid magis cæcò impetu ad ruinam, quàm plurium Christianorum vita properat? cæci sunt, & Duces cæcorum. Nazarænos Christi Patriotas imitantur tales, quorum barbariem describit Evangelium Lucæ 4. *Ejecerunt eum*, Christum, *extra civitatem.* Si id præsumpsissent exteri, nullis unquam beneficiis ab eo affecti, mererentur fortè veniam: at factum hoc à Nazarænis, ut memini Patriotis Christi, tam frequentibus gratiis ab eo cumulatis, quæ pœna satis expiabit? refert S. Vincent. Ferrer. Serm. 5. Dom. 16. post Trinit. Romæ exstitisse quendam juvenem, qui Missam audiens: dum consecratam Hostiam elevaret Sacerdos, genua renuerit flectere, sed quantociùs irreverentiæ hujus rigidam dederit pœnam, alapâ impactâ sibi à Dæmone, dicente: *ô proditor Christiane! pro quo tantum fecit Christus: si centesimam partem eorum feciisset pro nobis, quæ fecit pro vobis, nocte & die servîssemus ei genibûs flexis.* Et hæc verba vix elocutus Dæmon, percussum vitâ penitùs privavit. Meritò itaque malos Christianos ipsis Dæmonibus pejores esse dixeris, utpote qui credunt, & contremiscunt: illi verò etsi credant in Christum, non tamen contremiscunt, non verentur injurii esse Christo; sed veniet aliquando tempus, quando ad tribunal tremendi Judicis vocati, audient ab illo: *Statuam me contra faciem tuam. Ego sum Jesus, quem tu persequeris,* Act. 9. En habes tuis objectum oculis illum, cujus quidem *nomen* ferebas, sed innumeris defœdatum piaculis. *Ego sum via*, per quam tam facile tibi erat ire ad perenne gaudium. *Ego sum veritas*, quæ postquam ore propheticò locuta sum, compatiens ignorantiæ tuæ de cœlo descendi, ut ore propriò tibi loquerer. Obscura fidei Mysteria declaravi; ut in singulis ad salu-

salutem necessariis te instructum, eò certiùs salvarem. *Ego sum vita.* Corpus meum in cibum tibi obtuli, ut eô dignè refectus viveres in æternum, & post tanta gratiarum effusa in te flumina conqueri cogor: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris?* quid ad has querelas respondebit Christianus: nonne totô corpore tremens, ac stupens, horribili ejulatu suam execrabitur perfidiam?

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 7. lib. Exodi, in quo describitur Moysis assumptio in Deum Pharaonis: mutatio aquæ fluminis in sanguinem.

Considera 1. QUomodò Moyses, qui paulò ante linguæ suæ balbutientis defectum fuerat contestatus, eâ dignitate efferatur à Deo, ut non tantùm *Judex*, sed *Deus* Pharaonis constituatur. Verba S. Scripturæ sunt, v. 1. h. cap. *Ecce! constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Ita sanè dignitate & honore neminem digniorem habet Deus, quàm qui se illô indignum reputaverit. *bona humilitas*, ait S. Ambros. in Psal. 118. Serm. 14. *quæ nihil appetendô, quod contemnit, adipiscitur*, dum Gedeon ab Angelo proclamatur Dux universi populi, respondet Judicum 6. *In quo liberabo Israël? ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei*, Joannes Baptista declaratur maximus inter natos mulierum Joan. 1. qui tamen indignum se profitetur, ut Christo solvat corrigiam calceamentorum. Petrus à Christo in Petram, & totius Ecclesiæ militantis caput eligitur, qui tamen Lucæ 5. clamat: *Exi à me Domine, quia peccator ego sum.* Videbantur quidem Magi Ægyptiaci non solùm primos inter homines, sed inter ipsos Deos ponendi, dum occultâ Dæmonis virtute virgas suas in serpentes convertere sunt visi: sed cùm id prodigii non absque grandi superbia & elatione animi factum sit ab illis; hinc unica virga humillimi Moysis omnes eorum virgas devoravit hujus cap. v. 13. Sic Deo nihil frequentius est: quam superbis resistere, humilibus autem dare gratiam & gloriam. Noverat hoc Philippus II. Hispaniæ Rex, & hinc in emblemate sibi pilam depingi voluit quæ jactata in altum, in humum delapsa resiliebat cum hac inscriptione: *Percussa, & suppressa elevor.* Deipara Virgo Brigittam Christo filio suo commendatura, ut eam cœlestibûs repleret donîs, *N. 85.*

audiît ab illo: qui quærit sublimia, necesse est, ut priùs agat fortia, & exerceat humilia. Tria igitur ei sunt necessaria, inter quæ primum humilitas, per quam sublimitas obtinetur &c. purpura ascendit ad regalem ornatum; at constat illam ex profundissimo pelago priùs extrahendam esse. Propheta Regius describens Portenta divinæ manus exclamat Psal. 134. *Educens nubes ab extremo terræ.* Quid? tam speciosus ille cœlorum ornatus, tot variîs coloribûs tinctus, ex infimis & abjectissimis terræ angulis latebrisque prodeat? cur non ex media saltem aëris regione? S. August. cum S. Hilario respondent quærenti: per illas nubes intelligi Apostolos, Prophetas, Prædicatoresque: Origines verò omnes Electos Dei, qui ab infima & vili, hoc est à profunda humilitate, ob quam se vilissimos æstimant, velut nubes subleventur ad cœlestem Paradisum. Verba præfati Origenis sunt in Jerem. *Video: quomodò ab extremis terræ educat Deus has corporeas nubes propterea si velimus nubes fieri, ad quas perveniat veritas Dei, novissimi omnium fiamus: nam inquit psalmus: Veritas tua usque ad nubes.* Non potuisset Christus dicere se *Alpha*, nisi dixisset se pariter *Omega*. Non potuisset vocare se *Principium*, nisi vocâsset se pariter *Finem*. Non potuisset *Assessor* fieri paternæ dexteræ, nisi descendisset ad inferos. Non potuisset assequi *Nomen*, quod est super omne nomen, nisi prius tulisset nomen vermis. Quare ô Christiana anima! exaltari si cupis, obsecunda monitis Prophetæ Psal. 95. cantantis: *Tollite hostias, & introite in atria ejus.* & quænam hæ hostiæ, quæ ad Paradisum usque sublevant? reponit S. August. in hunc locum scribens: *Cor humile. Et ideò si velis adeò sublevari: cùm humili corde intra in domum Dei, & cùm hostia intrâsti; si autem superbus es, inanis intras.*

N. 86. *Considera* 2. Quàm severè Talionis pœnam vindex scelerum Deus exigat: dum per Virgam Moysis extentam super flumen, in quod projecti antea fuerant parvuli suffocandi, omnes aquæ miraculosâ metamorphosî in sanguinem transiêre: quô factô coacti sunt Ægyptii locô aquæ bibere sanguinem. Sic Goliath eôdem ense, quem in caput Davidis strinxerat, proprium perdidit caput. Sic Aman ex eodem patibulo, quod Mardochæo erexerat, pendere visus est. Sic eôdem igne, quem tribus pueris carnifices Babylonici succenderant, consumpti sunt. Purpuratus ille Euclio, licèt totus flammis immersus sederet, linguæ tamen solius pœnam conquerebatur. Caulam hujus detegit S. Chrysologus Serm. 12. dicens: *Si te gehenna flamma complectitur,*

citur, quare solius linguæ æstibûs desideras subveniri? quid sitis extremi digiti gutam, quam si vel solam dedisses pauperi, non sitires? annô supra millesimum octogesimô quartô Henricus III. Imperator Romæ commorans, in Aventinum montem se recepit, Deoque Sacrisque vacare cupiens impensiùs, B. V. Mariæ ædes sæpiùs frequentaverat: cùm ecce! nescio quô malô instigatus geniò, homuncio quidam infima de plebe ei mortem moliri, ingensque saxum in transeuntis caput provolvere cogitabat; sed illicò pœnam talionis sensurus, necem quam Imperatori paraverat, ipse subit: movens enim saxum, cujus oneri regendo par non erat, præceps cum ipsa mole devolvitur, & perit, illud Siracidis dictum suô testatus exemplô verissimum esse: *Qui volvit lapidem, revertetur ad eum.* Proverb. 26. Ita Deus æquissimum agit Judicem non Tyrannum, dum isthoc pœnarum genere utitur ad vindicanda scelera: quid enim justius: quàm illîs ipsîs confodi jaculîs, quibûs proximum inimica manus confoderat? quid justius, quàm eô confundi ferrô, quod quis in alterius caput strinxerat? quid justius: quàm illum spoliari divitiîs, qui rapuit alienas? Justissimam hanc velut exactissimam jam pridem decantavit Vates regius Psal. 7. *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Vide ergè Christiane Lector: ne illud ipsum malum, quod stimulante irâ vel invidiâ proximo inferre paras, in tuum redundet caput, & non sit instar illius gladii, de quo citatus asserit Propheta: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Psal. 36.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 8. lib. Exodi, in quo describitur Plaga ranarum, muscarum, & irriti conatus Magorum &c.

Considera: PLurimos peccatores imitari Pharaonem, qui avidè quidem cupiunt à *Rana* malæ conscientiæ liberari, sed hoc grande negotium procrastinant, dum pœnitentiam differunt de die in diem, de Festo in Festum. Per fervidas Moysis preces liberandus à *Ranis* Pharao, non jam præsentem, quô actu cruciabatur, diem, sed futurum petiit; quis hanc non damnet amentiam? posse illâ adhuc horâ, quâ tormentum hoc gravissimum patiebatur, liberari, & velle exspectare crastinum? *Quid in crastinum differs,* contra peccatorem Pharaonis *N.87.*

raonis æmulum invehitur S. Ambros. Epist. 82. *Potes & hodiè lucrari diem. Cavendum est, ne & illum non teneas, & crastinum amittas.* Ingens detrimentum est, unam perdidisse horam, quando ille potest esse totius vitæ pretium. Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbæ, quæ vix emissa statim rediit ad arcam. *Qui veniam pœnitenti promisit*, ait S. Greg. M. Homil. 12. in Matth. 23. c. *Peccanti diem crastinum non promisit.* Eôdem adhuc die, quò peccaverant protoparentes nostri, priusquàm Sol occubuisset, ingressus est Dominus Paradisum, ut eos patrati sceleris arguens, ad celerem pœnitentiam, illâ etiamnum die inchoandam, instigaret: noverat enim, quantum periculi habeat pœnitentia post lapsum dilata. *Filia mea modò defuncta est*, clamat pro obtinenda ejus vita sollicitus parens Matth. 9. Non exspectans alterum diem, quantociùs illam restitui rogat. Fax citò flammam resumit, si illi extinctæ quidem, sed calidum adhuc fumum spiranti ignem admoveas. Echinus, quò citiùs parit, eò minùs patitur ab aculeis: at si partum distulerit, non sine vitæ periculo parit. Otto Imperator hujus nominis III. teste Baroniô ad annum 1001. Crescentiô Rom. consule contra datam fidem occisô, S. Romualdo spopondit: Monachum se induturum abdicatô Regnô. De promissis his Christianæ pœnitentiæ signis, à Sancto admonitus, ut ea in opus redigeret, reposuit: unicam superesse Romanæ Urbis expugnationem, quâ functus obsequeretur. Ivit; & hem! pœnitentiæ promissæ locô Crescentii viduam sibi copulat, pellice potiùs, quàm vera uxore abusus. Hæc verò ut Imperatorem à se recedere advertit; chirothecas venenô illitas in signum amoris obtulit, & mediantibûs his ei necem intulit. Proh dolor! quot peccatores habet Otto iste socios, qui parî perfidiâ pœnitentiam spondent. Hi auditâ concione, lectâ terribilî historiâ, ortâ gravî tempestate, conscientiâ allatrante promittunt; proximâ se occasione peccata confessario cum dolore deposituros, hoc vel illud negotium prægnans restare adhuc, interim peragendum, quô peractô futurum nihil, quod eos remoretur. ô perfidi mortales! negotium finitum est, celebratum est Festum, confitendi opportuna occasio adfuit; vos verò peccata adhuc in pectore circumfertis. Sigismundus II. Rex Poloniæ ob perpetuam cunctationem in maximis negotiis *Rex crastinus* vocabatur; idem epitethon vobis congruit inertissimi mortales, quibus tamen tam salutaribûs monitîs quotidiè fores pulsat Apostolus inquiens: *Nunc tempus accepta-*

acceptabile &c. & S. Greg. Homil. 12. in Evangel. *Hunc diem de quo loquimur ad inducias conversionis accipimus, ne tunc quæramus ad bene agendum vivere, cùm jam compellimur de corpore exire.* Quid: si hodiè amicus morti vicinus vos accerseret, scripturus vos ex asse hæredes: nunquid juberetis, in crastinum, aut ultrà differri hoc negotium; dum interim grave subesset periculum mortis? nunquid ad pingue Beneficium, aut divites nuptias, ad officium honorificum vocati reponeretis: jam futuras aliô tempore occasiones, talia obtinendi? nunquid audientes, visitaturum vos magnum Principem hodie, aut domus vestras desereretis, aut alium commodiorem diem pro hac visitatione ei præscriberetis? hæc omnia & singula, quin imò alia plura longè minoris æstimationis negotia crastinum non patiuntur, & crastinum patiatur illud negotium, ex quo pendet æterna animæ salus? sed demus: Vos certos esse de crastino, imò de aliquot adhuc annis supervivendis, nunquid etiam certi eritis, de ritè peragenda pœnitentia? qui semel incidit in Judæos creditores, proximus est stipi: quia quô diutiùs non solverit, eò solvet difficiliùs; siquidem usuras usurarum quoque solvere, & tandem bonis suis cedere cogetur. Ita quô quis diutiùs peccatis immersus hæret, debitum accumulat debito, eò indigniorem se reddens Dei veniâ. Dæmon velut aranea captam muscam multotiès gyrandô filis suis implicat, & augetur malus peccandi habitus instar clavi, qui quô plures ictus acceperit, eò profundiùs infigitur parieti. Absit ergo ô Christiane Lector! ut crastinum pœnitentiæ tuæ præfigas diem, continget enim haud dubiè procrastinantibus, quod contigit Pharaoni, qui pœna *ranarum* ad pœnitentiam nondum permotus, *muscâ gravissimâ* obrutus est, quæ totam Regionem ejus consumpsit, musca hæc erit inexspectatô casu adveniens mors.

FASCICULUS XV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 9. lib. Exodi, in quo describitur Plaga ulcerum, & grandinis.

Considera: ALteram pœnam Talionis Pharaoni immissam: is siquidem, qui jusserat filios Israël sudare in coquendis *N. 88.*

lateribus, non disparî pœnâ punitus est per Moysen; qui Deô imperante tulit cinerem de camino, & sparsit in cœlum. Quô factum, horrendîs ulceribûs homines & jumenta adustos esse; ô quàm sedulò igitur custodiendi sunt sensus humani tam in-quàm externi, ne dum fiunt instrumenta offensionis, fiant quoque instrumenta ultionis divinæ: quis enim Samsoni eruit oculos, nisi lascivus Dalilæ aspectus? quis Absolonem è quercu pendere fecit, nisi crines nimìs delicatè nutriti? ut alia exempla, superiùs jam adducta, taceam. Si quis Pharaoni dixisset de Moyse, quadraginta annorum spatiô in Aula tam studiosè educato: en Pharao, hic ipse, quem tam tenerè & inordinatè diligis, te decem gravissimîs brevî affliget pœnîs, quin imò te devorandum absorbendumque dabit maris rubri aquis. Quid tunc egisset Pharao? quos non lapides movisset, ut vel necatô, vel saltem ad Grammitas & Indos usque ejectô Moyse, securam redderet Aulam? tu Christiane per indubitatam fidem probè nescis: non unum tantummodò in corpore tuo reperiri membrum, à quo gravissima animæ tuæ damna, quin imò æternam ruinam timere debeas: quid ages igitur, ut eam à tantis salves malis, & tam rigidam Talionis pœnam evadas? siccinè non illicò paternis Christi monitis obtemperabis, cultrô mortificationis abscindendô manum vel pedem, qui te scandalizaverit? siccinè non vexabis vexantem, ut te ultrà vexare desinat? siccinè non occides corpus, quod animæ mortem minitatur? dic ergo cum Bernardo apud Rodriquez part. 2. tract. 1. c. 4. *Exurgat Deus, cadat armatus iste, cadat, & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui amicus mundi, servus Diaboli - - - reus est mortis: crucifigatur, crucifigatur.* Nunc oculi, quos hactenùs in obscœna conjecis Objecta, calidîs pœnitentiæ lacrymîs ubertim fluant. Nunc manus ad impudicos tactus protensæ, flagellîs armatæ in corpus sæviant. Nunc pedes, qui ad tabernas ad prostibula me deduxêre, ad audiendas conciones, ad obeundas supplicationes, ad frequentanda divina officia me deferant. Nunc guttur, quod ebrietati toties indulsit, pane & frigidâ compescatur aquâ, verbô. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire Justitiæ ad sanctificationem.* Rom. 6. Ita pœnitens ille Rex pœnam Talionis evasurus, lacrymîs cœpit rigare lectulum suum; ut eo ipso in loco sese affligeret, in quo antea suæ carni blandiendô peccaverat. Ita famosa illa peccatrix Magdalena pœnitens effecta, crines, quibûs

tot

tot juvenum corda impurô amore implicaverat, nonnisi tergendis Dominis pedibus applicuit. Ita impudens illud scortum Pelagia, quidquid meretriciô quæstu prætiosum consecuta fuerat, in forum palàm congestum incendit rogô, ut per ipsa vanitatis impudicitiæque suæ ornamenta, Deo faceret holocausta pœnitentiæ. Tu ergo talium exemplorum ductu pœnam Talionis, peccatis tuis debitam, ut advertas, dic cum Davide: *Lacrymîs meîs stratum meum rigabo.* Psal. 6. Dic verbô & factô cum Gentium Doctore 2. Corinth. 4. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.*

Considera 2. Et mirare: quòd Vindex Deus Ægyptiis grandinem igni commistam immiserit: unde enim tam propinqua conjunctio calidi & frigidi? sed dubium hoc ingeniosè solvit Stephanus Cantuar. Asserens: id moris esse Deo, ut in hac vita peccatores puniens, signum aliquod amoris, qui per ignem denotatur, admisceat terrori: confirmat hoc S. August. Tract. 12. in Joan. dicens: *Qui flagellat te ad emendationem, non ad damnationem facit. Ferto patrem erudientem, ne sentias Judicem punientem.* Quando aliquis lethargô decumbit, tunc prima medicorum cura in eo est, ut domesticos adhortentur: ægrum semper excitare studeant, fiat illud opportunè vel importunè, verbîs vel verberibûs perinde sit; dummodò non altum indormiat. Videt Deus peccatores profundo vitiorum somno demersos, nec evigilaturos ad vitam animæ suæ, nî concutiantur & tundantur: quare tribulationibûs utitur, quibûs vexati evigilent ad veram pœnitentiam, & inde ad animæ salutem. Ciceronem à siccariis ad necem quæsitum, dum in villa Cajetana nescius periculi somnum caperet largiorem, excitârunt corvi, abstrahendô à capite stragulum, ac laciniam togæ eò usque morsu tenendô, donec servus id observans, Dominum præsentissimi periculi admoneret. Val. max. l. 1. c. 4. alterum Ciceronem, sepultum somnô agit peccator, qui planè non unô, sed mille siccariis infernalibûs circumdatur, saluti ejus insidiantibûs. Sed ô providam & gratiosam Dei manum! en illa dormienti immittit corvos variarum tribulationum, qui morsibûs eum impetant, donec ad veram pœnitentiam excitatus æternæ se subducat neci. Quàm altum nunc dormiret inter tartareas flammas filius ille prodigus: nisi Dêus ei misisset corvum, famem videlicet gravissimam, quâ excitatus exclamavit: *Surgam, & ibo ad Patrem.* Quàm profundè *N.* 89.

immersus æternis flammîs jaceret nunc Saulus, nisi corvum accepisset à Christo, qui ipsum ex mulo præcipitem actum excæcavit, sed inde excitatum clamare fecit: *Domine! quid me vis facere?* tales corvos à gratiosa parentis superni manu se accepisse etiam fatetur Propheta regius, dum cantat: *Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas.* Dicam ergo cum Salviano lib. 4. de Provid. Dei. *Quid miraris, si cædimur? quid miraris, si castigamur? si in jus hostium tradimur? si inferiores omnibûs sumus? sive miseriæ, sive infirmitates, sive eversiones, sive captivitates, sive improbæ servitutes testimonia sunt mali servi, boni Dei. Quomodò mali servi? quia patior scilicet & ex parte mereor. Quomodò boni Dei? quia ostendit, quod meremur: clementissimâ enim & benignissimâ castigatione mavult nos corrigere, quàm perire.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 10. lib. Exodi, in quo describuntur plagæ locustarum & tenebrarum. Pharonis induratio nolentis Israëlitas cum ovibus & armentis dimittere.

N. 90. *Considera* 1. INter omnes plagas licèt atrocissimas, nullam tamen à S. Scriptura horribilem vocari, exceptîs solùm tenebris, quas præsens memorat caput, totam Ægyptum affeciisse. *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra.* v. 22. Si liceat Christiane Lector; ex istis tenebrîs lucem moralis Doctrinæ trahere, dicam: nullam plagam tam terribilem immitti à Deo posse animæ peccatrici, quàm quæ est tenebrarum spiritualium & cœcitatis illius, quæ cor afficit. Videtur clarissimîs Verbîs hanc approbare sententiam Africæ Sol lucidissimus, dum Tract. 25. in Joan. scribit: *Tenebræ metuendæ sunt morum, non oculorum, & si oculorum non exteriorum, sed internorum, unde discernitur non album & nigrum, sed justum & injustum.* q. d. Hæ sunt horrendæ illæ tenebræ, quibûs datîs, adeò obscuratur humanæ mentis judicium, ut nec falsum à vero, nec terrenum ab æterno, nec utile à damnoso, nec impium à pio discernatur. Quibûs datîs datur ipsissima nox, in qua devius viator nescit, quô vadat, ruens ab uno in aliud præcipitium, & tandem in extremam abyssum. In has tenebras vix non devenerat, à nimio calore concupiscentiæ excæcatus, cæteroquin illuminatissimus David: quô factum, ut non viderit Deum suum, quem

aliàs

aliàs semper præsentissimum habebat: non viderit legem divinam, quæ fuerat antea *lucerna pedibus* ejus: non viderit æternæ damnationis periculum, à quo sibi tam studiosè cavebat; hinc ceciderit in voraginem duplicis peccati, ex qua non emersisset ad lucem, nisi à Nathan Propheta rigidissimâ increpatione fuisset extractus. Quare beneficiô Pœnitentiæ veram lucem iterum adeptus exclamat Psal. 12. *Illumina oculos meos.* q. d. ô infinita Bonitas! quæ fecisti de tenebris splendescere lumen, tribue intellectui meo, ut conservatur in lumine, per pœnitentiam obtento, ne unquam imposterùm vel à stimulis carnis meæ, vel à vanitate mundi, vel à fallaciis Dæmonum excæcatus, *obdormiam in morte* lethalis peccati, & gloriari queat inimicus, *prævalui adversus eum. Tu es refugium meum à tribulatione mea, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.* Nempe à Dæmonibus, novam cæcitatem mihi molientibus inferre. Et ecce! ad ultimum hoc Psalmi pœnitialis petitum, sequitur divinum illicò responsum: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris.* In quàm profundam crudelitatis foveam ab ambitione sua excæcatus Absolon devolutus est, quando extinctâ omnî filialis reverentiæ & amoris face, quam cuilibet homini etiam barbaro natura accendit, non erubuit, paternum maculare thorum, subditos in rebellionem animare, quin imò ratum fixumque habere, non ante oculos claudere in placitum somnum, quàm innocentissimus parens suos oculos claudisset in mortem. Et quis sat clarîs describat verbîs, illam totius Jerosolymæ civitatis caliginem, quam tot divina Prodigia ceù lucidissima præsentis Messiæ testîmonia abigere non poterant? hanc plusquam Ægyptiacam cæcitatem prævidens ille, qui venerat ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum, amarissimîs deflebat lacrymîs, probè cognoscens: fore ut cùm tenebris affectatæ ignorantiæ involuti, non cognoverint *tempus visitationis suæ*, aliquando devolvendi sint in *tenebras exteriores*, in æternùm non ampliùs illuminandi. Ex quo colliges Christiane Lector: non esse reperibile ullum in toto orbe malum, quod cæcitati mentis comparetur; & hinc Deus, qui Dæmoni plenissimam dederat licentiam, in Jobum omnem effundendi rabiem, omnem exercendi crudelitatem, hanc unicam exceptionem salutaris clausulæ locô annexuit cap. 2. *veruntamen animam ejus serva.* id est: Cassiodorô interprete: *Tantummodò eum amentem non facias debilitatô animæ domicilîô*, aut ut Olympiodorus explicat: *Tantummodò*

modò principalem animi partem ne attinge. Hæc siquidem illa lux est, de qua in Proverbiis c. 20. v. 27. testatur Deus : *Lucerna Domini spiraculum hominis.* Hâc enim conservatâ Job, etsi utrôque capitis sui oculô privetur, clarissimè videbit, cavebitque ut non in aliquod stultum, hoc est Deo suo injuriosum impingat, sed licèt nullum præ nimis dolore membrum movere valeat, instar tamen velocissimi cervi viam mandatorum Dei percurrat. Christiane lector, cernens nunc miserrimum hominis per peccatum excæcati statum, hoc inter primas constitue preces cum Davide : *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.*

De reliquo : ut peccator, qui timore & horrore tenebrarum infernalium ad actus, è servitute Ægyptiaca vitiorum per sinceram Pœnitentiam vult liberari, saltem affectum, propensionem occasionemque peccandi non ex integro abscindat ; & hinc in summo periculo relabendi, atque per relapsum hunc extrema mentis cæcitatem incurrendi versetur : ideò Diabolus se gerit instar Pharaonis, qui à filiis Israël Ægyptum egressuris petiit, ut saltem *parvulos, oves & armenta* sibi relinquant. v. 24. cap. citati, ociùs ergò cum Moyse eidem respondendum est: *Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis ungula* v 26. nempe nûllus affectus ad peccatum, aut ejus propinquam occasionem relinquetur.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 11. lib. Exodi, in quo describitur despoliatio Ægyptiorum, minæ de cæde Primogenitorum.

N.91. *Considera :* QUòd licèt homines, qui vocante Deô Mundum velut alterum Ægyptum deserunt, in Chanaan religiosæ vitæ Deo servituri, quandoque multa vasa aurea & argentea thesaurosque propinquis suis videantur relinquere : attamen non Israëlitis eos magis spolient, quàm divites reddant ; rapiunt enim ipsis animi quietem, omnî thesaurô longè præstantiorem, dum eos divitiis post se relictis onerant. Quid enim divitiæ nisi spinæ, quæ pungunt timore, dum habentur, pungunt labore, dum quæruntur, pungunt dolore, dum perduntur ? pulcherrimè ad nostrum propositum dixerit S. Mart. Braccar. inquiens: *Quietissimam vitam agerent homines*

mines in terris, si duo hæc verba à natura omnium rerum tollerent: meum & tuum. Satiatum opibûs nulla nox placitè dormire sinit: excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum perturbat, sollicitat abundantia. Quantîs curîs & anxietatibûs premebatur dives ille epulo? terra, quæ aliis fœcunditate suâ parit lætitiam, huic peperit tristitiam: sciebat, & sciens dolebat: abundantiam fructuum minuere eorundem pretium; & hinc in tantum sibi detrahi de lucro, in quantum uberior esset seges. Quidquid totâ die sudandô per se aut suos fecerat, nihil se feciſse putans, ad novos labores jam penè laboribûs exhaustum corpus excitabat. *Quis non misericordiâ erga hunc corriperetur*, ait S. Basil. Serm. in divit. avar. *adeò à se ipso profligatum, anxium in tanta copia, miserum in tot bonis? non enim proventus ei terra ferebat, sed fletus & suspiria, non fructuum copiam, sed curas, dolores & graves anxietates &c.* Hos effectus pessimos expertus quidam Philosophus: cùm à Polycrate decem millia Ducatorum donô accepisset; ideoque ob phantasias animi inde exortas triduò fuisset insomnis, ociùs remisit donum, jubens Regem retinere res suas, si præter curas aliud non haberet, quod dono daret. Sigismundus Imperator cùm 40000. ducatos ex Hungariæ redditibus collegisset, nocte illâ prorsus nullum capiebat somnum: quare posterâ die Aulam convocans dixit ad Proceres suos: *Ecce! carnifices meos, qui mihi somnum ademerunt. accipite eos, & dividite inter vos.* Jacobus Patriarcha, qui ex paterna domo profugus pauper & inops ad Jordanem devenerat, solô provisus baculô, eundem transiit absque ullo timore: at cùm ingentî hominum & pecorum copia auctus, domum redire voluit, gravissimô terrore fuit perculsus Christiane lector, si eo jam vivas in statu, quô vivere sine divitiîs non valeas; eò quòd, majoris familiæ patrem agas: ita vive, ut non videaris illi vivere juxta Senecæ monitum. Epist. 18. ad Lucill. scribentis: *Nemo alius Deô dignior, quàm qui contempsit opes, quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepidè possideas.* Ut enim muscæ, si modicum mellis gustant, incolumes evadunt, secus si totô se corpore immergant: ita qui datîs sibi à Deo divitiîs utitur moderatè, innoxius manebit à nimia inquietudine, non item, qui eis plenum cor appoſuerit. Moderatè autem divitiîs utitur, quinimò utilissimè, qui eas liberè erogat in pios & laudabiles usus, puta: in alendam debitè familiam, in solvenda operariis & servis stipendia, in sublevan-

levandos pauperes, in augendum Ecclesiæ ornatum. Moderatè divitiîs pariter utitur, qui earundem jacturam non tristî fert animô, Jobum imitans ditissimum, qui perditîs gregibûs & armentîs, tam æquô semper fuerat animô, ut exclamaret. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut placuit Domino, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Hunc secutus Seraphinus Franciscus, cum ex patre, quasi in rabiem acto, audiret: privandum se fore hæreditate, etiam pallium dimisit, asserens: sibi, rebûs omnibûs orbato, ansam offerri, ardentius precandi: *Pater noster, qui es in Cœlis.* S. Bernardus etiam Jobe hac in parte æmulus, cùm ducenta argenti pondo sibi, ad impensa construendi Monasterii missa, audîsset, à prædonibus & grassatoribus intercepta, gratias Deo retulit. Ut taceam Elisabetham viduam Thuringiæ Principis, quæ defunctô maritô à propinquis ejecta, rebûs suîs spoliata, exulem miseram cum parvis liberis agebat, ea tamen patientiâ & liberâ mente, ut à patre suo Pannoniæ Rege accersita, Conradô teste in ejus vita, ire recusaverit, invictâ Constantiâ suam inopiam latura.

Cæterùm perpende: quanta Deus media arripiat: ut iîsdem induratum peccatoris pectus emolliat salutarî timore, & mediante hoc ad pœnitendum disponat: Quando enim sensit, Pharaonem tot immissîs plagîs nondum resipuisse; jam extremum, & cæterîs omnibûs terribilius medium (necem videlicèt omnium primogenitorum Ægypti) per Moysen comminabatur. Quanta ergo est malitia peccatoris, quæ talibûs non superatur mediîs? si teste Cassiodorô *non habet veniæ locum, qui admonitus delinquit*: ò quàm horrenda, meretur pœnas in Tartaro ferendas, qui frequentibûs etiam signîs ad pœnitentiam instigatus, pœnitere recusat? imò in malitia de die in diem crescit?

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 12. lib. Exodi, in quo describitur mandatum de Agno paschali & modo illum comedendi atque secuta cædes Primogenitorum.

N. 92. *Considera*: AGnum Eucharisticum, cujus typum exhibuerat Agnus ille paschalis veteris testamenti, spectandô sensum moralem, eodem modô comedendum, quem Judæis dictante Deô præscripsit Moyses de comedendo Agno paschali. Utendum ergo lactu-

lactucîs agrestibûs, de quibus meminit S. Greg. M. homil. 22. in Evangelia: dicens. *Quòd corpus Redemptoris accipientes, nos pro nostris peccatis in fletibûs affligamus.* Christus Dominus Matth. 14. daturus panes, queîs turbæ reficerentur, priùs voluit sanari ægrotos, non enim poterant *ut ægroti* vesci istîs panibûs. Quod autem prævium requirebat in turbis, panem materialem accepturis, hoc requirit in illis, qui spirituali hôc pane reficiendi sunt: ut nempe priùs ad sanitatem ægrotantis animæ per amaras, sed salutares lactucas pœnitentiæ redeant. quando Numeri 11. manna pluebant Cœli, Ros pariter descendit: ut Rore priùs perfusi Israëlitæ abluerentur à sordibus, antequam cælesti fruerentur ferculô sponsa in Canticis priusquàm invitaret ad potum & cibum amicos, dicendô: *comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. Audita est hæc verba præmittere: *Messui myrrham*, ostensura per hoc: refectionem animæ per cibum & potum Eucharisticum faciendam, præcedere debere amaram & lacrymosam pœnitentiam. Neque etiam Josias Rex umbraticum illud Pascha citiùs fieri voluit, quàm universam mundâsset Judæam, superstitiosîs ritibûs, & contractîs inde peccatîs conspurcatam. *Quanta igitur*, exclamat S. Ambros. orat. ante Miss. *cordis contritione & lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quantâ corporis castitate atque animi puritate illud divinum & cœleste Mysterium est celebrandum Domine Deus! ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humana divinis junguntur.*

Ulterius comedere oportet Agnum Eucharisticum *renibûs accinctîs*, corpore videlicèt à pollutione immuni, à motibus venereîs libero, castîs desideriîs inflammato. *Quantô possumus*, hortatur S. August. Serm. 1. de temp. *Cùm Dei adjutorio laboremus, ut cum sincera conscientia & mundo corde & castô corpore ad Altare Domini possimus accedere, & corpus & sanguinem ejus non ad judicium animæ nostræ mereamur accipere.* Hinc & olim Christiani, singulîs diebûs hôc sacrô pabulô pasti, manus lavabant, Templum ingressuri; vas ergo præ foribus Ecclesiæ positum erat aquâ refertum, in cujus vicem nunc succedere aquæ benedictæ, quibus se aspergunt fideles, ab internis animæ sordibûs mundandi, ut tam castô corpore, quàm anima sacra peragant.

Comedi pariter debet Eucharisticus Agnus *assus* igni cum magna videlicèt erga Deum & proximum charitate: sicut enim reverà ipse est maximum in nos exercitæ charitatis signum, ita reciprocum à nobis

bis exigit amorem. Et licèt pia mater Ecclesia cuilibet hunc agnum sumpturo imperet: ut suæ indignitatis memor, cum centurione exclamet reiteratis vicibus: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Jubemur tamen baculo firmæ spei inniti, instar Zachæi cum gaudio tam benignum hospitem excepturi. Thronum Salomonis sustinebant duæ manus, hinc & inde tenentes sedile 3. Reg. 10. talem adumbrat thronus agnus Eucharisticus, gratiosas porrigens manus amicis, ut confidenter accedant, quin & voce animat, dum ait Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Demum *non lentè* comedendus est, sed summa cum animi aviditate. Quare davidicô protestatur ore: *Edent pauperes, & saturabuntur.* Pauperes, quis nescit, esse homines famelicos, & hinc maximo cum gustu & appetitu appositis vesci cibis? quare etiam Deipara virgo, quæ hunc cibum virginali in utero coxit, cantat Lucæ 1. *Esurientes implevit Bonis.* ô si tantô appetitu protoparentes nostri comederunt fructum, sibi mortem allaturum, quomodò nos Christiani summâ cum aviditate involemus in panem, de quo dignè sumpto, certi sumus: consecuturos nos vitam. Joan. 6. dicente Christo. *Qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum.* Porro sicut illâ nocte, quâ abituri ex Ægypto Judæi comederant Agnum paschalem, omnia Idola divinitùs diruta sunt: sic in anima, dum Sacro hoc pascitur Agnô, omnia Idola pravarum passionum & affectuum penitùs evertenda sunt.

FASCICULUS XVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 13. lib. Exodi, in quo describitur Lex de Primogenitorum consecratione.

N.93. *Considera* 1. QUòd Deus quemlibet Christianum manè surgentem per Sanctam Inspirationem alloquatur talibûs verbîs, qualibûs in Exordio hujus capitis fuerat Moysen

sen allocutus dicens: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Formes videlicèt bonam Intentionem, tanquam primum partum animæ tuæ, vî cujus omnes cæteros actus & opera, per diem agenda, mihi offeras tanquam honori meo consecrata. Sponsa, animæ Christianæ figura, Sponsum suum istîs affatur verbîs. Cant. 7. *Omnia poma, nova & vetera servavi tibi.* Omnes nempe actiones, quæ velut fructus ab homine, arborem imitante, decidunt, tuæ dedicavi gloriæ, tuo honori consecravi: ut enim boni fructus ramis, rami arboribus, arbores suis innituntur radicibus: ita devotæ & Deo charæ animæ vita virtutibus, ipsæ autem virtutes bonæ intentioni innituntur & sicut poma ex arbore lapsa, & in terra jacere permissa putrescunt, super illam verò collecta, & in elevato loco posita conservantur: ita actus nostri per bonam intentionem elevati, æternâ duratione redduntur digni; qui aliàs marcescerent, & putrefierent ob finem terrenum & respectum humanum peracti. Videtur meritò paradoxa locutio illud S. Pauli effatum Rom. 8. dicentis: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Nunquid enim non placuêre Patriarchæ, Prophetæ, Martyres & Virgines, & horum omnium nunquid displicuit Regina? hos enim omnes humanâ carne indutos fuisse, quis negabit? testabatur olim in monte Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,* & tamen de fide constat: hunc quoque de matre virginea carnem sumpsisse, & in hac exstitisse semper. S. August. Serm. 6. de verbis Apost. hæc ipsa Divi Pauli verba admiratus, dubiæ quæstioni respondet asserens: *Placuerunt, sed in carne non fuerunt, portabant carnem, sed non portabantur à carne.* q. d. hi omnes utique vixerant in carne, sed eorum opera nil carnale sapiebant. Carnem sapit: comedere & bibere ob delectationem sensualem, carnem sapit: laborare ob lucrum temporale, carnem sapit, opera sua peragere ritu pharisaicô, de quo Christus Matth. 23. *Opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Et carnem neutiquam sapit, si actus humani non tantùm ex objecto boni, sed etiam indifferentes præeat, & comitetur intentio, his correspondens verbis: *Ut in omnibus glorificetur Deus.* De sponsa, superius laudata quærunt è Cœlo prospicientes Angeli Cant. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit sicut Virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & omnis generis pigmentorum?* quid? fumum dicitis sponsam, quæ densum & carneum circumfert corpus? myrrhæ illam comparatis, quæ tamen adhuc corruptibile circumfert corpus? Gilibertus Abbas Serm. 15. in Cant.

Quærentibus respondet, dicens: *ò quàm delicata sponsa ascendit, quàm penè sine mole corporis? & quàm penitùs sine corruptione corporis? quænam erit corpulentia, ubi fumo confertur? quæ corruptela cùm illa non caro fluxa, sed aromata cremata exhalent?* en! Christiane Lector alluditur hic ad odorem, quem in thymiamate amabat sponsa, in intentione videlicèt optima, quâ opera sua licèt in carne, non tamen ut carnem redolentia, peregerat, divinis obsequens monitis Exodi 30. per Moysen datis: *Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia Sanctus est Domino.* q. d. cavete, ne aromata actuum vestrorum vestris deserviant commoditatibus, redoleant humanum respectum, sapiant carnem, Deo enim soli debentur, hujus ut recreent nares.

Vide nunc Christiane: an non de nocte examen faciens, reperias, plurimas actiones tuas in vanum abiisse, fumum quidem imitatas, non qui ascenderit versus cœlum, ut Deum honoret, sed qui à vento commoditatis propriæ, vanæ gloriæ, aut alterius indebiti finis dispersus, sicque in nihilum redactus sit. Proh! quantam ingratitudinis notam incurristi, dum Deus in tui utilitatem lucere solem, crescere fructus, germinare herbas, flare ventos, fluere aquas jussit: tu verò vix ullum actum ejus honoris & gloriæ consecrasti?

N. 94. *Considera* 2. Quòd licèt Ægyptii Israëlitas egressuros omnibûs armis denudaverint, ne contra eos armati insurgerent: S. Scriptura tamen hujus cap. V. 13. dicat: *In manu forti eduxi de terra Ægypti*, & v. 18. *Armati ascenderunt filii Israël.* Quis dixerit: armatos exstitisse illos, quibus nec unus quidem gladius, quem è vagina educerent, relictus est? Sed en! quibus defuêre arma materialia, adfuêre arma spiritualia, dum constat: Moysen Ossa Josephi secum ex Ægypto tulisse; Sanctorum enim Reliquiæ instar ensium; instar arcuûm aut hastarum contra hostiles insultus deserviunt. Ita Petrus Arragonum Rex primus corpore Sancti Victorini, quod in Castris tempore belli habuit, quadraginta millia hostium stravit teste Bollandô 12. Jan. & in Chronic. Fland. Belg. lib. 15. cap. 9. legitur: *Dum super mœnia pugnabatur, Processio circa ipsa agebatur, & Cruces & Reliquiæ deferebantur.* Adeoque non tot fiduciæ civitates illæ posuerant in fortissima militum manu, in turrium ac murorum altitudine, in fossarum profunditate, in tormentorum currulium igne, quot posuêre in Reliquiarum præsidio. Pari de causa S. Gregor. M. lib. 7. epist. 33. exclamat: *Si gladios Italia & bella formidatis, solicitè debitis quanta aspicere, B. Petri Apostolorum*

lorum Principis in hac urbe protectio est, in qua sine magnitudine Populi & adjutoriis militum tot annos inter gladios illæsi Deô authore servamur.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 14. & 15. Exodi, in quibus describitur Populi timor, à Pharaonis exercitu insequente conceptus, transitus per divisum mare, Pharaonis submersio. Canticum Populi & dulcificatio aquarum.

Considera 1. QUàm verissimè dixerit Victor Antioch. quando in cap. 6. Marci scribens dixit: *Ubi humana deficiunt, ibi divina mox se prodere incipiunt.* Eò angustiarum venerant fugitivi ex Egypto Israëlitæ, ut prorsus nihil superesse videretur, quô imminens effugerent exitium: nam à tergo instabat hostilis eques & armati currus, à fronte sese eis objecerat tumidum mare. Unica patebat ad cœlum via, quâ irent fervidæ preces, quas ut fudit Moyses, ociùs audiit respondentem Deum: *Quid clamas ad me? loquere filiis Israël, ut proficiscantur: tu autem eleva Virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum.* v. 16. cap. hujus. Poterat ægrotos ille, qui tot annîs apud piscinam probaticam miserrimè jacuit, conqueri, se hominem non habere. Sed conqueri non poterat, Christum sibi medicum defuisse. Poterat mulier illa Lucæ 8. Conqueri, se omnem substantiam in medicos collocâsse, nec tamen à fluxu sanguinis liberatam esse: at conqueri non poterat, se à Christo non esse sanatam. Poterat cœcus ille Joan. 9. Conqueri: se curatum à Christo, à Judæis esse foras ejectum, & ab omnibus derelictum: at conqueri non poterat: se à Christo non reassumptum. Poterant demum Discipuli Matth. 8. in mari periclitantes conqueri, se perituros, dum nullus homo præstò esset, qui ferret opem: sed conqueri non poterant, sedatîs à Christo fluctibûs se non esse in tuto positos. De subulcis scribit Theophilactus in cap. 15. Lucæ: Quòd porcorum nimios clamores pertæsi, eos resupinent, ut sic versô in cœlum capite, quô antea terram aspexerant, cessent à clamoribus. Idem planè agendum pastoribus animarum: qui si audierint homines Christianos calamitatum impatientes cum Israëlitis murmurare, illicò seriâ adhortatione eos resupinent, cœleste spondentes auxilium, dicendô cum Moyse v. 18. cap. citati: *Nolite timere: state, & videte Ma-*

N. 95.

gnalia Dei, quæ facturus est hodiè. Videbatur hæc verba Moysis profundè admodum suo infixisse cordi Rex ille pius Josaphat, & hinc exercitui suo ad pugnam congregato dixit 1. Paralip. 20. *Credite in Domino Deo nostro, & securi eritis. Credite Prophetis ejus, & cuncta evenient prospera.* Si non majorem, parem saltem fiduciam posuerat in ope divina Esdras, qui venturus in Jerusalem per quàm periculosâ viâ noluit petere conductum à Rege, sed jejuniis & orationibûs sese armavit. 1. Esdr. 8. cernens Nehemias plurima imminere pericula & labores Templum ædificantibus, inquit 2. Esdr. 4. *Deus pugnabit pro nobis, & nos ipsi facimus opus.* Taceo penè innumera, quæ reperire est in historiis Sanctorum, admiranda divinæ Providentiæ exempla. Legat, qui dubitat vitas S. Joannis Eleemosinarii. S. P. mei Benedicti, Dominici, Francisci. Cathar. Senens. Ignatii Lojolæ &c. quare Psal. 39. regius Propheta non veretur *beatum* proclamare virum, qui plenis velis in infinitum illud Providentiæ divinæ pelagus suam egerit navem. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Cùm enim Deus sit summa bonitas, quid poterit mali ab eo exspectari? cùm sit summa Potentia, quid mediante illô non poterit superari? cùm sit summa Sapientia, Quid illô dictante poterit stultè agi? quare Christiane Lector verbis Mosaicis morem gerens, ita erectâ in cœlum mente, quæcunque tandem necessitas te obruat: non dubita, fore ut inde auxilium, si salus animæ tuæ admiserit, ociùs consequaris. Vide écontra firmam, sed prorsus abominandam quorundam hominum fiduciam, qualem ipse Pharao cum exercitu suo Israëlitas insequens habuit: Is enim depositô omnî terrore divisum mare intrat, quasi certus: se pariter siccô pede illud transiturum. Ita plurimorum Christianorum mos est, etiam in summo damnationis æternæ periculo vanâ salutis confidentiâ demulceri: dormire ante portas mortis & Inferni; & licèt ex filo tenuissimo eorum vita salusque dependeat, temerè tamen audent jocari, ludere, securô pectore gaudere.

N.96. *Considera* 2. Filios Israël etsi adhuc longissimè abessent à terra promissionis: atque hinc debitam gratiarum actionem Deo persolvendam, potuissent eò usque differre, donec in tuto positi, totum iter absolvissent. Nihilominùs ut vix mare rubrum siccô pede egressi sunt, illicò exclamâsse: *Cantemus Domino &c.* noverant hi: Deum per celerem gratitudinem ad conferenda nova beneficia compelli, quod eventus docuit. Testantur hoc coturnices è cœlo missæ, quæ famem sedârunt.

runt. Testantur hoc aquæ frigidæ, ex durissimis etiam petris fluentes, quæ sitim restrinxerunt. Testantur tot barbaræ gentes, per Israëlitas aut cæsæ, aut in fugam actæ. *Ita est liberalis Dominus* ait S. Chrysost. tom. 1. Homil. 14. in Genes. *ut quando videt, nos benè & cum gratiarum actione uti his, quæ nobis concessit, ultrò nos prioribûs & majoribûs augeat.* Grandem utique gratiam à Deo acceperat Jonas, qui molestissimô solis æstu tortus, hederam obtinuit caput tegentem: at brevî tempore hâc gratiâ fruitus est; dum vermis à Domino præparatus derepentè erosit, & arefecit hederam. Causam eventûs istius non quære, si nota tibi fuerit Prophetæ hujus ingratitudo, per quam non tantùm indignum se novæ gratiæ reddit, sed priorem quoque perdidit. Docebunt sequentia: Israëlitas à serpentibus ignitis horrendum in modum afflictos esse: Sed causam calamitatis hujus nobis pariter deteget scriptura, quando gravissimam hujus gentis ingratitudinem narrabit, vî cujus tot acceptorum à Deo beneficiorum immemor, querulas voces contra Deum & Prophetam ejus effundere non erubuit. Vitiosæ ingratitudinis notam & debitam illi pœnam etiam incurrunt; qui etsi cum Israëlitis non murmurent, aut cum Jona inobedientes sese non demonstrent, id tamen agunt: ut beneficium à Deo obtentum suis adscribant viribus. Peccant ergô peccatô ingratitudinis, qui multîs aucti pecuniîs, suæ solertiæ, & in tractandis rebus dexteritati tanquam causæ principali illud adscribunt. Peccant, qui uberem consecuti vindemiam aut segetes, laudant suam in colendis agris & vineis industriam atque peritiam. Peccant, qui de scientiis aut rarâ facundia laudati in hac laude, quasi sibi debita quiescunt, non referendô illam in Deum, tanquam horum omnium fontem. Peccant, qui heroicos mortificationis actus exercentes, cum Pharisæo de populi acclamantis applausu sibi gratulantur. Hi omnes: cùm imitentur corniculam, alienis superbientem in plumis, parem pœnam cum illa, ab aliis avibus deplumata, accipient *Qui* enim *de acceptis extollitur, cuncta, quæ acceperat, amittit.* S Greg. l. 9. moral. c. 1. Consule nunc Christiane Lector conscientiam tuam, & vide: an non horum è numero unus sis, qui tam pudendâ ingratitudinis maculâ se conspurcant: & nî malis, obtentîs à Deo beneficiîs in pœnam spoliari, dic cum Propheta: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* dic itidem cum illo: *non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Dic cum Israëlitis: *Cantemus Domino &c.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 16. lib. Exodi, in quo describitur Populi murmur ob famem & desiderium carnium Ægypti &c.

N.97. *Considera:* QUòd sicut ex grandi incendio exhalari soleat niger vapor, quô oculi redduntur inhabiles ad intuenda clarè objecta, sic ex illicitarum cupiditatum ardore humana ratio ita obfuscari soleat, ut mala moralia nullatenùs advertat, in quæ sese præcipitet. *Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium &c.* Exclamant carnalibûs deliciîs excæcati Israëlitæ. Inde orta est depravatæ naturæ Indoles proh dolor! vî cujus cum illis nitimur semper in vetitum, cupimusque negata. Testatur S. Script. 3. Reg. 11. Salomonem adamâsse mulieres alienigenas multas. Mirum Hercle: quòd inter tot fœminarum greges, quas Rex iste aluerat, nulla fiat mentio mulierum Israëlitarum? sed hic perversæ, ut dixeram, mos est naturæ: desiderare, & frui eô, quod non licet habere; atque hinc ipsemet sapiens, à mulierum vetitarum usu insipiens effectus, testatur Proverb. 9. *Aquæ furtivæ dulciores sunt.* Atque Prosper p. 2. c. 8. de popul. Israël. ait: *Hæc periculosa gravisque animæ ingerit ægritudo, ut noxia sumere velit, & quæ utilia sunt, ac saluti proficiunt, spernat, ac renuat.* Hâc ergo ægritudine affecti homines id miseriæ habent, ut terrenîs voluptatibûs saturari nequeant, & cœlestibûs penitùs priventur; sicut Israëlitis manna de cœlo non priùs missum legitur, antequam farina ex Ægypto delata omninò defecerit. Teste regiô Prophetâ Deus dat escam pullis corvorum invocantibus eum Psal. 146. quæso: cur non etiam majores & adultos corvos dicitur nutrire? cùm isti arrodendis & devorandis animalium cadaveribus semper incumbant; hinc prorsùs indigni videntur, ut Deus specialem providentiam illis impendat: pulli verò cùm ejusmodi fœtentes escas ignorent, & non attrectent; hinc specialiter Deo curæ sunt. Haud aliter hominibus evenit, qui operibus mortuis, voluptatibus videlicet carnalibus & terrenis instar corvorum adultorum per prava desideria inhiantes, se prorsus indignos reddunt supernîs deliciîs. *Vincenti dabo manna absconditum.* Apocal. 2. Promittit Deus, contemnenti carnales sensualesque delicias dabo spirituales: nam sicut stomachus vilissimîs

mîs cibîs repletus, etsi splendidissimo assideat convivio, nullum tamen ex eo saporem & suavitatem percipit, donec illi decocti, & consumpti sint; ita Christiani hominis anima carnalibûs repleta deliciîs recreari, & refici nequit spiritualibûs, donec illæ penitùs sint ejectæ. ô stilidissimi igitur mortalium! ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? ut quid neglectô vel etiam spretò manna inhiatis carnibus Ægypti? an nescitis: omnes sensuales delicias officinis Saccaropæorum simillimas esse, quæ oculis spectantium objiciunt varias capsas, quibûs aureîs litterîs mille gustûs oblectamenta promittuntur; at si quis has aperuerit, inanes nonnisi pixides reperiet. Quid unquam talium voluptatum excogitare potuit mundus, quod non senserit Salomon? & tamen hîs omnibûs pastus exclamat: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Quibûs sensuum oblectamentis non indulsit Henricus VIII. Rex Angliæ? & tamen ad ultima vitæ deductus, altum ingemuit: *Amici perdidimus omnia!* ut moriturus luculentum deponeret testimonium: Voluptates omnes, quibûs in vita fuisset cum tanto animæ suæ dispendio fruitus, res esse inanissimas. *Franc. de Licth. c. 5.* refert: Parisiis intempestâ nocte tres viros non infimæ sortis per compita vagatos, vidisse de longinquo fœminam, cui puer præferebat facem. Vultus velô tegabatur & larvâ. Quæsitâ à viris, propriùs accedere aulis: quid rerum ageret in platea inter umbras? reposuit: se cœnæ præparandæ causâ redire domum. Acceptô hoc responsô associant se viri, & stipatô latere ad lares usque abeuntem comitantur. Reseratam dein per famulum portam ingressi, & oblatô sibi per eundem potu vident velum cum larva remotum esse à vultu fœminæ, & adesse puellam raræ pulchritudinis. Ardere omnes, & quisque eâ potiri, quin etiam unus pudicitiam tentare. Illa quasi erubescere, tandem consentire incipit. Cupitâ voluptate fruuntur omnes: sed ut miserrimi vanitatis hujus sectatores se nihilo litâsse cognoscerent, cernunt ante se fœminæ deperditæ locô jacere putridum ac tale fluens cadaver, puerô autem totôque domô mox disparente remanent tres illi, in abjectissimo civitatis loco depositi; duo quidem fractîs cervicibûs mortui, tertius semivivus, qui inter cadavera repertus, confessioni relictus est. Hoc tragium exemplum cordi ducens Christiane Lector, quidquid sensibilis amoris vel erga alienam, vel propriam personam in illo vivit, ociùs expelle, ne Dæmoni copiam facias, tibi turpiter & pernitiosè illudendi. Verbis Mosaicis obtempera, quibûs

ait v. 19. hujus cap. *Nullus relinquat ex eo in manè.* Enim verò si diuturniorem moram in corde tuo eis concesseris, scatebit ipsum vermibûs peccatorum : & sic nunquam mereberis refici sapidissimô Mannâ cœlestium deliciarum.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 17. & 18. lib. Exodi, in quibus describitur Murgium Populi ob sitim, adaquatio ejus de petra. Victoria de Amalec reportata per preces Moysis Jethro adventus & consilium de ordinandis Judicibus.

N.98. *Considera* 1. PLuribus Christianis etiam singularî pietate insignibus, moraliter & tropologicè loquendô evenire, quod Israëlitis viatoribus evenerat: patiebantur hi ob penuriam aquarum sitim gravissimam : patiuntur & illi ob defectum spiritualium consolationum ac dulcedinum intolerabilem mentis ariditatem, cujus impatientes exclamant cum Israëlitis v. 2. capitis cit. *Da nobis aquam ad bibendum.* Verùm hos ego iisdem verbis, quibus ad Moysen usus est Deus v. 6, Alloquor, inquiens: *Percuties petram, & exibit ex ea aqua.* Petra Christus est, quem oportet, per continuas preces pulsare, non intermittendô ullum ex consuetis precibus & sacris exercitiis. Taliter percussit hanc Petram Seraphicus Pater S. Franciscus, qui tantâ animi desolatione cruciabatur, ut crederet saxa, si sentire possent, etiam disrumpi posse: à solitis tamen devotionibus nec latum unguem legitur defeciisse. S. Mater Theresia 22. annos ea in ariditate consumpserat, ut quidquid Spiritum sapiebat, ei penitùs videretur insipidum; attamen sacris insistere precibus non destitit : quô effecit, ut percussa Petra uberrimîs divinarum consolationum aquîs fluxerit: enim verò ad excellentissimum contemplationis gradum evecta, jussa est omnibus libris nuntium remittere, ut solum contemplaretur verbum, quod æternâ generatione à Patre prodiit. Teste Penneq. p. 3. c. 3. Sacerdos quidam vitæ integerrimæ molestissimîs phantasîs vexatus, adeò videbatur omnem spiritûs dulcedinem perdidisse, & tantam contraxisse ariditatem, ut ad Altare sacra operari non valeret amplius: Petram tamen incredibilî constantiâ gemitibûs (cùm precibûs ritè non posset) pulsans, eâ dulcedine perfundebatur, eâque teneritudine in Deiparam sibi charissimam ferebatur, ut totus propemodùm collique-

liqueſceret. Quare ô Chriſtiana anima! noli Iſraelitarum more in querulas & murmuroſas voces erumpere, ſi Deo fideliter ſerviens, cogaris quandoque ariditatem ſitimque Spiritûs pati. Noli ea de cauſâ à bonis propoſitis, conſuetis precibus & exercitiis remittere, audi S. Greg. lib. 20. Moral. c. 19. dicentem: *Omnipotens Deus, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus relinquit. Unde ſcriptum eſt. Ad punctum in modico reliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Hinc Pſalmiſta deprecabatur: non me derelinquas uſquequaque. Derelinqui igitur ſe, ſed ad modicum poſſe, utiliter noverat, qui ne uſquequaque relinqueretur petebat.* Tecum agit Deus, ut agere cum chariſſimis ſuis infantulis Matres ſolent. Tegunt illæ velô facies ſuas, ut ſic à parvulis pro abſentibus habitæ, ardentiùs quærantur. Aut ſe gerit ut Novitiorum Magiſter, qui patientiam Novitii ſui experturus, aut potum ſubtrahit, aut locô vini aquam ei porrigit bibendam. Nonne probationes iſtæ amoris potiùs, quàm averſionis alicujus ſigna ſunt? nunquid delicatiùs tractari te cupis à Chriſto, quàm tractaverat virgineam Matrem ſuam, cui duodennis præſentiam ſuam ſubduxit per integrum triduum? cupisnè ipsîs Chriſti Diſcipulîs & Apoſtolîs clementiùs haberi à Chriſto, à quibus non tantùm, quantum eſt jactus unius lapidis, ut in monte olivarum contigit, ſed ſpatiô, quô cœlum diſtat à terra avulſus eſt, ad Patrem vadens: quod tamen ideò factum, *quia expedit vobis, ut ego vadam.* Joan. 16. ita expedit tibi, ut quandoque ſe tibi ſubtrahat. Expedit: quia inde creſcit meritum, ſi non decreſcat ſtudium ſervitutis tuæ. Expedit: quia augetur deſiderium, eum avidiùs quærendi teſte S. Bernardô in ſcala Clauſt. col. 3. ubi ait: *Recedit ergo: ne fortè nimis aſſiduus contemnatur, & abſens magis deſideretur, deſideratus avidiùs quæratur, diu quæſitus tandem gratiùs inveniatur.* Age ergo in deſolationibus tuis, quod egit Moyſes hîc durante pugnâ cum Amalec. Erige manus tuas ad cœlum, funde fervidas preces, inſta tuis ſine intermiſſione exercitiis: etſi per aliſquot menſes aut annos certandum ſit, tamen perennet patientia tua. Aderit tibi gratia Dei, ſeriò volenti, & manus à diuturnitate precum graves effectas, ſuſtentabit inſtar Aaron & Hur, manus Moyſis ſuſtentantium.

Conſidera 1. Quòd Deus voluerit Moyſen, virum aliàs ſapientiſ- *N.99.*
ſimum, etiam à Barbaro & alienigena inſtrui, & ab eo conſilium petere, ut nos erudiat; nemini datum eſſe, ut in omnibus, & ſemper

sapiat; atque hinc humilî auri excipienda esse aliorum consilia. Sic etiam Paulus etsi Galatarum 1. profiteatur: se Evangelium non accepisse ab hominibus, sed à Jesu; attamen cum Barnaba se contulit Jerosolymam, consulturus Apostolos de circumcisione Actorum 15. testatur pariter regius vates Psal. 104. senes Ægypti non recusâsse instrui, & illuminari à juvene Josepho: *Ut erudiret Principes ejus, & senes ejus Prudentiam doceret.* Quin imò æterna Patris sapientia non dedignata est Philippum consultorem adhibere Joan. 6. quærens ex ipso: *Unde ememus panes?* adhortor te ergo verbis S. Vincent. Ferrer. Serm. 1. Dom. 1. quadragesi. dicentis: *Noli tibi credere, non erubescas egere præsidiis, quibus non egebat Christus, & tamen non negligebat, ut te doceret.* Sic age præsertim in rebus arduis, & animæ tuæ salutem concernentibus: aliàs *Stulto labore consumeris.* Meliores autem non reperies consultores, quàm tales, quales ad consilium adhibendos Deus præscripsit v. 12. hujus cap. viros videlicet *timentes Deum, & in quibus veritas.*

FASCICULUS XVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 19. lib. Exodi, in quo describitur specialis cura Dei pro incolumitate Israëlitarum, Pactum ejus initum de debita depositione ad legem accipiendam.

N. 100. *Considera* 1. DEUM non solùm Israëlitas Viatores teste S. Scripturâ citati cap v. 4. portâsse super *Alas aquilarum*, ne quid injuriæ ipsis obtingeret, sed quotidie par obsequium præstare Christianis per assistentiam Angelorum Custodum, dum cantat regius vates Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Non tam industriè sollicita Mater omnem cultrum semovet, ne infantulus eum arripiens sibi damnum inferat, quantum custodes Angeli omnem removere à nobis studeant occa-

occasionem, quæ aut animæ aut corpori nostro obesse posset. Cùm Cardinalis quidam in Gallia gemmam centum centum millibûs aureorum æstimatam, alterius custodiæ credidisset: ille tantam ei curam impendit, ut diu noctuque propè cor illigatam servarit. Eâdem sanè curâ Angeli Christianos velut gemmas, infinitò valore pretiosi Sanguinis Christi emptas, custodiunt; quare de illis mox citatus vates eodem psalmô fatetur: *In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Hanc custodiam considerans mellifluus Doctor cuilibet Christiano gratulatur Serm. 77. in Cant. asserens: *Benè tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de Cœlo, de terra venit tibi auxilium, qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt custodes tui Angeli Sancti, vigiles tui Spiritus.* Laudamus solertem illam custodiam, quam Sponsus adhibet, ut Sponsam suam ab omni malo indemnem servet. Verùm hæc suâ durationc longior non est, quàm fuerit pulcritudo sponsæ. Quamprimùm sive morbò sive aliô inopinatô casu difformitas accesserit, illicò recedet custodia, relinquetur sponsa, quidquid ei dein mali obvenerit, non curabit sponsus. Laudemus potiùs custodiam Angelorum, quæ etiam tunc non interrumpitur, quando Christianorum animæ per lethales culpas fuerint adeò deformatæ & defœdatæ, ut horribiles fiant oculis talium Custodum. Apes odoratu sunt adeò delicatô, ut propè fœditum cadaver morari non valeant: quin ne flores quidem jam marcescentes & languidas attingant. Mundissimi econtra hi Spiritus & omnis labis immunes constantî vigilantiâ animæ peccatrici adhærent, & nullatenùs ei tergum obvertunt, id confirmante S. Scripturâ cap. 25. Exodi: *Non dimittet, cùm peccaveris.* Cui Christiane Lector adscribas: tot inter pericula te commorantem, non perdidisse vitam corporis & animæ, nisi Angelo custodi? cui alteri debes: Quòd aliis naufragentibûs deveneris ad portum, quàm huic ductori? ajunt Naturalistæ pavonem tam beneficum quàm formosum, occultô quôdam naturæ Magisteriô cognoscere, ubi locorum lateant venena, quô ociùs occurrat, ac streperâ voce, alarumque agitatione tamdiu impetat vas venenum reconditum habens, donec illud diffringat, aut evertat saltem, & si in terra lateat, pedibûs illud effodiat. Hoc planè, & plura alia moliuntur custodes illi cœlestes: quidquid vel in terra vel in aere, vel quocunque tandem in loco noxium delitescit, quod creditis sibi clientibus obesse possit, omnî conatu removere studeut. O quàm igitur non

sibi antè suis obsequiis obstringunt! quàm gratam exigent mentem!

N.101. *Considera* 2. Per illos dies, quibûs durantibûs Deus voluit Israëlitas præparari ad excipiendam legem, moraliter loquendô intelligi posse, dies illos, quos acceptâ jam legè gratiæ vivunt Christiani, & quibûs expletis erunt coram Judice Christo comparituri, ut rationem reddant de ipsa observantia legis. Mugient tunc tonitrua austeri Judicis, impios de totiès transgressa lege increpantis. Fulminum instar erunt accusationes Dæmonum. Ipsa peccata nunquàm satis per pœnitentiam expiata, horrendos cient fragores. Nubes & caligo terroris totam circumdabit animam. Audiet peccator Christianus à Christo Judice illa Jeremiæ verba cap. 8. *Ubi sunt Dii tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in die afflictionis tuæ.* In quibus majorem locaveras fiduciam, quàm in me Deo tuo. Quarum leges observâsti exactissimè, legibûs meis flocci habitis. Succurrat nunc tibi gloria & Pompa Diaboli, cui in Baptismo quidem renunciaveras, me humilem secuturus, sed adultior factus, ei totum devovisti, repletus superbiâ & contemptu legum mearum. Præstent nunc tibi auxilium tot congestæ opes, tot comparata prædia, tot erectæ domus, quibus omnibus totum pectus tuum consecrâsti, surdâ aure excipiens hoc præceptum meum: *Fili præbe mihi cor tuum.* Adjuvent nunc te amici, à quibus animatus es, meas transgredi leges adsint tibi adulatores, qui proposita tua, meis præceptis contraria, approbaverant. Defendat te nobilitas Prosapiæ tuæ, quæ te arrogantem & temerarium reddidit. Protegat te virium tuarum fortitudo, quæ te audacem fecit. Hæc aut his similia audiens peccatrix anima, quid aliud dicet, quàm: *Cadite montes super nos & colles operite nos. Quid facturi sumus*, ait S. Chrysost. homil. 10. in 2. Corinth. *Cùm Deum offendemus, illique occurremus? nam si quis est mente & sensu præditus, is certe gehennæ pœnam tolerare malit, quàm coram adverso Deo stare.* In comparatione illius Infernales flammæ rosæ erunt, serpentum morsus erunt oscula: Dæmonum flagella erunt blanditiæ, tenebricosum illud Tartari antrum erit serenum Pallatium, inconditi damnatorum clamores erunt dulcis musica. Verbô omnia tormenta per integram æternitatem ferenda, damnati forent levius, quam unicum Judicis tremendi aspectum, & austeram increpantis vocem. Quid ergo facies christiane Lector, dum adhuc vocat? quàm cum Moyse divinis obse-

cunda-

cundare verbis quæ jubent, Israëlitas *Sanctificari* lavandô vestimenta peccatricis animæ per amaras pœnitentiæ lacrymas. Non audias tantùm leges Dei tui, sed vide, ut iis conformiter vivas, nec unam quidem temerè transgrediendô. *Beati sunt servi illi, quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes.* Lucæ 12.

Doctrina 2.

Desumpta ex capite 20. & 21. lib. Exodi, in quibus describitur Dei Clementia, Populi pavor, & Ritus formando Altari præscriptus. Lex de servis homicidis, bove cornupeta &c.

Considera 1. QUanta Dei sit Misericordia & Clementia erga homines: ut offensus vindictam non extendat ultra tertiam vel quartam generationem, prout S. Scriptura citati cap. V. 5. testatur: *Visitans iniquitatem in filios in tertiam & quartam generationem*; econtra gratias & beneficia sua extendat *in Millia.* Adeò: ut dicat S. Laurentius Justin. Serm. in Festo Corp. Chr. *Si Authoris tui dona dinumerare volueris, arenam maris, guttas pluviarum & multitudinem reperies superare stellarum.* Sex tantummodò dies olim insumpserat creandô universum Mundum, quadraginta autem impendit, quando aquîs Diluvii destruxit creata, ostensurus per hoc, quàm promptus & velox sit in conferendis beneficiis, quàm tardus in vindicando. Simon de Cassia exactiùs perpendens Dei clementiam, peracutè asserit: Deum peritissimum *Aucupem* agere. Quantam diligentiam auceps inpendit capiendis aviculis, percurrens silvas, pervagans remora ascendens petras? nunc tenaces præparat viscos, nunc insidiosas virgas tegit frondibûs, nunc domesticas aves, qui alias suô cantu decipiant, disponit. Adaptat retia, restes funesque explicat: se ipsum intra silvarum dumenta recondens, avidè omnem speculatur occasionem, quâ in cassas agat, suâ arte deceptas aviculas. Haud aliter se gerit Christûs erga humanum genus, quare frequenter divinis in litteris nomen venatoris sortîtus est. Quot verba per Evangelium librosque spirituales loquitur, tot retia explicat; quot præmia se sequentibus spondet, tot tenaces viscos præparat: quot metaphorîs & parabolîs utitur, tot veluti arborum frondibûs dulces abscondit dolos: quot viros Apostolicos, tot quoque aves domesticas hâbet, optime instructas, qui pecca- *N.* 102

peccatores quâ verbô, quâ factô sibi attrahant. Testatur de illo Mathæus Evangelista cap. 9. Quot olim circuierit omnes civitates & castella, curaturus omnium languores & infirmitates. Agit hoc per suos Ministros perque custodes angelos etiamnum hodie: ut teste S. Chrysologô sese opponeret Dæmoni, qui juxta effatum Petri: *Circuit, quæreus quem devoret.* Ut inquam se huic opponeret, salvandô, quos ille perdere vult, excitandô ad vitam gratiæ, quos ille morte peccati affecit; Subducendô periculis & insidiis, quæ ille struxit; rapiendô è faucibus Inferni, quas ille ad devorandum aperuit. Ingens tamen, & nunquam satis laudanda isthæc Misericordia non afficit peccatores nisi viatores, extinctâ enim vitâ succedit horrendus Rigor Divinæ Justitiæ, quem sensurus peccator præ nimio terrore exclamabit cum Israëlitis v. 19. hujus cap. *Non loquatur nobis Dominus.* Nam quamprimûm ejus tremendam vocem audierit: morietur, morte proh dolor! æternâ.

N.103. *Considera* 2. Quemlibet Christianum in Baptismate profiteri servitutem Christi, accipiendô vestem Innocentiæ, eâ sub obligatione ferendam qualem Deus servis Judæorum præscripsit v. 3. supra cit. cap. jubens, illos in eadem veste egredi, quâ ingressi sunt. Ita Christianus Innocentiæ vestem, in fonte Baptismatis obtentam, è vita mortali exiens, secum ad æternitatem deferat. Est autem vestis ista ex tam subtili panno confecta, ut summa custodia eidem conservandæ impendenda sit: frangitur non factis tantùm, sed etiam verbis; quin imò etiam ipsis cogitationibûs. Ut vestimentum comeditur à minima tinea: ita pravis cogitationibûs perditur innocentia. Bombyces sunt ab initio velut grana sinapis, at ubi hæc incaluerint, in vermes evadunt. Non dispar judicium feras de cogitationibus malis, quod agnoscens Didacus stella p. 3. de vanis. Mundi, ait: *Cave imprimis sensualitatis semina* (malas cogitationes puta) *de quibus calore pectoris reviviscat vermis mordens & rodens conscientiam.* Magnum Indiarum Apostolum S. Franciscum Xaverium Dæmon dormientem aggredi ausus, impuram ei objecit imaginem, cujus horrore ille fortiter perculsus, etiam dormiens tantâ vehementiâ obnitebatur, ut ruptâ pectoris venâ evigilans, multum sanguinem spueret. Satis erit ò Christiane! si fœdâ cogitatione infestatus, vigilans dimidium hujus conatûs in resistendo adhibueris. Est reperire non paucos, qui nil mali sibi obventurum suspicantur, etsi portas pectoris sui latè pandant, pontes versa-

versatiles dimittant, & oppugnantibus tanquam amicorum optimis aditum concedant. Multum alii se feciſſe credunt, ſi indifferenter ſeſe gerant ad malarum cogitationum aſſultus: quia hoc ipſum non conſentire, vix non pro tacito habendum conſenſu. Ova aſpidum imitantur cogitationes malæ, quæ ſi quis non ſtatim abigat, ſed parùm etiam foveat, venenô inficientur. *Ova aſpidum ruperunt*, ait Iſaias c. 59. & hæc *erumpent in regulum.* Miraculum æſtimabant Barbari eveniſſe tunc, cùm viderunt è manu Pauli pendentem viperam, quæ irruerat in ipſum, nuſpiam inde læſum: putabant enim fieri non poſſe, ut invaſus non ſubitò corruat, & moriatur. Miraculum & ego reputo: cogitationem malam habere pendulam è pectore, & inde non lædi in conſcientia quinimò talem hominem, ut olim Barbari fecêre cum Paulo, Deum pronuntio. Plinius lib. 10. c. 74. de aſpide ſcribit, quæ educata in domo cujusdam hominis, cùm diu meminem læſiſſet, catulum tamen peperit. qui filium hoſpitis occiderit. Haud aliter prava cogitatio, in animæ hoſpitio jacere permiſſa, etſi quandoque diutiùs non nocuerit, conſenſum impetrandô: catulum tamen, motum videlicet carnalem parit, qui non ſtatim expulſus, obtinendô conſenſum animam necat. *Beatus* ergo, dicam meritò cum rege pſalmiſta Pſal. 136. *Qui tenebit, & allidet parvulos ſuos ad petram.* Eſt quidem hoc ipſum res certè non facilis, ſed teſte S. Greg. M. l. 4. moral. negotium etiam doctiſſimis faceſcens, dum ait: *Facile eſt, perverſa opera vitare, ſed nimis difficile eſt, ab illicita cogitatione mentem corrigere.* Ut enim nodus in tenui filo holoſerico factus difficilius ſolvitur, quàm factus filô craſſô: ita cogitationum nexus ægriùs ſolvuntur ipsîs operibûs. Rari ſunt, qui ſibi conſcientiæ ducunt, non excuſare ſe in confeſſione de habitis cogitationibus malis; niſi certò ipſis conſtet de habito conſenſu. Verùm ſicut nodus ex ſubtiliſſimo factus filô deprehenditur, cùm per acum tranſire debet: ita in Judicii auguſtiſſima porta cogitationes illæ nihili æſtimatæ deprehendentur in oſtium cœli impingere, non permiſſæ tranſire, donec per purgatorios ignes fuerint penitùs ſolutæ. Si tantus eſt Juſtitiæ divinæ rigor, ut teſte S. Scripturâ citati cap. V. 24. *Nunc oculum pro oculo, dentem pro dente* reddi velit. Quantus tunc erit, quando Judex eſt venturus, cuncta ſtrictè diſcuſſurus, & nil inultum remiſſurus?

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 22. & 23. lib. Exodi, in quibus describitur Lex de furto, stupro & detractione contra superiores commissa. Lex de impartialitate Judicum, de accedendo Templo à masculis.

N.104. *Considera* 1. SI Deus juxta qualitatem furti voluerit pœnam taxari, gravissimam utique illos mereri pœnam, qui aliis bonam famam auferunt: utpote bonum cæteris omnibus prævalens, dicente S. Scriptura Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Hoc ipsum bonum distinguit hominem a brutis licèt enim bestiæ aliquam appetant excellentiam, de bono tamen nomine curam non habent. Adhæc commune proverbium est: Famam vitamque pari passu ambulare; atque hinc S. Clemens Rom. in 1. Epist. ad Jacobum ait: *Homicidarum tria genera esse dicebat S. Petrus, & pœnam eorum parilem: sicut enim homicidas fratrum, ita detractores quoque eorum eosque odientes homicidas esse manifestabat.* Jam verò si homicidæ tantò pejores sunt, quò præstantiores personas necant: ergò detractores eò pejores, & eò graviori pœnæ obnoxii erunt, quò præstantiores erunt viri, quos detrahendò læserint. Præstare autem aliis superiores, nemo est, qui nesciat. Hos scriptura v. 28. citat. cap. *Deos* nominat, inquiens: *Dis non detrahes.* Quàm grave crimen committant, & pœnam provocent gravissimam illi, qui publicos fontes & puteos corrumpunt & inficiunt, in comperto est. Hoc autem agunt illi, qui superioribus detrahere, & famam eorum denigrare præsumunt, de quorum æstimatione & exemplò tota Communitas potatur.

David cùm partem chlamydis de ornatu regio Saulis abscidisset, illicò facti pœnitens factus, percussit pectus suum 1. Reg. 4. ò quantæ sibi conscientiæ duxisset, si vel etiam in minimo regali famæ injurius fuisset detrahendo? & hinc ægerrimè tulit annuntiari in gloriam mortem Saulis, cupiens: ignominiam hanc cum ossibus sepeliri, ne prodiret in publicum. Judæi quoque davidico subjecti Imperio, ne ansam arriperent, Regem adulterum infamandi: Ipse Deus filium, ex damnato coitu genitum, noluit diutius vivere, etsi millenas preces interponeret pœnitens Pater. Christus Dominus Episcopum Ephesinum & alios vocat *Angelos* Apoc. 1. etsi eorundem com-

commendatur Pœnitentia, quæ prosupponit culpam, ut hæc tam insignî nomine tecta eorum famam conservet. Petrum quoque cùm in Monte Thabor sui esset impotens factus, & nescius quid rerum ageret culpari infamariqúe non posset, velô occultavit. Tam sedulò studuit consulere famæ superiorum. Prout autem Deus summum honorem haberi voluit famæ superiorum; ita pariter eos summè obligavit ad curam subditorum saluti impendendam. Enim verò si juxta citati cap. V. 10. & 12. aliquis proximi custodiæ asinum, ovem vel bovem credidisset: hoc autem animal custodis negligentiâ damnum aliquod passum, vel furtô fuisset oblatum. Tunc tenebatur damnum refundere custos. ò quàm severam rationem & damni refusionem exiget Deus à superioribus, si eorum evenerit negligentiâ, subditos animæ vitam perdidisse? mortuô Abel rigidissimîs verbîs Deus increpat Cain, quem tamen noverat, nec superiorem nec Custodem Abelis esse: necis tamen exstitisse causam. Quid ergo in tremendô Judicio audietur loqui illis, qui aliorum superiores & custodes designati, mortis æternæ fuerant ipsis causæ, si non positivæ, saltem permissivæ? *Noli dicere*, ait S. Thomas Villanov. tract. de adventu Dom. *Cibum & potum eis tribuo, debita eis stipendia solvo, de animabus suis ipsi viderint &c. Nam pro eis Domino tuo & illorum communi in die Judicii magnam redditurus es rationem.*

Considera 2. Quàm impartiales oporteat esse superiores, præser- *N.* 105.
tim eos, qui Tribunalibus præsunt: imperat enim Deus v. 23. citati cap. *pauperis non misereberis in Judicio.* Quasi diceret: etsi vel maximè Misericordia in pauperes sit exercenda: attamen si Judex operetur ex officio, non mitiùs procedat contra pauperes, quàm divites, Justitiâ æquam exigente sententiam. *Bona est Misericordia*, ait S. August. q. 88. *sed non debet esse contra Judicium.* Hinc Romani Judices facie apparebant velô contecta, solummodò causas in Tribunalibus audituri, non visuri personas litigantes. Moyses ipse velatus loquebatur Judicia Dei filiis Israël. Est quidem modernô tempore etiam inter Christianos reperire Judices, non tantùm velatos, sed & penitùs obcæcatos: tales verò proh dolor & pudor! quibus non amor Justitiæ, sed auri argentiqúe fulgor lumen ademit. Dum illi legunt verba citati cap. v. 23. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, quasi pro se dicta putant, in suis Judiciis, quô vergit aurum, eò præponderat sententia: toti quanti repugnant monitis regii vatis Psal. 2. dicentis: *Reges*

eos in virga ferrea. Virgæ ferreæ rigor est, ut si ei quis appenderit crumenam aurô plenam, vel lancem argenteam, vel pateram rarô artificiô factam, non declinet à recto, sed inflexibilis persistat. Hi ergo talis virgæ locô arundinem in manu portant, etiam levioribus quandoque donis curvandam. Ab ipsis *Zoran*, etsi natu minor sit, tamen præponitur *Phares* majori: quia ille prior manum extrahit. Totô Cœlô differunt à Samuele quondam Judice, qui ut doceret universum Israël integritatem suam 1.Reg.12. liberrimè profitebatur: *loquimini de me coram Domino, utrum bovem cujusquam tulerim: si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodiè, restituamque vobis.* Imitantur potiùs illum Judicem, de quo Dionysius refert: Quòd pridiè causæ dicendæ acceperit bovem muneris locô; hôc autem cognitô adversarium pinguem misisse vaccam uxori Judicis, quæ maritum in suas partes citò traxerit. Ventum ad Tribunal, & ferendam sententiam, victoriam obtinente illô, qui vaccam miserat. Alter admirans clamat: *Bos loquere.* Reponit Judex: *Bos loqui non potest, quia vacca non finit.* At ô iniqui Judices! loquetur olim adversum vos *ut parturiens* ille Judex, qui semel latam de vestra æterna damnatione sententiam, non revocabit ampliùs, etsi milliès clametis: *Injustè egimus, iniquitatem fecimus, Domine miserere!*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 24. lib. Exodi, in quo describitur Dei gratiosa apparitio & ascensus Moysis &c.

N.106. *Considera* 1. QUòd Deus antea Moysi in ardenti Rubo, & filiis Israël legem accepturis inter tonitrua & fulgura apparens, nunc spectandum se det, positô infrà pedes *quasi opere lapidis Saphirini, & quasi Cœlo serenô.* Adeò, ut sicut priores illæ apparitiones fuerant signa terrentis, sic posterior signum existat blandientis Dei. Quæris: undè venerit hæc mutatio? puto: illam ex ipsa Populi pariter mutati prompta voluntate, quam ad verba Legis exactissimè observanda, demonstraverat, deveniſſe. Consonant opinioni meæ verba S. Scripturæ hujus cap. v. 4. dicentibus Israëlitis: *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Licèt Deo gratissimæ existant victimæ & sacrificia: Attamen his omnibus præponderare obedientiam clarissimè testatur S. Greg. Moral. l. 35. c. 10. causam subnectens: *Quia per victi-*

victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. Abraham multas exercuit virtutes, quibûs sibi Deum devinxerat: sed unicô jam laudatæ obedientiæ actu, affectu magìs quàm effectu exercitô, id promeruit, quod cæterîs omnibûs collectìm sumptîs non meruerat. Placuit summa Humilitas, placuit angelica puritas, placuerunt aliæ sine numero virtutes, quibûs animati Cœli instar radiabat Maria Virgo, sed præplacuit obedientia, quâ paucîs hîsce verbîs: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; tot gratiæ obtinuit, quot non obtinuêre omnes sancti. Samuel per obedientiam, Heli sacerdoti præstitam divinum assecutus est alloquium 1. Reg. 3. Elisæus per illam Magistri sui accepit Pallium 4. Reg. 2. Saul dum obtemperat patri in quærendis asinis, Regnum Israël reperit. *Non sic Diadema in capite positum Regem illustrat sicut obedientia* teste S. Chrysost. homil. 32. in Genes. & S. August. tract. 11. de obed. ait: *Una obedientia plus valet, quam omnes virtutes.* Miraberis forsan: quòd Magister Magistrorum Christus Dominus Ecclesiam suam non Scholam virtutum, sed ovile ovium nominet? Joan. 10. Quid enim Magistro magìs congruit, quàm Schola? Sed hem! hoc ipsô, quod Ecclesiam ovile nominet, Scholam virtutum nominat: quid enim ovile nisi locus continens animalia, quarum præcipua laudeque digniſsima qualitas est cæca obedientia, quam Augustinô teste virtutum dixi *Reginam.* Hinc de fidelibus, ovile hoc ingressis asserit: & *vocem meam audiunt*, h. e. ad nutum obediunt mihi omnes. Pari de causa Christus in Judæa moratus, in Bethania sibi domicilium elegit, quia Bethania *domus obedientiæ* exponitur repræsentans Ecclesiam, binâque vice legitur accubuisse in domo Simonis leprosi Luc. 7. Quia *Simon* interpretatur *obediens.* Quibûs omnibûs demonstrat suum diversorum, Ecclesiam videlicet a se erectam, domum esse obedientiæ virtutum Matris, & discipulos *Simones*, obedientes videlicet virtutum sectatores esse. O Christiane Lector! quid magìs in votis tibi est: quàm stare aliquando ad dexteram illam, quæ ex ovibus Christi constat, & audire Benedictam Pastoris vocem: *Venite benedicti Patris mei &c.* Hæc gratia, ut tibi obtingat, dic cum Israëlitis: *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Loquitur autem tibi Deus tum per scriptam Legem, tum per mandata superiorum tuorum, inquiens: *Qui vos audit, me audit.* Ergo utrique parem exhibe obedientiam, & ascendes cum Moyse & Aaron, visurus *Deum Israël* v. 20. visione æternâ.

N.107. *Considera* 2. Moysen juxta divinum Imperium scandere montem, & ibi quadraginta integris diebûs ac noctibûs morari jussum, documento esse hominibus, ad instruendos in lege ordinatis, debere eos: priùs accedendô Deum per fervidas preces, Meditationes & pia exercitia inflammari zelô, & in actuali legis observantia per aliquot tempus versari, antequam id muneris exsequantur. Hinc regius Vates cantat Psal. 103. *Deum facere Ministros suos ignem urentem*, non merè lucentem. Esto: Oracula quis dicat, annuntiet Prophetias, prædicet ipsam Evangelicæ veritatis medullam; si vitæ integritas morumque rectitudo abfuerit, aberit dictis fides & obedientia. *Fabulæ videntur verba sine operibus*, asserit Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 114. Dicendum priùs cum Christo: *Quis ex vobis arguet me de peccato*, antequam cum eo dicatur: *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Philo Hebræus de Moyse testatur: Prophetam hunc, eam: quâ pollebat apud Israëlitas, authoritatem, non obtinuisse per acceptas à Deo Tabulas, aut Prodigiorum, quæ patraverat, multitudinem, sed per integritatem vitæ. Siquidem ipsis quoque operibus eam, quam prædicabat, referebat sapientiam, implebatque legem. Verba Philonis sunt: *Animô malebat vivere, quàm corpore. Philosophica præcepta quotidiè factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans.* Ad propositum nostrum pulcherrimè quoque alludit sponsus cœlestis, Ecclesiam ejusque Ministros, prædicatores verbi divini, his alloquens verbis Cant. 2. *Sonat vox tua in auribus meis.* Sed qua de causa? ex illa ociùs subnectitur: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* q. d. gratissimum mihi foret, excipere auribûs meis vocem tuam, utpote dulcedine, quantò facies tua majori decoratur pulchritudine. Laudo doctrinam tuam auditu dignissimam, sed eò digniorem, quô mores eidem sunt magis conformes. Verba loqueris optima, quia moribûs dicta probas optimis. Nunc examina te Christiane Lector, quàm multa alios doceas, quæ tu facere ipse negligis. Hortaris alios ad celerem obedientiam, superioribus præstandam, & tardus es ad obtemperandum. Inculcas aliis pietatem & devotionem, in Templo præstandam, & pluriés repereris, ibidem fabulis & risibus vacans. Acribûs scripturæ verbis alios deterrere vis ab ebrietate, luxuria, invidia & aliis vitiis, & tu frequenter in illa impingis non sine pusillorum scandulo. Quid indignaris ergo: si verba tua etsi optima, nullum tamen sortiantur effectum, sed instar seminis sint supra petram projecti?

FASCI-

FASCICULUS XVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 25. lib. Exodi, in quo describitur lex de structura Arcæ, Propitiatorii, de Cherubinis, Mensa & Candelabro.

Considera 1. QUàm parùm illi divino obsecundent Imperio, quô Deus per Moysen jussit Arcam Testamenti non tantùm *foris*, sed etiam *intùs* aurô mundissimô vestiri v. 11. citati cap. Qui cultum Dei & Christianam devotionem per extrinsecos tantùm Actus exercent, de internis parum, aut nihil solliciti: tales hêrcle imitantur Pharisæos, jam olim à Christo objurgatos, & sepulchris dealbatis, quæ deforis solùm splendent, & intùs horrent mortuorum ossibûs, comparatos. Testantur illi cum sponsa Cant. 1. *Lectulus noster floridus est.* Sed in hoc non accipiet requiem suam sponsus cœlestis, dum lectulum tantùm externa legum observantia mollem reddit. Laudatur Magdalena, reprehenditur Pharisæus, Christum hospitiô excipiens Lucæ 7. Hujus enim obsequia Christo exhibita tantùm species extrinseca condecorabat, illius verò intrinsecus amor, quô tota flagrabat. *Finis Præcepti est Charitas de corde puro & fide non ficta* 1. Timoth. 1. Psalmista regius Arcam Deo in se constructurus, ad tale ædificium non petit novos oculos, quibûs viam mandatorum Dei clariùs cognoscat: non orat pro novis auribus, quibûs salutaria monita meliùs excipiat: non novas postulat manus, quibûs largiorem se præbeat erga pauperes, sed rogat psalmô 50. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Ut sic doceat: devotionem intrinsecam præplacere extrinsecâ. Noverat Propheta iste, homines extrinsecâ tantùm instructos pietate Vasorum instar vacuorum esse, quæ aquis supernatant, levia facillimèque mobilia: sic & illi in vera pietate & virtute nuspiam solitantur. Vasa vacua percussa resonant: ita illi pulsati aliquâ adversitate, ociùs produnt impatientiam suam, desistuntque à consuetis externæ devotionis exercitiis. Vasa vacua cùm terræ adhærent, nullum vel modicum reddunt *N.* 108.

reddunt sonum: at in altum elevata, & sibi relicta edunt maximum: ita illi in humilitate constituti aliorum imperiis auscultant, silentiique tenaces sunt; at honorem adepti, omnes clamore suô terrent, nihil non audent. Vasa vacua echonem reddunt acceptâ voce: ita illi de defectibus quibusdam culpati obmurmurant, increpant increpantem se, per quod vel maximè probant: se internâ virtute destitutos. Talem se probaverat monialis, de qua Discipulus Serm. 100. narrat: veniisse illam ad confessarium suum, dicentem: ream se esse multorum criminum, quæ Deus in aliis rigidè plecteret. Dixisses: alteram Magdalenam procumbere ante pedes illius, qui vices agebat Christi. Sed aliud brevi docuit eventus: nam confessarius subodoratus fictam hujus fœminæ pœnitentiam, tam dolorosè se de gravibus peccatis accusanti reposuit: sanè credo, quod ais; nam hoc ipsum ab aliis de te narrari audivi. Tum illa in iram versa: mentiris inquit in collum tuum, mentiuntur & illi, qui talia retulêre tibi de me. En! clarissimum habes Christiane Lector exemplum, quantum valeat virtus merè extrinseca.

*N.*109. *Considera* 2. Inter actus internæ ac solidæ virtutis facilè primatum tenere perfectam humanæ voluntatis in divinum beneplacitum resignationem, quod optimè noverat regius Vates, atque hinc cantat Psal. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, quasi verò ei non sufficeret, novum accepisse à Deo cor, nî accepisset ad omnia Dei beneplacita paratum. Quare etiam hujus cap. v. 20. præcipitur, fabrefieri *duos Cherubinos, expandentes alas & respicientes se mutuò, versîs vultibûs in propitiatorium.* Ut inde discant homines: hos Cherubinos sibi esse continuò imitandos, respiciendô divinæ voluntatis Propitiatorium per actus plenæ resignationis. Sicut chytarædus suæ artis insigne specimen daturus, tamdiu trahit, intendit, aut remittit fides, donec exactissimè consonent: ita tamdiu voluntas humana vel adstringenda, vel remittenda est, donec voluntati divinæ penitùs concordet, illum suavissimum resonans Canticum Judæ Machabæi dicentis: *sicut fuerit Voluntas in cœlo, sic fiat.* Tale Canticum meditabatur in pectore suo Virgo Deipara, quando teste S. Antoninô p. 4. tit. 15. c. 4. adeò divinum se projecit in beneplacitum, ut nullô existente Judæô, qui charissimo filio suo cruentas inferret manus, cruci illum affixurus, illa hoc officiô functa fuisset, ut divinæ satisfieret voluntati. *Neque enim* (Verbîs utor S. Doctoris virginem alloquentis) *te minoris obe-*

dientiæ

dientiæ fuisse credendum est, quam Abraham, qui proprium filium suum propriis manibûs obtulit occidendum à se, & comburendum. S. Paulus cœlestî voce quasi fulmine in terram dejectus, conversionis suæ fundamentum posuit in his verbis: *Domine! quid me vis facere?* S. Macarius à fratribus quibusdam rogatus: quam Methodum in orando imposterùm tenerent, eò gratiores futuri Deo? responsô dedit: non esse opus multorum verborum copiâ, manus solùm crebriùs ad Deum esse levandas, & clamandum: *Domine Deus! quomodo vis, & sicut tibi placet, ita fiat. Siquidem ipse novit, quid vobis expediat.* Ruff. n. 108. Plane sicut prudenter ageret, qui naviculam fluctuantem, & submersionis periculo proximam magnæ navi, casu transeunti, alligaret: ita optimè se gerit, qui voluntatem suam à natura perquàm instabilem ac labilem voluntati divinæ per orationem alligat, non ore tantùm, sed & corde dicendô: *fiat voluntas tua Matth. 6.* B. Henricus Suso Dialog. c. 7. Ex ore divinæ sapientiæ loquitur: *Quisquis cor suum mihi adjungit, is vitam vivit jucundam, & securus moritur, simulque & in præsenti, & in futuro sæculo Cœlorum Regnô fruitur.* Ut enim in cœlesti gloria non est ampliùs audire *clamorem, luctum aut dolorem*, ita animus divinæ voluntati intimè conjunctus caret omni tristitiâ & mœrore. Viderat olim in extasi beata Stephana de Soncino, ut refert Barrii solit. die. animas fidelium quorundam inter ipsos Seraphicos Spiritus summâ gloriâ recreari, quas de habitô quondam vivendi institutô postquam interrogavit, responsô tulit: illas tam sublimem felicitatis gradum adeptas esse per solam conformitatem cum divina voluntate. Si ergo Christiane Lector cœlestem gloriam appetis, avide dicendô: *Adveniat Regnum tuum.* Dic parî aviditate: *Fiat voluntas tua.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 26. & 27. lib. Exodi, in quibus describitur lex de Velo & Cortinis, de ligno Altaris, & Oleo, ad lumen perpetuum requisito.

Considera 1. HUmanum cor, Tabernaculi divini vices acturum, debere à rerum temporalium accessu, non unâ tantùm cortinâ, sed pluribûs muniri, S. Scripturâ decem requirente v. 1. capitis cit. *Tabernaculum ita facies: decem cortinas &c.* Nam teste Thomâ Kempensi lib. de vita contemplat. c. 8. *Quantò quis foris latiùs extendi-* *N. 110.*

tur, tantò magis intùs minoratur. Judith incluſa triumphavit, Holoferni caput amputandô, Dina verò extra vela, quibus tegebatur in paternis laribus egreſſa, perdidit virginitatem. Non in publica Herodis Aula, non in hominum mundanorum frequentia, non in foro factum eſt verbum Domini ſuper Joannem filium Zachariæ *Lucæ* 3. Sed inter obſcuras antri umbras, quibus ceù multiplicî cortina abſcondebatur. Moyſes in rerum divinarum notitiam deventurus, non permiſſus eſt morari in Ægypto, in Aula regali, in qua ſenſus externi audi poterant vagari, quô volebant: ſed inde abſtractus ad deſertum ammandatus eſt, ut arborum ramîs ceù velîs tectus, ſacris operam daret, videns ibidem Deum in Rubo apparentem ſibi. At reponet aliquis: rerum familiarum & quotidiani Victûs officiîque cauſâ ſibi frequenter foras prodeundum eſſe. Ergo ſaltem hoc agat: ut Tabernaculum cordis ſui Deo conſervet integrum, juxta divinum Imperium faciat *ſaga cilicina*, v. 7. cit. capitis mortificationis ſymbola. Sumat exemplum à Jacobo Patriarcha, qui diu quidem ſub cortinis paternæ domûs delituit: ſed tandem conſiliô matris in publicum progreſſus, *lapidem durum* capiti ſuo ſuppoſuit mortificationis ſignum. Licèt Apoſtolus medios inter homines ſemper viveret, ſaluti & neceſſitati eorum deſerviens, non tamen deſiit eſſe Tabernaculum Dei optimè cuſtoditum; quia ob continuum mortificationis ſtudium ei mundus fuerat crucifixus, & ille mundo. B. Margarita Ungariæ Regis filia perſona publica ciliciô frequentiſſimè utebatur, de crinibus equorum & pilis porcorum confectô. Carolus V. perſona tot publicîs negotiîs occupata, Philippo Secundo Hiſpaniarum Regi filio ſuo cilicium cum flagello in manus tradidit, quod & ipſe Philippo Tertio moriens obtulit. Taceo innumera aliorum exempla, quæ fortè difficiliùs eſt imitari. Sufficiat hæc tibi pro imitatione reliquiſſe.

N. III. *Conſidera* 2. Cor humanum etiam in Altare Deo conſecrandum, ut fieri oportet, eô inſtruendum eſſe modô moraliter loquendô, quô juxta Dei Imperium inſtructum fuerat Altare à Moyſe erectum. v. 8. citati cap. jubet Deus; *Altare inane & cavum intrinſecus facies &c.* nempè excavandum eſt cor hominis ab omni affectu inordinato ad creaturas, ut ſoli Deo pateat acceſſus: cùm enim ille partibûs careat, & ſit ubique totus, non vult partem in tuo, ô Chriſtiane! qui totus eſt in ſuo. Hinc præcipitur Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Atque iîsdem verbîs, quibûs in monte Olivarum Judæos Chri-

Christus olìm alloquebatur, nunc amantes se alloquitur animas, dicens Joan. 18. *si me quæritis? sinite hos abire.* Sinite abire affectum ad honores & dignitates. Sinite abire inordinatum amorem erga cognatos & notos, erga divitias, voluptates & corporis commoditates. *Dominus Zelotes est nomen ejus.* Exodi 34. Diabolus cùm nec verum patrem nec veram matrem agat, facilè patitur, affectum & amorem inter Deum & hominem partiri; Deus verò verissimum patrem agens totum sibi vindicat, nunquam exclamans *dividatur*, sed *diliges ex toto corde tuo &c.* Est penè communis Christianorum Philosophorum sententia: posse Deum, de potentia absoluta loquendô, duas qualitates sibi extremè contrarias eidem unire subjecto. Sic posse eundem parietem esse simul album & nigrum, idem ferrum summè frigidum & calidum summè. Etsi enim constet: has qualitates ex natura sua sibi adversantes, & invicem expulsivas esse, cùm tamen ut Res physicæ perfecto Dei Dominio subsint: hinc posse præfatam contrarietatem sisti & impediri, prout illud exempla comprobant luculentia. Quis enim nescit: eundem ignem, qui in fornace babylonica accensus urebat Chaldæos, refrigerâsse tres pueros instar venti roris flantis? & maximum illud gaudium, ex visione beatifica Christi ortum, cum acerbissimo dolore instantium tormentorum mortisque amarissimæ conjunctum fuisse? at negant, & pernegant iidem Doctores: gratiam & peccatum, Deum & Dæmonem etiam per absolutam Dei potentiam ullatenùs coëxistere posse; dum hæc (ut eorum rationes efficacissimè demonstrant, quas inutile foret attexere) certam involvunt contradictionem. Sufficiat id unicum attulisse testimonium, quod Gentium Doctor 2. Corinth. 6. affert, asserens: *Quæ participatio Justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* vix Christus pedem posuerat in domo famosi illius publicani & peccatoris Zachæi, ociùs exclamare auditus est: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Econtra vix intravit in Judæ cor Sathanas, illicò Ambrosiô teste *Christus recessit ab eo: momentoque eo, quô illum recepit, hunc amisit.* Cygnus etsi candidi coloris sit animal, à sacris tamen Deô imperante excluditur, non alia de causa: quàm quòd Mendozâ teste non habeat unum in uno loco domicilium, sed triplex elementum inhabitet, nunc aërem, nunc terram, nunc aquam. Hæc avis candida symbolum est affectûs humani non candidi erga Deum: dum Deo ita adhærere vult, ut Diabolo & rebus transitoriis non omninò re-

nuntiet, modò loquens de Deo, modò de mundo; nunc cogitans cœlestia, nunc terrena, duobus volens servire Dominis: quod tamen fieri nullatenùs posse, non tantùm hactenùs dicta luculentur comprobant, sed ipsa veritas æterna definit Matth. 6. Age ergo Christiane Lector, cum Francisco Seraphico, si non opere, saltem affectu, exue terrena omnia, ut cum eo testari valeas: *Deus meus, & omnia!*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 28. 29. & 30. lib. Exodi, in quibus describitur Textura Pontificalium & Sacerdotalium vestimentorum. Ritus consecrandi Sacerdotes, juge sacrificium, oleum Unctionis & Thymiama.

N. 112. *Considera* 1. DEUM præcipisse: *Ipsa quoque textura vestis Pontificiæ, & cuncta operis varietas sit ex auro* v. 8. cit. cap. aurum verò sicut sæpiùs in sacris Paginis designat charitatem, ita etiam frequenter denotat Patientiam, quarum virtutum una alteri perquàm vicina est teste Apostolô. Atque hinc S. August. lib. de Patient. c. 17. ait: *Quantò major in Sanctis est Charitas Dei, tantò magis pro eo, quod diligitur omnia tolerantur: ac per hoc inde est patientia vera Justorum, unde est in eis charitas Dei.* Amore divinô ardentissima Mater virginea exclamat Lucæ 7. *Dolentes quærebamus te.* Ita dolor amoris indicium est, & inquisitionis stimulus, nullumque reperire datur fortius certiusque sinceræ veræque charitatis testimonium, quam velle pati propter amici bonum. Quare nunquam credidisset Dæmon: Hussiticum Principem verô amore Dei flagrare; nî vidisset illum lubentî animô adversa omnia pro Deo perpeti: hoc ergo per experientiam docendus, percussit eum permittente Deô ulcere pessimô, bonis fortunæ jam antea spoliatum; Sed ad sui confusionem reperit, eum instar adamantis ad omnes malleos infractum. P. Rhod. lib. 3. c. 13. de virt. de Josepho Leonessano ex Ord. S. Francis. refert; quòd cùm nimia morbi vis judiciô Medicorum suaderet, membra actu infecta ignitô adurere ferrô, ne instar cancri malum serperet: & hinc corpus totum funibûs ligandum esset, quô minùs ob immanes cruciatus motum, gravioris damni sibi periculum adsciscceret; abjectîs ille funibûs Crucifixi Imaginem arripurerit, & *hæc mea*, dixerit, *fortissima sunt vincula*: sicque lanienam immotas serenô ac renidente vultu pertule-

tulerit, stupentibûs omnibus hujus viri fortitudinem & constantiam. Non affero Laureati illius Laurentii Protomartyris factum, qui candentibus prunis impositus, dum in craticula ureretur, hilarî facie Tyrannum alloquebatur: *Assatum est: jam versa, & manduca.* Hæc invicta patientia unde provenerit, docet S. Leo in natal. asserens: *Superari Charitas Christi flammâ non potuit, & segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intùs accendit.* Constat porrò: Deum electos affligendô parem cum Aurifabro habere finem, qui aurum mittens in ignem, vult illud à terræ fæcibus discernere, ut splendorem & valorem augeat, & Cæsaris aut Principis imaginem ei imprimat. Quare ò Christiane Lector! si ardentibus prunis dolorum corporis, aut animæ desolationum à Deo imponaris excoquendus, ut fias Moneta, imaginem Christi exhibens, & simul *Spires odorem suavissimum victrinæ Domini* depurgatus à fæcibus delictorum, dic cum S. Augustino: *Domine! hîc ure hîc seca, tantùm in æternum parce.* Offer Deo juxta imperium ejus v. 38. cit. capitis *duos agnos:* Unum *manè*, alterum *vesperì:* dolores videlicèt, quos per diem sufferendos prævides, ejus honori summô manè dedica, & quos per noctem te pati continget, vesperè ei pariter consecra.

Considera 2. Quòd homo gratum Deo Sacrificium Laudis & pre- *N.* 113.
cum oblaturus, debeat in labro æneo, veræ pœnitentiæ symbolo, se priùs lavare lacrymîs, contriti pectoris. *Pœnitentiam age, & roga Deum*, dicebat olim S. Petrus Actor. 8. Hâc enim non præmissâ, oratio vana atque inutilis est. Nam sicut sicarius regalis filii à se occisi sanguine madens, si Parenti ejus supplex fieret, utique indignationem potiùs, quàm liberalitatem regiam sperare posset; ita qui in peccato gravi constitutus Deum orat, iram potiùs, quàm gratiam conciliat, manus extendens, à sanguine Christi madidas. *Opposuisti nubem*, ait Propheta Thren. 3. peccatum videlicèt, *ne transeat oratio.* Et Apostolus Joan. cap. 9. asserit: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.* Ægrotaverat Ezechias, à Propheta monitus, ut se disponeret, ad iter omnis carnis ineundum. Oravit hôc nuntiô territus Rex: at nihil optati retulit responsi. *Flevit* posthæc *fletu magnô* v. 3. c. 38. Isaiæ, & ecce! vix lacrymæ fluxerant ex oculis, illicô auditum est: *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.* Scimus: regium vatem proprios Legatos, qui ad se venerant truncatâ veste & attonsâ barbâ, ad suum conspectum non admisisse. Scimus: Josephum è carcere eductum,

non priùs ausum, sub regios ire oculos, antequam tonsus novâque indutus esset veste: nec ulli licuisse propriùs accedere Asverum, qui saccum togæ locô ferebat. Quantò minùs lieceat, profitque homini, in squalido peccatorum sacco, in impexo ac intonso corde, in scissâ innocentiæ veste se sistere Regi Regum? Moyses ipse vir Deo charissimus, accessurus ad visionem Rubi jussus est Exodi 3. *Solvere calceamenta*, opera videlicet mortua. Homo ille, qui Matth. 22. nuptialî non indutus veste, convivio solemni interesse præsumpserat, inde ejectus, & detrusus est in tenebras exteriores: quid ergo gratiæ exspectet ille, qui in summa disgratia Dei constitutus, illum accedere non veretur? hinc passim sacræ testantur Paginæ: tales oratores abominabiles esse Deo. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus, ne exaudiat.* Isaiæ cap. 59. Quare Christiane Lector, ne Deo supplicans, repulsam patiaris, Sancti Petri monitis morem gere, Pœnitentiam præmittendô. Imiteris serpentes, quos Christus imitandos tibi proponit. Hi priusquàm corpora immittant aquis, venena deponunt. Depone & tu, flumen Dei per orationes accessurus, venena peccati per veram & dolorosam confessionem. Utque sacrificium precum tuarum eò gratius acceptiusque reddatur Deo: hinc adde *Oleum*, nempe Misericordiam erga pauperes. *Altare tuum Christus est*, ait S. Bonav. Serm. 2. Dom. 5. Pentec. *Quod in paupere vel in mente ubique invenies. Cogita, cui potum præbes & perhorrescas. Cogita, quia sacerdos Christi fias: cùm propriâ manu ei offeras non carnem, sed aquæ frigidæ calicem.* S. Chrysostom. homil. 46. in Matth. 13.

Demum ad perfectionem sacrificii orationis tuæ adde Thymiama, de quo agitur in cit. capite. Conficiendum illud est ex variis virtutibus, quas inter Primatum habeat Humilitas: hæc namque teste Eccles. 35. *Nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur.*

Doctrina 4.

Desumpta ex capite 31. & 32. lib. Exodi, in quibus describitur Præceptum de exacta observantia Sabbathi, adoratio vituli, & triginta millium hominum interitus.

N. 114. *Considera* 1. QUòd si Deus tam exactum Sabbathi Cultum imperaverit: Ut homo opus tantummodô physicum illâ

là die faciens, morte delictum luere debuerit: quantam mereantur pœnam Christiani, qui tot opera moraliter mala, & quæ Apostolus vocat *opera tenebrarum*, perpetrare in Sabbatho præsumpserint? olim Jerosolymis Templum Deo sacratum erexerat Salomon: sed mox in contrarium duos Lucos fieri curavit Jeroboam, & in eisdem duos vitulos aureos, unum in *Bethel*, alterum in *Dan*, ad avertendum à Cultu divino Populum. Haud secus proh dolor? Diabolus hodiedùm agit: ut divinum Sabbathi cultum subvertat, & Christianos ab observantia festorum dierum abductos, suum trahat ad obsequium, erigit plures Lucos, Locos videlicet, in quibus convivia, choreæ, Ludi, Spectacula Theatrorum aliaque tenebrarum opera exerceantur. Imperaverat quondam Deus Pharaoni, per os Moysis eum allocutus: *Dimitte Populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.* Reponebat ille, durîs intonans verbîs: *Ite ad onera vestra.* Non disparì modô Deus nunc præcipit Christianis per ora Sacerdotum, è cathedris loquentium: vocate meo cultui Die Sabbathi, insistendô fundendis præcibus, devotè audiendis Missis, attentê auscultandô concionibus, legendô spirituales libros, instituendô Sacra colloquia, invisendô ægrotos, vel in carceribus detentos, consolandô mœstos &c. Reponit illicò Diabolus tartareus ille Pharao; hîs diebûs indulgenda est quies corporî, laboribûs per hebdomadem lassato: reparandæ sunt vires per delicatos cibos, per lauta convivia: recreandus est animus per ludos, per choreas, per spectacula, per venationes. Et ecce! maledictum hoc Dæmonis Imperium apertas reperit aures, promptosque ad obtemperandum animos. Multos enim reperire est, qui vix auditâ Missâ (& utinam debitè auditâ) convolant ad hospitia, ubi in seram usque noctem comeditur, bibitur, luditur, saltatur; contra quos non ego, sed Deus ipse per Malachiam c. 2. intonat: *Dispergam super vultum vestrum stercus* (70. legunt *ventriculum*) *solemnitatum vestrarum.* Ut enim ventriculus optimos ac delicatissimos cibos destruit, atque in stercus convertit: ita illi festivitates sacras in porcorum sordes & spurcitias convertunt. Vituperant illi Judæos, quòd vitulo aureo divinos detulerint honores eâ die, quâ Aaron clamavit ad Populum: *Cras solemnitas Domini est.* Et se non vituperandos esse putant, si in ipsa solemnitate Domini carneum adorent vitulum, ventrem videlicet suum eô cultu, quem de Judæis narrat Exodus c. 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexe-*

rexerunt ludere. Adeò, ut Antisthenes Philosophus, quod olim de Barbarorum festivis diebus interrogatus dederat responsum, nunc etiam de Christianorum quorundum haud dubiè daret, asserens: Festum esse gulæ irritamentum, & luxuriæ occasionem. *Non veto*, dicam cum S. Gregorio Naz. Orat. 6. *Animi relaxationem, sed petulantiam coërceo.* Sed nunquid honestæ relaxationis nomen merentur conventicula bibonum, ubi principale negotium spongiæ instar se vinò imbuere? bibunt quidem sordidissimæ bestiæ, sed bibunt, quia sitiunt, cùm tamen illi bibant, ut sitiant. Nunquid intra limites honestæ relaxationis est: plurimas diei noctisque horas inter lasciva verba, inter gestus impuros saltandò consumere? erat Judæis vetitum, die Sabbathi viam conficere sexcentis passibûs longiorem: sed nunquid isti saltandò non ultra mille passus formant, eoque magis vetitos, quò magis sunt obliqui; redduntur inde sæpe numerò magis fatigati, quàm si integrâ die laborâssent, manibûs scindendò ligna. Incompertò est: Judæum illum, qui Num. 15. die Sabbathi ligna collegerat, jussum à Deo lapidibûs obrui: quid ergo mereantur Christiani, qui ducendò choreas die Festò fomitem libidinis conquirunt? nonne hæc facta Christianorum considerans, exclamem meritò cum Jerem. Thren. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha ejus.* Viderunt juratissimi Christiani Nominis hostes ipsi Dæmones. Et cur non rideant: si videant, dies saluberrimæ animarum quieti destinatos, tam nefandis laboribûs consumi? cur non rideant, si videant: tot horas soli Deo consecratas, suo cultui varia perpetrandò peccata impendi? cur non rideant, si videant, tempus illud, quod obtinendo à Christianis Cœlo deputatum est, pro merendo in pœnam orco collocari? audiatur epilogi locò S. Greg. M. lib. 5. moral. dicens: *Hostes Sabbatha videntes irrident, cùm maligni Spiritûs ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt, ut unaquæque reproba anima, quò remotior ab extraneis actionibus servire Deo creditur, eò magis eorum Tyrannidi illicita perpetrandò famulatur.*

N. 115. *Considera* 2. Plurimos Christianorum reperiri, qui tempore calamitatis ad Deum quidem per fervidas preces confugiunt: at non statim ab illo exauditi, & votorum suorum compotes facti, Israëlitarum instar fiunt Moræ impatientes, & cogitant de fabricandis Diis, qui eos ope auxiliòque suò præcedant. Ita inquam non pauci adversante fortunâ ad incitas redacti cogitant de acquirendo divitum favo-

favore per servitia etiam divinæ legi repugnantia. Alii à Barbaris aut Hæreticis capti, & durâ servitute pressi, præstantissimum animæ suæ ornamentum (quod est Fides) cum Israëliticis mulieribus offerunt, sacra omnia Religionis suæ abjurantes. Alii diversis doloribûs & morbîs vexati, confugiunt ad superstitiosa medicamina. O Christianos, ipsis Paganîs deteriores! nam mulier alienigena Matthæô teste c. 15. accedit Christum, clamans: *Miserere mihi fili David! filia mea à Dæmonio vexatur.* Quid ad tales preces afflictæ respondet Salvator? non unicum auditur proferre verbulum. Rigorosô hôc silentiô repulsam passæ mulieris Patrocinium assumunt Apostoli rogantes v. 23. *Dimitte illam, quia clamat post nos.* Sed & hi surdas aures reperiunt. Verùm mulier nondum moræ impatiens, nondum fiduciam semel conceptam exuens preces duplicat, & tandem vincit. Sicut meritò ægrum deserit Medicus, quando is non statim primô pharmacô sanatus, alium assumit, & consulit: ita meritò divinam denegat Christus opem illis hominibus, qui tam infirmæ sunt fiduciæ, ut ad primas preces non illicò exauditi despondeant animum, eorum militum æmuli, qui hoste non primô impetu prostratô, arma abjiciunt, & fugam capessunt. *Factus est Ephraim* (Israëlitæ) querebatur olim Deus Oleæ 7. *quasi columba seducta, non habentes, cor: Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt.* q. d. sicut columbæ facile à suo Domino & columbari recedunt, jungentes se alienis columbarum gregibus: nunc huic, nunc illi, sic Populus meus me derelictô opem nunc Ægyptiorum, nunc Assyriorum imploravit, necessitate pressus: Quare deseri à me desertâ fiduciâ meritò debuit. Hinc Christiane Lector te adhortor verbîs Ecclesiastici c. 17. dicentis: *Sta in sorte propositionis & orationis altissimi Dei.* Etsi in cameris Regum & Principum non statim expediantur causæ, sed quandoque longiorî tempore exspectandum sit: non tamen ab urgendo desistes processu: ita licèt preces tuas divinus non ociùs sequatur annutus, tamen à continuandis illis nequaquàm cessandum est. Quos lapides non movit Dalila, quid laboris infatigata non adhibuit, ut aurum sibi promissum venaretur, secretô conjugis detecto? ter delusa à Samsone, non destitit importunîs precibûs eum fatigare, & impugnare, donec expugnârit. Æger ille Evangelicus etiam 38. annîs salutem exspectaverat, instanter suum experiendô sortem, quoties aquæ contingebat motus: tametsi cogeretur experiri, se ab aliis præventum; nec tamen inde despondit animum, donec Christi Misericor-

sericordiam sentiret. Hoc exemplum Christianis objiciens Chrysost. hom. 35. in Joan. inquit: *Pudeat nos, & incredibilem socordiam nostram deploremus: Triginta octo annos ille exspectaverat continuos; nec ejus impletum est desiderium, nec id culpâ aut negligentiâ ejus factum est; nec propterea desperavit. Nos autem si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus.*

FASCICULUS XIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 33. & 34. lib. Exodi, in quibus describitur data venia perduellibus, pœnitentiam agentibus, Moysis preces, & promissiones divinæ ei factæ. Moysis reditus in Montem nullô comitante. Legum receptio.

N. 116. *Considera* 1. TAntam esse Bonitatem & Clementiam Dei; ut majora sæpè Beneficia peccatoribus impertiatur post lapsum, per pœnitentiam ad se denuò reversis, quàm possederint antè. Enim verò perduellibus Israëlitis promittit v. 2. citati cap. missurum se eis præcursorem Angelum, qui eos ducat in terram melle & lacte fluentem. S. August. in Psal. 70. scribens asserit: *Considerans vitam meam præteritam video, quid mihi debebatur, & quid acceperim ab eo, quod mihi debebatur. Debebatur mihi pœna, sed reddita est mihi gratia, debebatur Gehenna, sed data est mihi vita æterna.* Exeuntes Pharisæi, ut refert Matth. c. 12. Consilium iniêre adversus Jesum, quomodô eum perderent? quid hostilibus hisce machinis ultor opponit Salvator? nunquid fulmina pluit super Judæam? hem! respondet Evangelista: *Secuti sunt eum multi, & curavit omnes.* Reponens non tantùm bona, sed & optima pro malis, quæ in sacratum ejus Corpus machinati fuerant Israëlitæ; quare Jeremias Propheta descriptîs priùs Populi peccatis subjungit nomine Dei cap. 3. *Non desinam benefacere.*

Quòd Justos Deus diligat, non miror: *Quia Recti diligunt illum.*

Quod

Quod colloquatur Justis, *quasi homo ad amicum suum* v. 11. cit. c. 33. Non miror, quia illi cum Moyse eloquia ejus ubique gentium deprædicant, & extollunt. Quòd Justus det *requiem* v. 14. cap. cit. Non miror: quia illi sine requie cum Moyse vivunt, *donec inveniant locum Domino.* Quòd justi *inveniant gratiam coram Domino* v. 17. cit. cap. Non miror: quia injuriantibus se amore Dei cum Moyse largiuntur veniam & gratiam. Quôd demum justis *ostendat omne bonum* v. 19. cit. cap. Non miror, quia illi nil magis cum Moyse in vita fugiunt, quàm malum culpæ. Sed quòd Joanne teste c. 3. Deus sic dilexerit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, summè miror: quid enim mundus nisi Hostis Dei, proditor Christi, persecutor Justorum, contemptor divinarum legum, Justitiæ omnisque virtutis osor, & ut paucis omnia absolvam, quid: nisi *totus in maligno positus?* Et tamen sic eum dilexit, ut filium suum daret, & quod majori admiratione dignum, ut daret illum à juventute in laboribus versatum, proditum à discipulo, captum à Judæis, flagellatum, spinis coronatum, & in infami ligno suspensum. Si Deus dedisset illum ut Regem Gentium, ut Principem Populorum id magnæ exstitisset gratiæ indicium: tantam tamen admirationem non mereretur; naturale namque est divinæ Bonitati, creaturis communicari: sed dari illum nonnisi ut novissimum virorum, despectum, innumeris contumeliis affectum, extrema tormenta passum, & id in solius hominis utilitamen, quis satis admiretur? grandis illa fuit in Neronem Agrippinæ matris amor, quòd audiens ab ariolis, regnaturum quidem Neronem, sed se vitam perditurum, responderit. *Occidat, modò imperet.* Erat illa Mater, Nero filius, quos inter excessus amoris si quandoque detur, naturæ limites non excedit. Sed Deum immortalem pro creatura mortali, & hac quidem divinis legibus tam rebelli, pro acceptis gratiis tam ingrata mori, morte non simplici, sed turpissimâ, quis non dixerit amoris ac Clementiæ esse excessum inexplicabilem, intuitu cujus in lacrymas non resolvatur? & in mutuum amorem ac obsequium se vicissim non libentissimè impendat?

Considera 2. Quòd licèt erga Populum, à strage residuum, clementem se exhibuerit Deus, ut ei promiserit Angelum præcursorem: tamen nullum ex illis (de peccato quidem contritis) dignum duxerit, qui cum Moyse ascenderet sacrum *Montem:* quia videbatur de *N.* 117.

præterito peccato in illis aliquid maculæ remanere, vî cujus excludebat eos à propinquiori acceſſu, quô adhuc fuerant indigni. Non diſparis conditionis ſunt defunctorum quorundam Chriſtianorum animæ, quæ licèt de peccatis ſuis egerint pœnitentiam, reſiduas tamen ad æternitatem detulerunt maculas, vî quarum ab acceſſu divini montis, cui cœleſtis Jeroſolyma inſidet, ad tempus ſuſpenduntur, piacularibûs flammîs emundandæ. Dum enim quærit regius vates: *Quis aſcendet in montem Domini?* reſpondet: *Innocens manibûs & mundô corde &c.* Cùm autem teſte S. Vincentiô Ferrer. Serm. 3. Dom. adventûs: Pœna purgatorii, quantum ad pœnam Damni & Senſûs excedat omnem pœnam hujus vitæ. O quàm magna commiſeratione dignæ ſunt, tantis pœnîs affectæ animæ, & quàm ſtudioſè eisdem ſuccurrendum? de illis, nullum auxilium ſibi ferre valentibus meritò dixerim illud Centurionis: *Puer meus jacet in lecto paralyticus, & malè torquetur.* Purgantes animas ſine injuria *pueros* voco propter innocentiam, quâ ſunt à culpa liberi, etſi non liberi ſint à pœna. Jacent in *lecto*, ipſâ Laurentii craticulâ, aut Agathæ rogo ſexcentiès crudeliorî. Jacent in domo horroris & vaſtæ ſolitudinis, in qua nil eſt audire, niſi gemitus & ſuſpiria, nil videre niſi tormenta & cruciatus, nil tangere, niſi rogos & ignes, nil guſtare niſi flammas & ſulphur. In *domo* jacent, in qua jacere ſe crediderat Huſſiticus Princeps, quando percuſſus à Dæmone, ab amicis derelictus, ab omni morborum genere turmatim invaſus, exclamavit: *Infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtravi lectulum meum.* O domum luctuoſiſſimam & nullîs ſat deſcribendam verbîs! & quot miſeriæ caput, jacent defunctorum animæ in hac domo paralyticæ, omnî membrorum uſu, nempe omnî merendi facultate, omnî ſe ipſas adjuvandi auxiliô penitùs deſtitutæ, ſolùm pendentes à noſtra ope, quàm avidiſſimè exſpectant. Et quàm malè torqueantur luculenter docent jam adducta Vincentii verba, tormentîs ex multiplici fonte manantibûs. Unum ex his provenit ab igne, cujus tanta eſt acrimonia, ut in comparatione illius ſubtilem illam fulguris flammam, quæ tamen in momento duriſſima quæque conſumit experientiâ teſte, Rorem dixeris. Beda noſter in Pſal. 37. v. 1. ſcribens inquit: *Nec immeritò tantùm timet* (David) *hanc correptionem* (purgatorii ignes) *quia attendit eam eſſe graviorem, quàm quidquid unquam paſſi ſunt latrones vel Sancti Martyres.* Auget hanc pœnam temporis diuturnitas, quæ in aliquibus ad aliquot annos extenditur, ratione

ne

ne cujus tot anniversaria celebrat Ecclesia. Auget illam continuatio in eodem statu, illô medicorum Principiô nullum hîc reperiente locum : *Dolores quô magis intensi, eò minùs diuturni.* Aliud tormentum, & quod priori longè acerbius est, provenit ex carentia visionis beatificæ, quam quô ardentius desiderant, eo doloroſiùs ferunt, sibi denegari eô tempore, quô fruendum illâ erat. Augetur tormentum isthoc ex consideratione tot mediorum, quibûs illam consequi facillimum exstitisset. Augetur ex consideratione denegatæ sibi occasionis etiam minimum assequendi meritum, minuendi pœnam, aut abbreviandi præfixum tempus. Augetur demum maximè ex ipsa conformitate voluntatis, quam habent cum Deo puniente, quô enim magis summo bono placere desiderant, eò gravius sentiunt, se tales neutiquam esse quales avidissimè cuperent esse. Quis quæso mortalium hæc tormenta, aliis silentio involutîs, vel obiter tantùm perpendens, non sum̃a tangatur com̃iseratione? quis non moveatur ad ferenda eis auxilia? Moyses Israëlitis propitium redditurus Deum v. 8. & 9. cit. cap. procidit in genua, fundens calidissimas preces. Idem agendum Christiane Lector pro obtinenda libertate defunctorum. *Primogenitum asini redimes ove*, imperat hîc Deus Moysi v. 20. Tu pariter pro anima proximi, instar asini reliquias peccatorum suorum portantis, quibûs onerata cecidit in puteum purgantium flammarum, offer *ovem* illam, quæ physicè mactata est in cruce, & mysticè mactatur in Altari, & *salvabitur.* Nam teste Zachariâ c. 9. *In sanguine Testamenti emisisti vinctos de lacu.* Sanguis Testamenti est ipse sanguis agni Eucharistici. Quem S. Bernardus quondam celebrandô pro defunctis offerens, vidit in raptu scalam à terra usque in Cœlum surgentem, quam Angelis comitantibus salvatæ animæ ascendebant. Paulus Arigni de Roma nova.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 35. & 36. lib. Exodi, in quibus describitur Liberalitas Israëlitarum post acceptam legem de faciendis oblationibus. Structura Ariæ, Propitiatorii Candelabri &c.

Considera 1. QUàm liberales erga Deum fuerint Israëlitæ: nam omnia ad ejus Cultum requisita, sive ea constiterint aurô vel argentô, pretiosîs gemmîs vel purpurâ, *mente promptissimâ* (ut loquitur *N.* 118.

quitur textus cit. cap. v. 35.) *Obtulerunt.* Ipsæ etiam mulieres, ornatûs sui aliàs studiosissimæ, armillas & inaures detraxêre, tantaque omnium liberalitas secuta est, ut plus offerent, quàm videretur exigendum. Hinc Moyses præconis voce proclamari jussit: *nec vir, nec mulier quidquam offerat in opere Sanctuarii.* Vide nunc Christiane Lector; quomodo hæc pia Israëlitarum liberalitas confundat impiam Christianorum Parsimoniam, quibus non est opus Præcone, munera inhibente, sed rapinas despoliationesque vetante, vel saltem dictam parsimoniam acrî reprehensione culpante. De domorum suarum ornatu summè solliciti, adornant, implent, accommodant, provident, ut omnia quaquaversùm niteant. Sordeant interim Altaria, vestes sacræ sint laceræ, parietes Templorum sint scabie affecti, ipsis perinde est. Fateri coguntur cum regio Vate 1. Paralip. 17. *Ecce ego habito in domo cedrina, Arca autem Domini sub pellibus.* Pauciſſimi tamen sunt, qui cum eo hâc cogitatione permoti unquam cogitent, de cultu Dei per suas opes promovendo. Quin imò plures reperire est, qui laudabilem quorundam liberalitatem cernentes, obganniunt cum perditissimo Juda dicentes: *ut quid perditio hæc?* horum Inferno dignas voces compescere nititur imperatoria authoritas Ottonis II. qui in Diplom. S. Vincentii Monasterio dato asserit: *Si Ecclesiarum Dei curam habere studuerimus, procul dubio imperium nostrum stabile erit; insuper & vitam æternam promereri credimus.* S. Otto Episcopus Bambergensis, postquàm quindecim Cœnobia, & quinque Monachorum seminaria munificâ liberalitate exstruxisset, & dotâsset, exclamare auditus est: se quô plura largiretur Deo, eô ditiorem evadere. Basilius & Eudoxia conjuges pro erecto ad honorem Deiparæ Templo, Filium impetrârunt Eudocimum, ut taceam innumeras penè victorias, quas Imperatores & Reges Christiani obtinuêre per vota de ædificandis Templis vel restaurandis eorundem ornatubus facta.

N.119. *Considera* 2. Deum præcipiendô: ut tam *candelabra*, quàm *emunctoria* fierent ex auro purissimo, voluisse: ut Prælati, qui tum ad illuminandos subditos, tum ad purgandos eorum errores assumpti sunt, eâ fulgeant puritate morum atque splendore virtutum, ut quæ in aliis purganda invenerint, in se ipsis non inveniant: atque hinc Deus Pharaoni præfecturus Moysen (ut sæperius mentio jam facta est) non Ducem aut Præceptorem, sed Deum ejus vocavit, quasi per hoc innuens: Moysen nihil humanum sapere debere, & in se deferre culpan-

pandum, qui Pharaoni dominetur, & ejus defectus corrigat. *Debet cunctos præcellere excellentiâ, virtute, & claritate morum*, ait S. Thomas Villanovan. Dom. 19. Pentecost. *Qui omnes excellit Dignitate, & quantò eminentior Dignitate, tantò debet esse sublimior virtute & claritate morum, & quodammodò plus quàm homo debet esse, qui præest hominibus.* Debet primò subditos præire zelô Pietatis & Religionis in Deum: hoc ipsum insinuâsse videtur Deus, quando Deut. 17. jussit: Regem describere sibi Deuteronomium, & legere illud omnibus diebus vitæ, quô doceatur venerari Deum, servare exactissimè ejus Præcepta, ejus cultum ubique locorum promovere. Hinc est: quòd Nathan tam durîs in Davidem invehatur verbîs ob adulterium ab eo commissum, exprobans ei regiam Dignitatem, quâ ab eo fuerat donatus, & vî cujus longè studiosiùs ei observandæ fuissent leges divinæ, quibus tamen ille tantæ Dignitatis oblitus, tantæ gratiæ immemor, exstitisset injurius. *Ego unxi te in Regem super Israël*, inquit Propheta ex ore Dei, 2. Reg. 12. Et tamen egisti illud, quod nec de infimo exspectâssem subdito. Ut corpora inferiora motui cœlestium sphærarum propter naturæ nobilitatem parent: ita inferiores sibi Præpositis libenter obtemperant, quando eos singularibûs virtutum radiîs, ac Pietate in Deum micare cernunt. Quis nescit: Carolum Quintum illud Imperatorum Miraculum tantâ apud subditos valuisse authoritate, ut ad omnia Imperia haberet promptissimos? & hæc non tam ex bellandi fortuna, quàm Deum colendi Industria ortum traxerat. Unicum hîc lubeat attexêre imperatoriæ Pietatis specimen, ex quo ceù ex ungue Leo cognoscantur alia. Agebantur Augustæ Vindelicorum comitia, instituebatur solemnis Processio per plateas & compita civitatis, cui ille non equo aut currui insidens, non capite coronâ regiâ tecto, sed pedester & capite penitùs nudatô summa omnium admiratione interfuit. Sed quid vetera revoco exempla, quando in promptu sunt nova? adorat nunc Romanum Imperium Carolum alterum, ordine Sextum, adorat inquam, & se ad omnia ejus Imperia offert paratissimum, insignî ejus in Deum Pietate ceù Magnete tractum. Pietate inquam tractum insignî, quàm etiam muti lapides Templorum in Catalonia, Wiennæ in Austria deprædicant. Secunda Prælati aut personæ Imperantis virtus sit Prudentia, quæ jubet, res omnes nonnisi maturô judiciô, & adhibito virorum peritorum consiliô agi: præsertim si quæ majoris momenti occurrant. Hoc exactissimè observaturus Severus

rus Imperator, nullam sanciebat legem, quam antea non dedisset Jurium peritissimis ponderandam. Hoc ipsum imperantibus imperat Deus Proverb. 3. dicens: *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, & infrà: *ne sis sapiens apud temetipsum*, ut enim ad res obscuras & clarè cernendas adhibere oportet perspicilia, ita ad decernendas quæstiones altioris momenti opus est operâ Consiliariorum. Tertia Virtus in Prælato requisita Fortitudo dicitur, quam clarîs insinuat verbîs Moysi locutus Jethro Exodi 18. *Provide de omni plebe viros potentes.* Tales, qui nec adversîs frangantur, neque secundîs extollantur, nec deterreantur subditorum querelis, nec eorum adulationibûs flectantur, ut vel latum unguem ab æquo rectoque deflectant. Vitia, legibus repugnentia sine ullo personarum respectu culpent, & vindicent. Habeant cum Ferdinando Cæsare sibi familiare illud adagium: *Fiat Justitia, & pereat mundus.*

Hactenùs usurpata brevitas longiorem me esse non patitur; dicerem alias: Prælatos præter attactas virtutes, decere Humilitatem, qualem ab illis exigit Deus Deuteron. 17. *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos.* Dicerem: vel maximè illis colendam esse mansuetudinem & affabilitatem, qua faciles subditis aditus & aures præbeant, hortante Vespasianô: qui dicere consueverat Suetoniô teste: non oportere quemquam à Cæsare tristem discedere. Sed quòd nec oporteat, ipsum cum grandi formidine accedere, docet S. Joannes Eleemosinarius Episcopus Alexandrinus qui ut refert Baronius 610. asserebat: *Si nobis, qui homines sumus, licet ad Deum accedere absque ullo intercessore: quomodo illud non etiam liceat conservis nostris ad nos?*

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus, quæ reperiuntur in libro Exodi, & in quibus describitur Textura Vestium, Erectio Tabernaculi, & hâc perfectâ Nubis & Gloria divinæ Apparitio.

N. 120. *Considera* 1. MAlogranata, quæ sunt Sanctioris vitæ symbola, in nulla parte vestimenti Sacerdotalis, imò cujuslibet Christiani aptiùs locari, quàm in infima: ut, dum subtrahuntur hominum conspectui, per humilitatem in suo vigore valoreque coram divinis conservantur oculis. Esther non tam speciosa, quàm virtuosa mulier cùm sese ad regales usque demitteret abjiceretque pedes, adeò

adeò regium inflexit animum, ut omnibus ejus petitis quàm promptissimè annueret. Joannes cùm sanctitatem suam, licèt altissimam adeò nihili haberet, ut se solvendis Christi calceamentis æstimaret indignum, meruit audire divino ore, quòd illô non sit major inter natos mulierum. Maria Virgo, cùm excellentiam virtutum suarum, quâ ipsis Angelis erat stupori summo, tegere niteretur vilî ancillulæ amictu, Verbi æterni mater & cœlestium spirituum Regina compellata est. Quando Abraham, vir nunquam sat laudatæ virtutis, auditus est dicere Genes. 18. *Ego sum pulvis & cinis*, adeò divinæ Justitiæ rigorem mitigavit, ut si inter tot mille Sodomitas tantùm quinquaginta, quin imò decem tantummodò invenire datum esset, tota civitas mansisset à flammis ultricibus secura. Sanè sicut hauriens aquam, eò puriorem haurit, quô profundior fuerit puteus: ita Justus eò majorem consequitur gratiam, crescitque majoribûs meritîs, quô profundior ejus fuerit humilitas. Ad hanc virtutem eò magìs æstimandam, ut nos induceret Deus, ipse se humiliare non veretur, dum S. Scripturâ teste cap. 40. v. 32. inclinans cœlos descendit, & suâ gloriâ implevit Tabernaculum Domini. *Quid ergo superbis homo?* ait Venerab. Beda in Joan. c. 6. *Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortassis imitari humilem hominem: saltem imitare humilem Deum.* Quid ergò æstimari, quid laudari affectas, si virtutem aliquam possideas, de qua solius Dei est judicare: an vera sit, nec ne? quid instar Gallinæ ovum glocitandô prodentis, bonum, si quod feciſti opus, jactitas? quid cum pavone pennas explicas, non respiciens ad deterrimos pedes plurium culparum, quibûs abundas? sicut puella nobilis & dives, si unô pede claudicet, aut oculô unô orbata sit, non tam attendit ad genus ac dotem suam, quàm ad defectum, quô laborat, & intuitu cujus omnem exuit superbiam; ita si quid in te repereris laude dignum, cogita: graviores adhuc reperiri culpas, qui laudem hanc vituperiîs longè superent. ô quàm multorum pietatem nunc deprædicat mundus, qui quondam cum Doctore Parisiensi exclamabunt: *Justô Dei judiciô damnatus sum.* Quàm multorum extollit humilitatem, qui cum superbo Lucifero quondam ad ima devolventur Tartara. Quàm multorum admiratur liberalitatem, qui gratiâ divinâ, & donîs omnibûs spoliati exclamabunt cum divite epulone: *Quantum crucior in hac flamma!* Quàm multas nunc vocat Virgines, quas quondam videbit meretrices, cum Dalila æternîs ignibûs cremandas. Considera tantùm lapsus tuos

quotidianos, ineptias, inconstantias, vanitates. Vide: quomodò etiam post tot pœnitentiæ remedia, & concepta proposita non desinas more canum ad turpem redire vomitum? cerne: quot merendi occasiones negligas? quot Dei & Angeli custodis inspirationes repellas? quot oblatas gratias nihili ducas? & in virtutum studio tot jam annis versatus, nec parum etiam profeceris? si hæc ad trutinam posita, humilitatem tibi non persuadeant, lapis es, non homo.

N.121. *Considera* 2. Gloriam Dei non antea implêsse Tabernaculum Testimonii, antequam fuerit ex integro perfectum. Videtur id ea de causa factum, ut demonstret Deus: Quanti æstimet boni operis consumationem, quâ non datâ, opus displiceat Deo: Hinc Salvator non antea auditus est dicere: Lucæ 22. *Dispono vobis Regnum*, priusquàm dixisset: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Marci 8. legitur: copiosam hominum turbam pedestrî itinere Christum secutam esse: nec secutam tantummodò unâ die, sed integrô triduô, nullis cibis refectam, donec miraculosô conviviô omnium famem sedaverit Christus. Erat convivium hoc figura cœlestium epularum, quas Christus non ampliùs in deserto, sed in supremo cœlorum Palatio suis adornat sequacibus: has autem non gustabunt, nisi quos hîc in fame & siti ferenda constantes fuerit expertus. *Tolle perseverantiam*, ait S. Bernardus Epist. 119. *nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.* Quid lucri exspectet pictor, qui tabulam à se inceptam non perfecerit? quid prodest magnâ arte exstructa fabrica, cui tectum non imponitur? quid juvat cursorem, multum viæ confeciisse, si antequam ad metam pervenerit, consistat? quid lætæ copiosæque conferunt segetes, si maturitatem non assequantur? quid fertiles vineæ, si racemi degenerent ante vindemiam? quid arborum numerosi flores, si ad ventum vel nebulam omnes defluant? cunctæ quidem virtutes properant ad metam, soli tamen Perseverantiæ debetur bravium, quia hæc sola metam attingit. Hinc de illa asserit S. Laurentius Justin. de Lig. vitæ c. 2. *Ipsa est mediatrix ad Premium, sola æternitati hominem reddit, dicente Dominô, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, &c.* Non diffiteor, perquàm laude dignum esse, gerere animum, ad virtutis pietatisque formam recipiendam mollem ac cereum, at magis vituperabile est: cereum esse in retinenda virtute, quàm quis semel receperit. *Væ illis*, ait Eccles. 2. *qui perdiderunt sustinentiam.* In quæ Verba S. Greg. *Sustinentiam quidem perdunt, qui bona inchoant, non consumant, quibus nimi-*

nimirum væ esse dicitur, quia non solùm incepti laboris mercedem perdunt, sed & Apostatûs sui pœna feriuntur; quod non infrequentes multorum virorum virtute florentium lapsus & æterni interitus comprobant. ô quantâ divinarum litterarum peritiâ, quantô virtutum variarum splendore universam olìm illustraverat Ecclesiam Origines? quem ceù Luciferum meritò venerabantur omnes Christicolæ: sed proh dolor! quàm turpiter cecidit hìc Lucifer de cœlo, quia sustinentiam perdidit. Quantam olìm pietatis doctrinæque famam longè lateque sibi comparaverat Osius Episcopus; adeò, ut Augustus ipse pronâ quâdam pietate illum Patrem vocitaret, & se ei quasi Magistro Discipulum traderet in omnibus regendum. Sed ô miserandam humani generis inconstantiam! tam firma Ortodoxæ fidei columna, quia & ipsa sustinentiam perdidit, collapsa est, unà secum trahens immanem animarum ruinam. Quid dicam de Macario? quem constat, tam altum virtutis fastigium conscendisse, ut veræ Religionis zelô inflammatus, corpus suum objiceret horrendîs torquendum tormentîs, quibûs etiam admirandâ patientiâ superatîs, cùm superviveret, in carcerem conjectus est. Sed ô luctuosam viri, inter acerbissimos etiam cruciatus constantissimi inconstantiam! quem equlei & suspendia à cepto virtutis tramite removere non poterant, removit una mulier: quem ceù ferreum & adamantinum emollire non poterant verba & verbera carnificum, mulieris blanditiæ emollière. Ministrabat ei in carcere ad speciem honesta mulier, cum qua familior factus, sustinentiam perdidit, lapsus in stuprum. Christiane Lector, si hæc in viridi, in te arido quid fiet? si tam labilis res est cum ipsis cedris, quid tecum arundine continget? age sis, subministrabo tibi pauca remedia, quibûs usus perseverantiam obtinebis. Primum ex his voco diffidentiam tui: elata enim de obtentis aliquando virtutibus fiducia obicem ponit divinæ gratiæ, sine qua diuturna in virtutum studio constantia non dabitur. Saul, cùm esset parvulus in oculis suis, Regnum & coronam est assecutus; verùm ab humilitate deflectens Regnum amisit, perdidit coronam. S. August. Soliloq. c. 25. approbat remedium meum, Deum his allocutus verbîs: *Cognosco nunc, quia illuminâsti me, quia quod magis credidi posse per me, minùs semper potui: dicebam enim hoc faciam, illud perficiam; nec hoc nec illud faciebam. Aderat voluntas, non aderat facultas. Aderat facultas non aderat voluntas, quoniam de meis viribus confidebam.* Alterum, quod tibi suadeo remedium, Dei timorem nomino, hunc qui possi-

det, sensus passionesque suas, ne limites exeant, continuò refrenat, peccandi occasiones etiam remotas fugit, contra hostiles insultus quaquaversum se armat, pro divina ope nunquam non supplicat. Verbô, dicam cum aureo Oratore Homil. 15. ad pop. dicente: *Viventem cum timore impossibile est peccare.* His duobûs utere remediîs, & perseverans usque in finem salvus eris.

FASCICULUS XX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Levitici, in quibus describitur Ritus & qualitas Holocausti de armentis, pecoribus & avibus. Lex de oblatione similarum, salis & mellis.

N.122. *Considera* 1. DEum non absque speciali Notamine imperâsse: ante omnia membra sibi offerri caput in sacrificandis viventibus v. 8. cit. cap. quid autem moraliter loquendô in viventibus caput, nisi bona intentio? enim verò sicut caput cæteris præsidet membris, ita intentio cuilibet præsidet operi. *Quod est corpus sine vita*, asserit Richardus à S. Vict. agens de intern. hom. *Hoc est opus sine bona intentione*, & Malachias Propheta cap. 1. ait: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est?* quæ verba expendens S. Hieronym. ea sic explicat: *Victima Dei est bonum aliquod opus, uti oratio, Eleemosyna &c. Verùm cæca victima est, si ejus intentio non est simplex, qui offert.* Ut nemo, etsi paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi ipsi constet, quid pingere intendat; ita nemo opere suô se gratum reddet Deo, nisi priùs disposuerit sacram Idæam, cui se conformare voluerit. Divinus ille sponsus sponsæ suæ venustatem genis adscribit, dicens: Cant. 1. *Pulchræ sunt genæ tuæ.* Per has autem mellifluus Doctor significari æstimat, puritatem & rectitudinem intentionis bonæ: ut enim ex eleganti genarum forma decor omnis ac venustas derivatur in faciem, & hinc illæ summô studiô ac summâ industriâ adornantur, ita

omnis

omnis valor operis bonæ intentioni adscribitur; adeoque eidem formandæ totis allaborandum est viribûs. Audiatur citatus Doctor Serm. 40. scribens: *Ex hac enim rectitudo operis sicut ex facie pulchritudo æstimatur. Duo autem in intentione (quam faciem animæ esse diximus) necessaria requiruntur (tanquam duæ genæ) res & causa, id est quid intendas, & propter quid? ex his sanè duobus animæ decor, vel deformitas judicatur.* Neque reperire est opus ullum tam vile, cui pretium intentio non addat, & ad merendum quidvis valorem non conferat: quare etiam virgulæ aureæ aut lapidi philosophico comparari meretur, quæ in aurum transmutant res, nihil aureum in se reconditum habentes, uti sunt actus ex objecto indifferentes. Docuerat hoc Christus charissimam suam sponsam S. Brigittam, quando ei de impendenda corporis cura anxiæ, hæc verba locutus est lib. 2. Revelat. c. 24. *Illud tempus, quod impenditur subveniendo corporis necessitati, si id rationabiliter fiat, inter spiritualia reputatur.* Hoc ipsum S. Gertrudis audiit cum ineffabili quadam suavitate. Cùm enim illa labore nimis gravatum caput cuperet refocillare; & hinc species, quas vocant aromaticas, in ore teneret, intentione honorandi Deum, hunc actum concomitante, Dominus se ei inclinavit, quasi hausturus odoris fragrantiam, dein se erigens, suavissimum emittebat halitu suo odorem, ac lætabundo vultu suos alloquens sanctos, inquiebat: ecce nunc! quid novi à sponsa mea receperim? sibimet enim ipsi impensum fuisse reputaverat, quòd purâ sincerâque intentione proprio corpori indulserat Gertrudis. *Ita referunt insinuat. div. Piet.* ô quantum igitur stulteseis Christiane! si tot merendi, & Deo placendi occasiones abripi tibi finis per socordiam? instar equi cœci in fullonio te gerens, qui etsi totâ currat die, vesperi tamen eodem reperitur in loco, quo inceperat cursum. Ita tu per diem integrum studendo, laborando plurimùm operatus; cùm his actibus bonam intentionem præfigere neglexeris, in via meritorum nec unicum progressus es passum. Sed fortè utcunque tolerabilis adhuc foret isthæc negligentia, si faceret opera tua meritò carere. Timendum hercle, ne etiam faciat, peccatò esse infecta, prout probabilissima illud docet Theologorum quorundam sententia, quæ nullam actionem humanam in individuo indifferentem admittit, & omnes actiones ut peccaminosas damnat, quæ finem honestum & debitum non respiciunt saltem virtualiter. Sed transmissâ hâc sententiâ, illud remanet verissimum: quòd nisi intentio bona præveniens opera, perversos fines excluserit, adsit præ-

sentissimum periculum, per accessum intentionis pravæ ea depravanda esse. Cumque actus nostri, præsertim quos publica lux aspicit, majorem meriti furem non habeant, quàm vanam gloriam laudisque humanæ appetitum: hinc vel maximè laborandum, ut sicut imperat Deus v. 16. cit. cap. in Sacrificandis avibus deponere *plumas* & *viscerulam*, ita Christianus per suos actus quasi gratum Deo sacrificium exhibiturus, debet plumas & viscerulam vanæ gloriæ per illud Apostoli 1. Thimoth. 1. effatum: *Regi Sæculorum immortali & invisibili Soli Deo honor & gloria*, deponere.

N. 123. *Considera* 2. Quàm frequentur contingat: homines fervore spiritûs durante, se totos DEO consecrare, & in sacrificium offerre, dicentes cum Petro: *Domine paratus sum tecum, & in carcerem, & in mortem ire*, Lucæ 22. Verùm cùm talia sacrificia sæpiùs *Sale* careant (quod tamen Deus cit. capit. v. 13. in omnibus requirit sacrificiis) hinc illa parum redduntur gtata Deo. Sal enim cùm præstet incorruptibilitatem, Symbolum est Durabilitatis, quæ proh dolor! plerumque abest à talibus Sacrificiis. Flet namque quidem austerior tentationum Boreas, auferatur animæ in sacris exercitiis sapor, desint supernæ consolationes, ò quàm citò dabitur sentire, sacrificia illa caruisse sale, docuit id suô lapsu ipse Petrus, qui vix durioribûs verbîs invasus, ociùs reposuit: *Non novi hominem*, cujus tamen obsequiis paulò ante etiam cum vitæ dispendio se totum consecraverat. Laudatur 2. Reg. 23. Bananias non tantùm ea de causa, quòd Leonem percusserit, sed vel maximè laudatur exin, quòd id heroici facinoris perpetraverit in *diebus nivis*, tempore videlicet, quô omne corpus riget, & manus reperiri solent ad exercenda officia inhabiles. Quod autem corpori est tempus nivis, hoc est animæ tempus tentationis, ariditatis & absentiæ spiritualium consolationum, quô datô fortiter pro Gloria Dei pugnare, & in benè ceptis persistere, summam meretur Laudem; eò quòd sit indicium Sacrificii *Sale* conditi. Apostolos suos, quinimò quemlibet Sanctioris vitæ Christianum alloquitur Christus: *Vos estis Lux Mundi*: At quid solem magis condecet, quàm stabilem in virtute sua esse Planetam: seu tonet, seu fulminet, seu ninget, seu grandinet, hiems vel æstas sit, sol eundem semper retinet vultum: *Solis vis*, ait Seneca Epist. 92. *& Lux integra est etiam inter opposita, quoties inter nubila luxit, non est serenô minor nec tardior quidem. Sic virtus sibi eadem est, & more solis obscuri in occulto vim suam exercet.* Nierenbergicus

ex

ex Taulero refert. vit. div. c. 20. exstitisse quendam insignem Dei famulum, revelationibûs & visionibûs cœlestibûs admirandum, ad quinquennium tamen tantâ ariditate vexatum, ut vix respiraret, & non nisi ægerrimè quietem animi teneret. Exactô hoc divinæ probationis Tyrocinô acceperat duos Angelos, de cœlo missos, qui tamdiu luctanti aderant, aliquo eum refecturi solatiô: sed ut invictus iste Adletha demonstraret: sacrificia sua sale condita esse, seque solem æmulari, ad Deum conversus inquiebat: Domine Deus nullum ego solatium expeto! satis mihi est, custodire locum, ubi habitas in anima mea, ita: ut in eam præter te introëat, aut appareat nihil. Quæ animi fortitudo & Constantia adeò placuit divinæ Bonitati, ut ex Patris æterni ore audierit: *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuis.* Prout autem Deus voluit omne sacrificium sale condiri, ita ac omni abesse voluit *Mel*, quod est symbolum dulcedinis & voluptatis; hanc ergo quisquis studiosè quæsierit in suis exercitiis spiritualibus, nunquam gratum Deo sacrificium peraget. Noverat hoc B. Catharina Genuens. teste Lanc. de arid. cap. 6. & hinc asserere non dubitaverat: *Sanè gustus ille spiritualis magis quàm Diabolus cavendus est, quandoquidem ubi adhæret, morbum generat incurabilem homine ignorante.* Mox citatus Lanc. refert: Antoniam Romanam, notissimæ sanctitatis viduam, solitam esse, animas deliciis supernis & consolationibus assuetas, catulis Melitensibus comparare, quæ domicellis inservirent, quos constat: nisi continuò sentiant blandientem manum, illicò latrare. Esto & tu Christiane Lector canis, sed venaticus non melitensis. Venaticus inquam, qui in servitiis Domini licèt assiduus, famen perpeti cogitur, ut avidiùs venationi indulgeat. Hoc unicum dulcedinis à Deo quære in tuis exercitiis, quod quæri vult mellifluus Doctor, asserens: *Illud verum est ac solidum gaudium, quod non à creaturis, sed à creatore percipitur.* Si tamen Deus quandoque ultranèe te aliquô recreet solatiô, accipe illud ut gratiosum illius Donum: nam & Marci 1. de Joan. Baptista legitur: *Quòd commederit mel.* At sicut illud mel non aliud exstitit, nisi silvestre, per hoc à domestico diversum, quod solô apium labore inter arborum & rupium concava conficiatur, nullâ hominis industriâ aut labore concurrente: ita nihil ex parte tua concurrat, quô videaris, hanc dulcedinem affectâsse, aut vel à longè illius causâ Deô serviisse.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Levit. in quibus describitur Ritus Hostiæ Pacificorum & oblationis Agni. Hostiæ pro peccato Sacerdotis.

N.124. *Considera* 1. HOstiam pacificam jussu Dei in plures partes fuisse distributam, quarum una dabatur Deo, constans ex *Renibus*, *Sanguine* & *Adipe*. Altera Sacerdoti, sita in *Armo* & *pectusculo*. Tertia offerenti: in residuis oblati animalis partibus consistens. Christianus acceptum Deo oblaturus sacrificium, non disparem Ritum observet, in sensu morali spectatum. Det ergo *Renes* Deo, congruam suo statui servandô castitatem. Det *Sanguinem* pariter Deo, cohibendô appetitum vindictæ per mansuetudinem. Det *Adipem*, sensuales voluptates mortificatione refrænandô. Offerat Ministris Ecclesiæ *dextrum armum*, subsidium videlicet & debitam sustentationem cum *pectusculo* amoris &c. Dum verò hîc mentionem facio, subsidii & sustentationis sacerdotibus præstandæ, ansam arripio, contra eos intonandi, qui divinis & humanis repugnantes Præceptis, Decimas denegare, aut defraudare præsumunt. Audiant illi tonitru divinæ comminationis Malach. 3. ubi legitur: *Quia vos me configitis in decimis & primitiis* (subtrahendô illas Ministris Ecclesiæ) *in penuria vestra maledicti eritis.* Septem macilentæ vaccæ, quas somniabat Pharao Genes. 41. quòd septem alias vaccas pingues devorarant, nullum saturitatis dedêre vestigium, sed simili macie & squalore torpebant: haud secus ejusmodi decimarum heluones non tantùm non ditantur ex illis, fraude aut vî subtractis, sed etiam rerum indigentiam sentient, hanc pœnam ipsis prædicente S. Augustinô Serm. 219. de Temp. qui sic scribit: *Elige tibi unum ex duobus, aut da Deo decimam partem bonorum tuorum, & relinquet tibi novem partes; aut si retinueris decimam partem, & nihil dederis de substantia tua in sustentationem, tunc Deus auferet novem partes, & vix decimam concedet.* Vivebat sub ecclesiastico regimine S. Anselmi Cantuar. Episcopi vir quidam decimarum defraudator, cujus horreum cùm vidisset sanctus, vidit eidem insidentem Dæmonem, & quærens ex viro: cur horrea sua illô non expleviſſet annô, reliquens ea penè vacua, & frugibûs destituta? responso tulit: mirari se vel maximè frugum paucitatem, licèt illuc congererentur omnes, etiam non solutîs Decimîs. Hæc ut sanctus intellexit, jussit ociùs extrahi Deci-

Decimas. Et ecce! decimîs vix extractîs ita cæpêre multiplicari fruges, ut capiendis illis impar redderetur horreum. *Specul. exempl. tit. de decim.* Nec hanc solummodò pœnam sentient Decimarum defraudatores, ut de temporalibus loquar: nam (quod æternas concernit) certiùs nihil erit, quàm ignis tartarei tormentum. S. Augustt. alteram dictat, inquiens lib. de doct. Christi *si non decimaveris, decimaberis, & dabis impio militi, quod noluisti dare Christo.* Imitantur enim Decimæ, aliis bonis per nefas conjunctæ, pennas aquilarum, quæ Pliniô teste l. 10, commixtæ aliis pennis, eas devorant, & faciunt putrescere. Hîs pœnis deterritus ò Christiane Lector! si eo vivas in statu, quô tibi de fructibus terræ solvendæ sunt decimæ, eas non tam fideliter, quàm & libenter salvas, largâ benedictione à Deo remunerandus: nam Augustini, antea pœnas, nunc præmia promittentis effatum est in c. decimæ 16. q. 1. *Si decimam dederis, non tantùm abundantiam fructuum, sed etiam sanitatem corpotis consequeris.*

Considera 2. Non tantùm Decimas, libenter sacerdotibus esse *N.*125. præstandas, tanquam res, eorundem sustentationi necessarias: sed etiam pectusculum amoris & Reverentiæ esse exhibendum illis; sunt enim tantæ dignitatis, ut Deus eos æstimet toti populo pares, prout colligere est ex v. 3. capite 4. ubi jubet offerri pro delicto sacerdotis *agnum immaculatum*, non majorem videlicèt exigendô Hostiam pro peccato totius Populi, quàm peccato unius tantummodò sacerdotis. S. Ephrem de sacerdotii dignitate differens ait: *Per hanc Dignitatem humana natura licèt humilis sit atque abjecta, cum virtutibus incorporeis adæquata, excedit intellectum & rationem, omnemque cogitationem Donum altitudinis Dignitatis sacerdotalis.* Verba Levitici 16. brevì secutura dabunt; præcepisse Deum, nullus hominum versetur in Tabernaculo, quando Pontifex sanctuarium ingrediatur. Sed nunquid ipse sacerdos vel Pontifex sanctuarium ingressus desinet esse homo? respondet dubiæ quæstioni Cyrill. Alexand. in c. 16. Lev. asserens: *Et non erit homo, sed tanquam Angelus Dei, cùm ingredietur Pontifex intra velamen: sive unus cum Domino Spiritus fiat, sive per resurrectionis gloriam in Angelorum transeat ordinem, non erit homo.* Non erit inquam homo sacerdos, quia Deo adhærens cum ipsomet Deo efficetur unus spiritus. Non erit homo: quia nil nisi divina tractans, tractandus pariter erit ut Deus. Non erit homo: quia ut dixit Atalricus Rex apud Cassiodorum: Sacerdotum Professio cœlestis est vita. Non erit homo; quia pau-

cîs Deum è Cælo trahens verbîs, divinam omnipotentiam æmulatur. Non erit homo, quia per sacramentalem absolutionem peccata remittens, Deus vocabitur. Quantam ergo exigit à te Christiane hæc Dignitas Reverentiam & amorem? Ferdinandus II. Rex teste Lomarico vitæ ejus c. 9. auditus est dicere: occurrentibus sibi eodem in loco Angelô & sacerdote, se primum locum sacerdoti, secundum Angelo honoris officium persoluturum. Si Ægyptus olim Josepho tantum detulit honorem, ut eum terræ Salvatorem proclamaret: cùm tamen ei de panibus tantùm prospexerit; quid honoris impendendum illis, qui Deum ipsum tibi offerunt instar panis, æternam tibi vitam largientis, sumendum? si locos aut Reliquias ab incarnati verbi contactu olim consecratas summâ colimus reverentiâ: quanta debebitur reverentia manibus illis, in quibus velut in triumphali curru quotidiè cernitur residere Christus? cur ergo audes Christiane sacerdotes frequenter præire, eos ridere, eorum mores discutere, faman attrectare: cùm tamen ipse Deus, ut sacerdotum etiam veteris Testamenti famæ honoríque consuleret versu 11. cit. cap. præceperit: pelles victimæ oblatæ pro peccato sacerdotis & omnem carmen cum pedibus & capite &c. extra castra deferri, & comburi: ne vestigium remaneat ullum ex peccato Sacerdotis, quod ejus famæ & honori officere posset. Quare etiam Christus, quoties arguit Synagogam, nunquam auditus est nominare sacerdotes, Matthæi 23. dicens; *Super cathedrum Moysis sederunt scribæ.* Angelos non minùs summam reverentiam sacerdotibus detulisse incomperto est: nam Lucæ 1. legitur: Angelum stetisse à dextris Altaris Incensi; cùm tamen in ipso Christo Monumento dicatur sedisse. Nec mirum: ibi enim habuit socium sacerdotem, hic verô mulieres, etsi sanctissimas & omnî veneratione dignas.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 5. & 6. lib. Levit. in quibus describitur Lex de immundo ex contactu. Lex de prævaricante, & sacra non debitè tractante. Lex de igne perpetuo & variîs oblationibus &c.

N. 126. *Considera* 1. HOminem, qui etsi non peccâsset per malitiam *tangendô aliquid immundum, sive quod occisum à bestia, aut per se mortuum &c.* nihilominùs reum delicti factum; & hinc mundandum sacri-

sacrificiô, figuram esse illorum, qui perversis se Sociis jungunt. Etsi enim id non malâ intentione contingat ; attamen malus plerumque effectus consortium hoc consequi solet, dum sensim inficiuntur paribûs peccatorum maculîs; nam & hi, qui pestem contrahunt, non eâ inquinantur voluntariè, sed ex commercio & praxi cum infectis. Optimè ad propositum nostrum ait S. Chrysost. in Psal. 4. scribens: *Quemadmodum corpora à corrupti aëris lue infecta pereunt, & quemadmodùm sanus oculus, quando laborantem aspexerit, afficitur, & qui est scabie refertus, iis etiam, qui sani sunt, eam impertit : ita sæpè etiam contingit in consuetudine improborum hominum. Et ideô suâsit Christus non solùm eos, qui sunt tales, fugere, sed etiam exscindere, sic dicens; si oculus tuus dexter scandalizaverit te, erue eum.* Attende ergo Christiane Lector, quibus te sociis credas ? oportet utique cautissimum te esse illis in rebus, quæ etiam invitum quandoque in culpam & pœnam trahere solent: sic Alipius Romæ ab amicis ad Amphiteatrum renitente animô perductus, repentè insanô ludorum gladiatorumque amore correptus, spectavit, clamavit, exarsit. S. August. lib. 6. Confess. erat Josaphat Rex Juda vir laudatæ pietatis ; & hinc à Deo protectus non habebat, quod timeret à Syris: Verùm ut persuasus ab impio Achab, cum illo ad bellum processit, illico ab hostilibus turmis cinctus, in summam vitæ discrimen pervenit 3, Reg. ult. ô quot reperire est adolescentes innocentis vitæ, qui quidem frequenti Angeli custodis monitu audiunt illa Christi verba : *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. Verùm dum satìs cavere negligunt, in extremum animæ perdendæ periculum incidunt. Memorat Neander : sturnum cicurem hæc verba ab Hero suo edoctum esse: *Cave à malo consortio,* quæ identidem repetierat. Accidit autem, apertâ fortè caveâ sturnum avolare, & sibi similibus conjunctum in substrata aucupis area capi, captumque ad necem ab aucupe, qui cætetos jam necaverat, quæri. Hoc in discrimine constitutus sturnus occinit : *Cave à malo consortio.* Quæ verba audiens auceps ei vitam donavit, salutarî documentô hominibus, præsertim juvenibus relictô, summis exponi periculis illos, qui sociis quibuscunque obviis sese exponunt, non satìs cognitâ eorundem probitate. Quare elephantem imiteris Christiane, qui caprô etiam à longè conspecto fugit Pierio teste, quia ejus fœtorem nuspiam pati potest.

N.127. *Considera* 2. Per ignem, quem Deus voluit semper ardere in Altari v. 12. cap. 6. nutriendum à sacerdote, subjiciente ligna per singulos dies, denotari charitatem Dei: hæc ut nunquam in Altari pectoris Christiani extinguatut, lignô Crucis & passionis Dominicæ per fervidas Meditationes nutrienda est. *Tanta vis est Crucis Christi*, asserit Orig. l. 6. in Epist. ad Rom. *ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, --- nulla concupiscentia, nulla libido, nulla possit superare invidia: sed continuò ad ejus præsentiam totius ille peccati & carnis fugatur exercitus*; per consequens amor divinus in cordis Ara conservetur illæsus. Deipara Virgo hunc ignem, ut continuo foveret, testatur apud S. Brigittam lib. 2. c. 12. se cogitationibus semper versatam esse in sepulchro Filii sui. Sanctus Paulus pari ex causa adeò in meditanda passione Dominica erat assiduus, ut nil aliud, quàm hanc ipsam se scire jactitaret *1.* Corinth. 2. Postquam pœnitens, & Christi amore flagrans Magdalena in eremum se contulit, & supplex à Deo petiit: quò negotiô se imposterùm occuparet? ab Archangelo Michaële Crucem accepit, in aditu speluncæ positam, cujus aspectu & meditatione conceptos divini amoris ignes semper nutriret. Piissima mater nostra Sancta Ecclesia, ut filios ad divinum accendat amorem, quid aliud facit sacrò Passionis tempore, quam quod glorioſissimæ Crucis Trophæum in sublime attollat, & mirîs deprædicet laudibûs, totô illô quatuordecim dierum tempore imperans decantari Hymnum? *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis Mysterium, quo carne carnis Conditor suspensus est Patibulo &c.* Simul verò (quod planè videtur admiratione dignum) crucifixum ipsum nostris abripit oculis, dum violaceîs illum velîs obducit, prætensisque velut sipariîs occultat. Sunt variæ variorum Interpretum opiniones: quid isthæc portentet occultatio? Seligam ego ex omnibus illam, quæ asserit: Ideò Crucifixi effigiem Passionis dominicæ tempore oculis corporeis quodammodò subduci, ut ipsa oculis mentis nostræ magìs per fervidas medidationes illucescat: hunc enim fermè esse hominum genium, ut quod patulum sit, & in apertum prorumpat, veluti neglectum habeatur: id verò quod abditum lateat, magna quæratur aviditate. Non tantô studiô quærerentur metalla, nisi terra suîs ea visceribûs abscondisset, densisque latebrìs humanam irritâssat cupiditatem. Non aliâ arte Apelles inspiciendæ suæ picturæ hominum orexim magìs excitavit, quàm cùm depictô illam velô fingeret occultari. Non disparî îgitur modô

dô se gerit Mater Ecclesia: ut per frequentes Dominicæ Passionis Meditationes ignis amoris divini accenderetur vehementiùs, accensusque duraret diutiùs: hinc ipsam patientis imaginem corporeis subducit oculis. S. Petrus Dam. lib. 3. Epist. 18. refert in India reperiri admirandæ virtutis arborem, *Peridirion* illam vocant Incolæ, quæ præter fructum, quem gignit saluberrimam umbram projicit, quô noxii serpentes abiguntur. Arborem hanc quis non dixerit sanctissimam Crucem in corde Christiani hominis per frequentem meditationem passionis Dominicæ radicatam? de hac verificatur illud Cant. 2. v. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* ô benedictum lignum, quod dum vitæ es principium, es quoque firma radix amoris divini! ô saluberrima arbor! dum à pectore fidelium abigis serpentem tartareum, exaltas in eo Christum. Paulò antequam Salvator adoriretur Passionem suam, in hæc erupit verba Matth. 20. *Ecce! ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur ad crucifigendum.* Et mox subjungitur: accessisse matrem filiorum Zebedæi, & sollicitam de illorum promotione primas petiisse sedes. Scio: non paucos SS. Patrum inveniri, qui hanc mulierem vel imprudentiæ vel impudentiæ arguant, attamen persuasus sum, illam hôc factô maximum prudentiæ suæ specimen dedisse; eò quòd gloriam illô prorsus tempore petierit, quô Christus ad summam sui confusionem & mortem ipsam properabat; videtur sententiam confirmare meam S. August. in Psal. 95. hæc scribens: *Filius Dei pro nobis mortuus est: securus esto accepturum vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius.* Liceat nunc Christiane Lector ex hac doctrina Augustini sequelam, nostro proposito accommodam formare: nempe certius non dari signum amoris divini in corde Christiani latentis, quàm frequentem Dominicæ Passionis memoriam; si enim hæc Passio Augustinô teste *pignus est æternæ vitæ*, olim in cœlo obtinendæ, erit hêrcle etiam certissimum pignus amoris divini (qui est prægustus vitæ æternæ) in corde Christiani latentis.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 7. & 8. lib. Levit. in quibus describitur lex Hostiæ pro delicto, pœna comedentis ore pollutô de Hostiis Pacificorum, lex de Adipe & sanguine. Aaronis solemnis consecratio & filiorum ejus.

Considera 1. SI Deus cum tanta munditie Altari ministrari voluerit, in quo sola offerebantur *animalia, farina, incensum &c.* *N.* 128.

quantam puritatem exigat ab illis, qui assistunt Altari, aut de eo participant, in quo Deus ipse immolatur, & sumitur; & hinc quantam mereantur pœnam, qui debitâ carent puritate? *Heu!* exclamat mellifluus Doctor apud Broymardum Lit. E. cap. 6. *quàm temerarium, quamque nefarium est, cruentis manibûs tractare Virginis filium! quæ mens non raperetur in excessum, ubi mundi pretium mittitur in sterquilinium? non est minûs detestabile in os pollutum, quàm in lutum mittere Virginis Filium.* Alii peccatores transgrediendô Præcepta Dei se ipsos inquinant, sacrilegè autem tractantes corpus Domini, non solùm se ipsos conspurcant, sed etiam ipsum Salvatorem maculare videntur. Quare Paulus Palad. in Matthæum scribens asserere non veretur; aptiorem Deo locum esse ipsum Infernum, si culpæ non essent, quàm domum peccatoris; in Inferno enim Deum existere ut Dominum & vindicem peccatorum; in peccatoris autem pectore detineri ut malefactorem, horrendis affligendum pœnis juxta illud Matthæi 29. *Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Quantam ergo pœnam in suum provocant caput, qui adeò enormiter Christum tractant? anima polluta comedens de carnibus Hostiæ Pacificorum, quæ constabat, ut dixi ex bestiis oblatis, perire debuit versu 20. cit. capitis, quale ergo supplicium debetur illis, qui corpus Agni immaculati, tollentis peccatum mundi, immundâ conscientiâ sumere præsumpserint? Apostolus 1. Corinth. 11. Indignè communicantem ait, judicium sibi manducare, & bibere. In quæ verba ait Chrysost. *judicium sibi manducat*, id est: *damnationem.* Sed videtur hæc ipsa sententia nonnihil obscura; quis enim unquam audivit: sceleris cujusdam reum latam contra se sententiam manducâsse? aut illi à Judice, dum damnatur ad supplicium, sterni mensam? inferri dapes? parari potum? in verbis Apostoli latere magnum Mysterium observat celeberrimus ille concionator Segneri Hom. Christ. p. 3. d. 10. Velle inquit Apostolum dicere: quòd homo peccatô mortalî infectus, dum manducet divinas carnes, sibi ipsam manducet damnationem: quia sicut cibus in stomachum transmissus, paulatim per omnes corporis partes se distribuat, in easque qualitates suas sive bonas sive malas derivet, quæ vix ullâ ratione, aut vî ab illis separari queant, sic illam sententiam, quàm per modum nutrimenti Sacrilegi isti devoratores deglutiant, per omnes sensus distribui, omnesque animæ potentias attactu suô & pestilentî contagione inficere; ita ut semper magis magisque talem per infectionem vindictæ divinæ reserven-

serventur. Hoc ipsum evidenti exemplô demonstravit Judas. Hic licèt priusquàm maledictô ore sumpsisset sacratum Domini sui corpus, diabolicæ potestati suberat, utpote furem jam tunc professus; nec tamen adeò plenè ac pacificè fuit ab illo possessus, quàm cum sacrilegîs faucibûs communicare ausus est. *Post buccellam introivit in eum Sathanas*, Joan. 13. Sed Judæ exemplo addamus aliud multò recentiùs, quod à variis authoribus fusiùs descriptum, ego sic breviter narro: vixerat Cordubæ vir familiæ illustris, capitales cum alio fovens inimicitias. Is lethalî morbô affectus cùm absolutionem à confessario obtinere non posset, nî coram testibus publicis cum inimico rediret in gratiam, consensit, fictôque actu rogavit veniam, & injuriam remisit vocato ad se adversario. Dein sacrô refectus pabulô oculos in mortem clausit. Nocte autem, corporis sepulturam sequentî, duo Ephebi pulsant fores collegii Cordubensis, vocant ad se confessarium defuncti, face prælucente illum deducunt ad sepulturam, & per apertam Templi portam deductum, jubent ex Tabernaculo, ad quod reserandum ei clavem dederant, deferre ciborium ad sepulchrum defuncti. Quô ut pervenêre, narrant confessario sacrilegam communionem ea de causa factam, quòd fictè tantùm in gratiam redierit cum inimico. Monstrant proin in patulo ore cadaveris Hostiam, quam sibi in judicium manducaverat, quamque ociùs acceptam confessarius in ciborio recondit. Tum pede terram pulsant Ephebi, & corpus subitò absorbetur à terra, inter stygios tumulandum rogos. His peractis confessarius reducitur ad Collegium ab Ephebis, qui deindè videri desiêre. P. Gabriel de Viega.

Considera 2. Deum voluisse: ut sacra confecturi aut sumpturi, non tantùm puritate internâ niteant, sed ut niteant etiam externâ: hinc Moyses Aaronem filiosque ejus non priùs induit sacrîs vestibûs, quàm eos ad extra laviſſet. c. 8. v. 9. Duabus in partibus signum Dilectionis suæ imponi sibi petit sponsus, in corde videlicèt & in brachio, asserens Cantic. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Non videbatur ipsi sufficere affectio interna, nisi probata signîs exterioribûs. Laudatur Proverb. 31. provida mater familias non inde solùm, quòd confecerit linum, sed quòd etiam de conficienda lana, exteriori videlicet mundo vestitu & cultu se monstrârit solicitam. Non satis erat, Thren. 1. gemebundæ Ecclesiæ plorâsse simpliciter, sed teste Prophetâ dicitur plorans plorâsse, & lacrymæ *N.* 129.

crymæ in maxillis ejus. Ut juxta Paschasium: compunctionem perfectam interiùs, & affluentiam lacrymarum demonstraret exteriùs, quatenùs non minùs exterior quàm interior homo ad integrum reformatus abluatur. Audi hæc Christiane Lector, qui forsan blandiris tibi de interna animi puritate, per contritionem & confessionem obtenta, non sollicitus de reddendis bonis injustè partis, de malis occasionibus fugiendis, de exsequendis actu externo propositis &c. quæ videantur ad externam puritatem requiri. Ne tamen considerandô, quàm exacta requiratur mundities, tam in quàm externa, inutilî diffidentiâ ab Altari divino removearis: hinc videtur Deus non absque speciali Mysterio in sacra victima homini *pectusculum*, confidentiæ symbolum, cedere: Sicut etiam Israëlitæ paschalem agnum sumpturi jubebantur baculos in manibus tenere, quibus inniterentur. Si ergo feceris, quantum in te est: interiora mundandô per veram contritionem, confessionem & efficax propositum, extrinsecîs actibûs deserendô peccandi occasiones, & alia media, à confessario tibi præscripta applicandô, tunc tolle *pectusculum* confidentiæ, *elevans illud coram Domino*, v. 29. cit. capitis & audacter accede: si quid in te residuæ erit maculæ, depurgabit illud ignis gratiæ, qui *egredietur à Domino* super Pectus tuum.

FASCICULUS XXI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 10. & 11. lib. Levitici, in queîs describitur Interitus Nadab & Abiu, lex abstinentiæ à vino. Lex de mundis vel immundis animalibus.

N. 130. *Considera* 1. QUòd licèt quodvis peccatum grave nos reddat divinô sacrificiô & mensâ indignos: omnibus tamen aliis peccatum luxuriæ hoc in passu præponderet;

deret; hinc filii Aaron *Nadab* & *Abiu* ausi in suis thuribulis offerre alienum Ignem, impuri amoris symbolum, igne divinô consumpti sunt v. 1. capitis cit. consonat proposito nostro Dyonis. Carthus. exclamans: *Væ! alienum ignem imponis, & offers: dum rationi tuæ carnalis dominatur affectio, dum aliquid turpiter amas, dum concupiscentiarum fervore exæstuas! talis homo igne divinæ Justitiæ meretur absumi.* Mulier quædam teste S. Cyprianô Serm. de lapsis impuro dedita amori; cùm aliquando indignas manus admoveret pixidi, in qua sacrum Domini corpus fuerat repositum, à prosiliente igne deterrita, recedere ociùs est coacta. Quid putas vindictæ sensisset: si sacrilegô ore tantum thesaurum excipere, & in pollutum fœdâ libidine stomachum transmittere ausa fuisset? *cùm in Sacramento uniri debeamus Christo*, ait S. Algerus lib. 1. Alt. Sacr. c. 21. *Hinc nihil sic adversatur Passioni, ut voluptas, nihil munditiei, ut fœditas, nihil sic ejus unioni, ut fornicariæ societatis unitas.* Quanta illius vasculi debet esse deformitas, cujus perdendi gratiâ etiam pretiosissimus liquor in eo contentus cum ipso abjicitur in mare, vel in ignem? pretiosius liquor est utique imago Dei, secundùm quàm formatus est homo: ea tamen cum in obscœno olìm reperiretur homine, unâ cum ipso fuit abjecta in illud mare spatiosum diluvii, rursumque in Sodomiticos ignes atque incendium. Quanta deformitas hujus sit vitii monstrat ipse deformissimus Dæmon, qui Asmodæum repræsentaturus S. Antonio apparuit in specie horridi & nigri pueri, quô visô audiebatur Antonius dicere; se imposterùm cum multô magìs contempturum, ex quo ejus fœditatem agnovisset. S. August. deformitatem luxuriæ descripturus, comparat huic vitio addictos homines porcis illis, quos integra Legio Dæmonum permittente Christô Marci 5. occupâsse dicitur: verba cit. Doctoris sunt in Epist. Joan. Tract. 6. *Ut ostenderet, Diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt.* Porcus nullô magìs, quàm lutô & stercore delectatur, terram perpetuô fodens, cœlum nunquam aspicit. Haud secus homo luxuriæ deditus cœno suarum voluptatum immergitur, & nil nisi carnem sapiens, cœli penitùs obliviscitur: amat scelerum fœtorem, ventrique serviens, Deum nullatenùs curat. Quare sacræ Paginæ ejusmodi peccatores humanô nomine indignos, nonnisi *carnem* vocant, ut legere est Geneseos 6. dicente Deô: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Quid? quòd ipsi Dæmones cum horrore tales aspiciant homines testatur *Cantipratanus lib. 2. apum c. 39.* referens: exstitisse quandam fœminam,

minam, quæ suæ libidini vacatura; cùm secreto se abderet locô, vidit ambigua in luce Cacodæmonem, qui impuritatem illam stomachatus exclamavit *Vah! Pfui!* semianimem deinde relinquens disparuit. At reponet quispiam, fœdissimo huic vitio deditus juvenis: si Dæmoni bilem movent impuri actus, cur ergò ad exercendos eos adeò inflammat nostra pectora, membra irritat, & pellicit? cur tot tentationibûs me totâ die nocteque impetit? edicito turpissimè blatero: nunquid Venatores non abhorrent fœtentia mortuorum hominum cadavera? & tamen illa effodiunt, effossa manibus tractant, in certa ordinant loca, ut Hyænas, quas sciunt, horum cadaverum avidissimas esse, in casses agant. Nunquid illi non nauseant excrementa corporis humani? & tamen cùm constet: Pantheras hôc turpissimô pabulô libentissimè vesci, ea illicii gratiâ per retia disponunt? hinc venatores illud ipsum, quod naturali aliàs inclinatione summè horrent, & detestantur, amore lucri videntur quærere, & amare. Haud secus Cacodæmones, qui in libidinosis fœdissimam carnalium voluptatum cupiditatem tanquam naturæ angelicæ & spirituali summè contrariam aversantur, eandem amant tanquam idoneam ad deprædandas hominum animas, & æternis ignibûs vexandas. Verùm parva dixissem de maxima turpitudine hujus vitii, nisi dicerem probaremque insuper: non Dæmones, tanquam naturâ suos puros spiritus, illud abhorrere, sed etiam ipsas bestias illud detestari, patique in hominibus non posse. Legatur *Triumphus castitatis die 4. cap. 7.* hanc narrans historiam: adierat vir quidam suæ pertæsus conjugis turpe prostibulum, cumque expletâ libidine domum reversurus scanderet equum, tantis ille agitari furiis jactarique cœpit, ut ex ephippiô pulsus in terram caderet sessor, eô corporis habitu, alterô pede equi frænô irretitus implexusque adhæresceret. Quô tam misere irretitô equus præcipiti cursu huc illucque per viam lapidibûs stratam volans, caput miseri tantô impetu ad saxa illidit, ut cerebrum ex apertis vulneribus prosiliret. Nec priùs constitisse visus est, donec ad desertum prostibuli locum rediens, ante ipsius fores mortui deponeret cadaver. Exemplum aliud confirmationis causâ addam priori, quod P. Anton. de Balinghen in Zoopæd. refert: contigisse scribens Romæ imperante Titô, ut elephas nutricii sui uxorem cum adultero Veneri litantem deprehenderet. Tam enorme nefas castum animal non ferre valens, peracutis suis dentibûs ambos confodit, occisis deinde stragulâ

veste

veste contectis exspectabat adventum nutricii, quô visô ocius rejecit stragulam, monstrans turpissima in lecto adulterorum cadavera. Hæc exempla intuens Christiane Lector poterisne ultrà pati, ut fœdissimus ille Veneris ignis in thuribulo cordis & corporis tui ardeat?

Cùm autem ad nutriendum illum fovendumque nullum magis deserviat vitium Ebrietate; hinc immoderatum vini usum ante omnia fuge, tibi dictum imperatumque putans, quod Deus v. 8. citatis cap. filiis Aaron de servanda à vino abstinentia imperat. Teste Tertull. lib. de Spectac. c. 3. *Duo ista Dæmonia conspirata, conjurataque sunt, ebrietatis & Libidinis.* Joannes Apocal. 17. Vidit mulierem habentem poculum aureum in manu sua, quæ non facibûs, non jaculîs non lascivîs nutibûs, non turpî vestitu, sed solô vinô corrupit Regna, illa in suos amplexus trahens: & cùm mergendis Ægyptiis totô mari rubrô opus fuerit, in unico tamen hoc poculo Nationes omnium gentium naufragatæ sunt. Ebrietas ad Libidinem traxit, decepit & stravit, quem tota Sodoma non corruperat. Planè sicut in præcipiti stantem etiam levis impulsus impellit, & agit præcipitem: ita hominem vino immoderatè deditum etiam levis parvaque tentatio ad lapsum perducit. Acquiesce ergo Apostoli verbîs, fugiendô vinum, in quo est luxuria. *N.* 131.

Considera 2. Te in præcedentibus Doctrinis jam pluriès de fugienda mala societate sedulò admonitum, illos præ cæteris fugere debere homines, qui sequentium animalium, pro immundis à Deo (ut profitetur hîc sacra scriptura) malas proprietates moribûs suis exprimunt. Vitare ergo oportet illos, qui instar *Mustellæ*, fraudulenter rapientis, sunt dolosi: aut instar *Muris* semper corrodentis, ad detractiones sunt proni; aut instar *Chamalæontis*, quod animal dicitur à vento vivere, sunt superbi aut vanæ gloriæ cupidi: aut instar Talpæ, super terra semper habitantis, sunt avari: aut instar *lacertæ*, fœtentia sepulchra incolentis, sunt lascivi. Cumque omnis peccator se gerat instar *animalis reptilis*: hinc omnis Deo est abominabilis v. 41. cap. citati, de quo Propheta regius canit Psal. 43. *Conglutinatus est in terra venter eorum.* Quis autem vult esse socius illius, cujus aspectum Deus ferre nequit, nî malit pariter Deo exosus abominabilisque esse? *N.* 132.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 12. 13. & 14. lib. Levit. in quibus describitur Lex de puerperæ immunditia & Purificatione. De Lepræ indiciis & ejusdem expiandæ sacrificiis.

N. 133. *Considera* 1. PArtus nostros esse peccata nostra, à quibus purificandi debemus per quadraginta dies, per tempus videlicet agendæ quadragesimæ deputatum, nos recludere in Domo Pœnitentiæ, atque oblato *Turture* gemebundi pectoris nos reddere capaces, ut aliquando ingredi mereamur Templum cœleste. Thais Alexandrina tot olim filiorum pessimorum, peccatorum videlicèt fæcunda mater, ut digna redderetur hoc Templô, non tantùm per quadraginta dies, sed per integros tres annos à S. Paphnutio cellæ arctissimæ inclusa, & modicô pane refecta permansit, in hæc verba crebrô gemitu erumpens: *Qui plasmâsti me, miserere mei!* Rodriq. p. 1. tract. 5. c. 21. Pelagia famosa illa meretrix, in gignendis vitiis pariter fæcundissima, postquam à Novo Episcopo Heliopolitano conversa, suas agnovit spurcitias & contractas labes, non trienniô tantùm, sed integrâ vitâ summæ studuit Pœnitentiæ. Sed quid inde aliud, qûàm animæ munditiem assecutæ sunt mulieres istæ, aliàs turpissimîs maculîs affectæ, propter quas ab æternæ gloriæ Templo fuissent excluſæ, nunquam à stygiis undis satìs depurgandæ? Vis: fusiùs non nihil tibi Pœnitentiæ quadragesimalis effectus, ad animæ tuæ munditiem concurrentes, describam? morem petitis habebo tuis. Ne tamen in describendîs illîs mora fiat protractior, dicam primo, ambagibûs tacitîs: peccata, licèt pondere suô gravissima, & numerô penè infinita, ociùs extingui, ut nihil maculæ de illis remaneat. Hoc Michæas profitetur c. 7. dicens: *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Quàm parùm autem lapidem molarem, in profundissimum mare projectum, cernes naturalî ordine emergere: tam parum peccata, per veram pœnitentiam in sanguine Christi mersa, dabitur vel in minima sui parte emergere; quin imò perspicacissimum Dei oculum, qui intimos solet aliàs scrutari rerum omnium recessus, prorsus effugiunt. Hinc nunquam Christus dicitur post resurrectionem suam Patro objecisse, quòd ab eo negatus sit. Dicam secundô: pulcherrimam illam gratiæ primæ stolam, quâ ad Patrem redux filius prodigus indutus resplenduit,

per

per pœnitentiam quadragesimalem restitui: restitutis pariter bonis operibus & meritis, per statum peccati mortificatis, additò jure ad coronam gloriæ priùs promeritam. Renovat enim spirituale conjugium Deus cum anima, atque perinde eidem velut sponsæ reddit Monilia, quibus antea eam exornaverat. Luculentò testimoniò hæc dicta comprobat ipse Deus, per Oseam loquens cap. 2. Ubi ait: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus & rubigo & eruca. Non enim sicut in sensibilibus rebus*, ait S. Chrysost. homil. 6. in Genes. *Ita & hîc usuvenit, qui ex divitiis in extremam redactus fuerat paupertatem, brevi eas recuperare nequit: hîc autem per Misericordiam Dei (si modò condemnare facta nostra, & jam sistere ignaviam voluerimus) poterimus statim ad pristinam abundantiam redire.* Confregit Moyses Tabulas legis, quando iratus sceleri Judæorum projecit eas de manu, & allisit ad petram Exod 32. Sed en Misericordem Dominum! præcipit paulò pòst, præcideret novas Tabulas, quibus iteratò inscriberet verba legis. Frangit Tabulas Decalogi peccatrix anima, quando etiam unam legem sub gravi culpa obligantem transgreditur Jacobô teste, qui inquit c. 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Sed quamprimùm peccator resipiscit per pœnitentiam, novas iteram acquirit, quibus eadem verba, easdem videlicet inscribat gratias, quas possederat ante: quinimò majores, ut constat exemplô S. Petri, qui peccato perfidiæ, per pœnitentiæ lacrymas delectô, sanctior surrexit, *& ad soliditatem suam rediit Petra*, asserit S. Leo Serm. 9. de pass. *Tantam inde recipiens fortitudinem, ut quod in Passione Salvatoris expavit, in suo pòst supplicio non timeret.* Regius Propheta, qui ante lepsum in via mandatorum Dei quandoque cespitaverat, resurgens adeò colligit vires suas, ut instar cervi hanc viam percurreret testatus Psal. 17. *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum &c.* Dicam tertio: per pœnitentiam acquiri tranquillam conscientiam & animi serenitatem, quam peccata instar muris rodentia abstulerant. Testem hujus se offert Sophar in lib. Job c. 11. dicens: *Si iniquitatem, quæ est in manu abstuleris à te, & non manserit in Tabernaculo tuo injustitia: tunc levare poteris faciem tuum, & eris stabilis, & non timebis.* Ut nautæ quamprimùm portum attigerint, nihil jam horridæ tempestatis timentes quiescunt securi, licèt interim tumidum mare ad cœlos usque jactet procellas: ita peccator, ut vix recurrerit ad pœnitentiam, quidquid antea horroris, quidquid timoris, quid-

quid inquietudinis in corde senserat, unicô quasi momentô perdit, placidissima perfrui valens animi pace. Et hi sunt præcipui veræ Pœnitentiæ fructus, qui si tibi stimulo non sint ad pœnitendum: adeò immunditiis peccatorum tuorum debes esse immersus, ut videaris quasi *leprâ vetustissimâ* & *inolitâ* affectus v. 11. cap. 13. Hinc segregaberis à consortio fidelium, æternûm habitaturus *extra castra* electorum.

N.134. *Considera* 2. Cùm Deus cit. capitis v. 6. jubeat: ut sacerdos primùm post septem dies contempletur lepram, certum de ea laturus judicium: hinc te Christiane hortari, ut non præceps sis in ferendis judiciis de alieni peccati lepra. *Si enim Dominus*, ait Oleastur, *non sinit statim sacerdotem suum lepram, quàm oculis eam cernit, discernere, quomodo te permittet, de cordis malitia proximum tuum judicare?* Quamdiu lepra obscura est: *h. e.* quamdiu de peccato proximi certum nil constat, sed dubium supereſt, gradiendum est eâ viâ, quæ ad meliorem judicii inclinat partem. Regius vates cantat de Deo Psal. 7. Quòd sit *scrutans corda & renes.* Quid quæso Deo opus est, ad cognoscendas veritates scrutari hæc Membra: cùm nihil unquam sit, quod lynceos ejus oculos effugiat? Verùm hæc ipsa tam exacta, & (si fas est ita loqui) scrupulosa inquisitio nostram arguit malitiam, vî cujus ad sinistra judicia tam proni reprerimur, antequam veritatem rerum perscrutemur. Sic olim vix Assuerus viderat Aman corruisse super lectulum Reginæ, illicò judicium tulit erroneum; illum vim inferre molitum: cùm tamen aliud non intenderit quàm fundere pro salute sua preces. Esther. 7. Vidit Heli sacerdos Annam labia moventem, non audiens orantem, & illicò sententiam tulit 1. Reg. 1. Mulierem hanc vino nimiùm indulsisse, ex quo contraxerit crapulam; cùm tamen sobrietatis studiosissima nil aliud, quàm fervidas preces in Templo persolverit. Viderunt Melitenses viperam adhærere manui Pauli, & præcipitî judiciò decepti eum homicidii damnarunt; hanc verò bestiam cum illæsus excuteret de manu, exclamârunt: Deum esse Paulum Act. 28. Vidit S. Henricus Imp. per triduum egredi è thalamo Cunegundis Conjugis suæ aliquem, speciem militis indutum: Quare illam de adultero suspectam habere cæpit; sed delusum se à Dæmone, militis speciem mentiente, deprehendit. Taceo falsissimum illud sacrilegumque judicium, quod Matth. 9. tulêre de Christo Judæi, hîs verbîs descriptum ab Evangelista: *Ecce! quidam de scribis dixerunt intra se: hic*

hic blasphemat. Taceo plura alia de ipso parî errore lata, qui tamen divinâ Sanctitate præditus, se verisimè jactare poterat: *Quis me arguet de peccato?* habent hoc temerarii Judices, ut quô ipso laborant vitiô, hoc in aliis culpant: & hinc venereis dediti amoribus, si alios vident invenes familiariùs colloqui puellis, jam incontinentiæ eos arguunt. Qui usuris & furtis inhiat, neminem putat, justô titulô possidere bona. Qui Bacchi mancipium est, nullius sobrietatem laudat. Qui plura? certissimum illud effatum est Eccles. c. 10. dicentis: *In via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Ut enim palato, à malis humoribus corrupto, cibi optimi videntur pessimi, ita vitiis addicti homines alios de talibus arguunt, etsi indicia contrarium suadentia cernant, imitantes Asinum, qui cum absurdissimæ sit vocis, judicaverat cuculum longè suavius cantare, quàm Philomelam. Quare *ad te ipsum potiùs oculos reflecte*, admonet nos Christianos aureus liber. Deprehendemus non dubia tantùm, sed certa, de quibus feramus judicium *Lepræ*, ad quam purgandam accedàmus sacerdotem, ut confessione peractâ recedamus purgati. Christus Dominus correcturus prava Judæorum judicia, dicitur scripsisse in terra illorum defectus & errores, quibûs inspectis quasi elingues facti se ejus conspectui subduxêre. Alexander M. cum audîsset à Dionide Pirata, quòd multò majorem prædonem ipsô ageret, non ausus capitalem in eum ferre sententiam, liberum dimisit. Marulus lib. 5. c. 12. de Moyse Abbate refert, quòd è deserto vocatus ad ferendam sententiam contra fratrem delinquentem, comparuerit, saccum arenâ plenum portans, & rogatus: *Quid portaret?* responso dederit: peccata defero, quæ vix ferre valeo, nedum aliena judicare. Cùm porrò scripturâ teste versu 36. cap. citati sacerdos non priùs admissus sit ad Domum, ut judicium ferret de lepra, antequam elata fuissent universa de Domo illa: hinc conclude: neminem, etsi nullius ipse sceleris conscius sit, de lepra alterius peccati Judicem posse agere, nisi priùs omnis passio erga personam illam fuerit expulsa. Saul pessimè de Davide senserat: Jonathas optimè. Uterque passione regebatur, ille odii, iste amoris. Laudatur tamen posterior, quia videtur existisse ordinatus amor, & limites honestatis non egressus; quod tamen rarissimè apud alios dabitur invenire. Ego autem ne limites usitatæ hactenùs brevitatis egrediar, doctrinæ huic finem impono.

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 15. & 16. lib. Levit. in quibus describitur Lex de vitando seminisluo & expiatione ejus, sacrificium arietis, vituli & duorum hircorum.

N.135. *Considera* 1. QUàm solicitè Deus cap. 15. præcipiat tanquam immundos declinare eos, qui fluxum seminis fuissent passi: per tales enim moraliter loquendô Rupertô teste lib. 2. in Levit. c. 28. intelliguntur detractores. *Quid enim aliud*, ait ille, *est fluxum seminis & sanguinis pati, nisi detractoriis fluere verbis?* sicut Scarabæus immundum illud animal nullum bonum sustinet odorem, sed mero in stercore suum figit domicilium; ita detractores aliorum spurcitiis, quas in ore circumferunt, delectântur. Et sicut prôci amœnissimum hortum, floribûs consitum ingressi, flores intactos relinquunt, fimo tantum aut alteri lutulentæ immersi, in ea volutant, aut stercora suffodiunt: ita detractorum mos est, in homine non virtutes & facta laudes digna, sed fœdos defectus ac scelera propalare. Non mirandum sanè: Mariam sororem Moysis fratri suo detrahere ausam, locô pœnæ fœdissimam contraxisse lepram: debebatur sanè spurcissimo ori tam turpis macula. S. Ephrem hanc pœnam delicto accommodam contemplatus asserit Tom. 1. *Ex deterrima Mariæ Prophetissæ lepra docemur, quàm grave & detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod leprâ infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ.* Ipsi etiam Barbari turpitudinem hujus vitii tam exosam, & humano tam indignos commerciô habuêre detractores, ut illos teste Tympiô in specul-mag. urbibus expulerint, providè agentes: nam quid aliud est detractor, ut advertit S. Greg. M. lib. 14. Moral. Quam pestis quædam Reipublicæ, ac velut canis rabidus in civitate, qui passim nocere omnibus studet, eamque bestiam esse putat glossa, quæ describitur Danielis 7. hîs verbîs: *Terribilis, mirabilis & fortis nimis, dentes habens ferreos & cornua decem, comedens & comminuens & reliqua pedibûs suis conculcans.* Glossæ adstipulatur sapiens. Eccles. 9. *Dicens: terribilis est in civitate sua vir linguosus.* Linguosus quis alius nisi detractor? utpote solâ linguâ nocens, sicut aper dentibûs, accipiter unguibûs. Sin autem canes rabidos & ejusmodi bestias pernitiosas nulla patitur communitas, sed eos ferrô & jaculîs insequitur, aut expellendos, aut penitùs necandos; cur fas non sit Magistratui, severissimè animadvetere

vertere in detractores, ejusmodi bestiis plus damni inferentes. Quare regius vates quâ verbô, quâ exemplô Præsides hortatur, Psal. de se testatus: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Proverbium est: eò, quô Diabolus non penetrat, mittit servos suos. Appropinquabant ad Christum peccatores, quos paternô affectu exceperat Lucæ 15. Quis huic misericordiæ potuisset indignari? quis eam carpere? si ægri ad medicum, cœci ad lucem, perditi ad asylum confugiant. Non poterat ipse Dæmon huic facto labem inurere, non poterat taxare illud. Quid agit ergo? servos suos, detractionibus asuetos ablegat Pharisæos, qui fœdissimas protrahunt linguas, in hæc scommata effusi: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* q. d. cernite hunc, vos simplicitate vestrâ deceptæ turbæ; quàm falsô sibi arroget nomen Messiæ, in lege nobis promissi. Si veritate nititur verissimum illud vatis nostri regii effatum: *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris.* Quis nisi mente captus sanctitatem aliquam in eo quærat, qui tot publicanorum consortiô delectatur? quis castum deprædicet, qui meretrices sequitur? quis justitiæ tenacem credat, qui telonarios protegit, ex turpi quæstu infames? videre hîc mihi videor aquilam cum aviculis mansuetè considentem, ut prædam illis dividat; altera verò ex parte corniculam ei insultantem, quæ cùm propiùs accedere, nec officere ei possit, detrahere saltem illi suaque loquacitate & volatu eam lacessere assolet, ut asserit *Pierius Lib. 19. hierogl.* Aquila Christus est, qui salutem suam sitientes aviculas gratiosè recîpit, ut prædam doctrinæ suæ cœlestis dividat eis, quâ refecti non sitiant in æternum: Sed hem! corniculæ Pharisæi advolant subornati à Diabolo, qui Aquilam hanc aggredi non ausus, id saltem negotii illis relinquit, ut feriant linguâ, cui ille nec etiam à longè nocere poterat. Meritò igitur Christus contra eos intonat Joan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio.* Fama autem *est vita civilis?* inquit Gerson. Quid cogitas Christiane hæc legens verba? nunquid & tu Dæmonem, aut Dominum tuum, aut patrem vis venerari, profitendô detractionibûs tuîs servitutem ejus? aut eas cupis bestias imitari, quas ob damna, Communitati integræ timenda, ferrô igneque persequi solemus? aut saltem eorum hominum esse de numero, quos tanquam immundissimos fugere oportet? eia age: tantarum aliquando sordium pertæsus, exclama cum Davide Psal. 140. *Pone Domine custodiam ori*

meo, & ostium circumstantiæ labiis meis &c. Cùm autem imperante Deô homo à fluxu seminis (*moraliter à detractione*) mundandus, debuerit per plures dies exspectare: Sic à vitio hoc purgandus non tantùm unâ die, sed pluribûs, imò totâ vitâ ob criminis fœditatem, & damna inde proximo illata, persistas in pœnitentia, utens aquâ lacrymarum, & offerens juxta præceptum Dei versu 29. cit. capitis 15. *Duos turtures* aut *duos pullos columbarum*, quæ aves sicut cibos in guttur transmissos revocant, ita tu verba, quibûs aliorum famam læsisti, revoces; *Non enim remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Augustinô teste.

N.136. *Considera* 2. Hominem Christianum debere in se ipso exhibere magnum illud expiationis sacrificium, de quo agitur cap. 16. Offerebatur in illo *Aries, Vitulus* & *Hirci.* Per arietem, qui Ductorem gregis agit, denotatur anima Rectrix, Ductrixque Potentiarum. Hæc ergò soli Deo consecranda est: Holocaustum enim erat illa sacrificii species, de qua vetitum erat quidquam retinere in alios usus, utpote totum Honori divino consecrandum. Per *vitulum* jugo subditum intelliguntur *potentiæ animæ*, quarum prima intellectus. Hic dedicandus est Deo per contemplationem rerum cœlestium: Voluntas verò per charitatem, & memoria per gratitudinem pro acceptis à Deo beneficiis. *Hirci* indicant *appetitum sensibilem* & *ipsum corpus*, quòd etsi debeat rigidâ mortificatione coërceri; ita tamen discretè tractari debet, ut instar *Hirci emissarii* integrum perduret, sufficiensque sit ferendis laboribus & statui congruis officiis.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 17. 18. & 19. lib. Levit. in quibus describitur oblatio adipis & effusio sanguinis in omni victima. Lex prohibens omnes luxuriæ species. Congeries Legum Cœremonialium, Judicialium & Moralium.

N.137, *Considera* 1. DEum hîc in omni sacrificio præcepisse sibi offerre *adipem* & *sanguinem:* cùm tamen Vates regius eum ita loquentem inducat Psal. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Verùm facile est huic dubio satisfacere, si cogitemus: Sanguinem esse sedem animi, adeoque Deum petendô in sacrificiis sanguinem, moraliter loquendô, non petiisse aliud, quàm animum: nempè in omni virtuoso actu puram intentionem instar san-

sanguinis effundendam. *Adipem* quod attinet rectè ad propositum nostrum asserit Hæsichius in lib. 1. Levit. *Quia adipem in æternum præcepit Domino offerri, manifestum est: quia consecrari Deo nostrum desiderium vult. In æternum autem hoc; ne ad Deum illud, & ad mundum dividamus.* Sponsus cœlestis sponsæ suæ sacrificia visurus Cant. 2. exlamat: *Ostende mihi faciem tuam:* hanc enim si cerneret deformem, hoc est, purâ intentione sibi soli placendi privatam, jam non amaret amplius ut sponsam, sed repudiaret ut adulteram. Salvator noster cum muliere Samaritana circa novæ legis Dogmata discurrens, hanc inter alias utilissimam ei proponit Doctrinam dicens: *Venit hora, & nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorant eum. Spiritus Deus est, & qui adorant eum, in Spiritu & veritate eos oportet adorare.* Quæ verba divini Magistri expendens Cajetanus inquit: *Hinc habes erudite Lector: quòd exterior Cultus non propter se ipsum est gratus Deo, sed pro quanto ordinatur ad interiora, quæ sint in spiritu & veritate, hoc est corde interno.* Sicut Salmandra tam nocivum dicitur circumferre venenum, ut radicem arboris tantummodò contingens, omnem ejus fructum corrumpat, & perimat: ita intentionis malæ, vel saltem non puræ minima portio, optimis operibus externis admixta, omnem eorum virtutem valoremque aufert. Quare totus in eo Diabolus occupatur: ut cùm opera bona Christianorum impedire non valeat, intentionem saltem pervertat, gerens se instar Erodii, qui avibus se aquæ immergentibus advolans, tamdiu eorum capita morsibûs premit, donec prædam eis extorqueat. Ita extorsit prædam Episcopo Sardicensi, qui licèt videretur in orationibus publicis assiduus, in jejunio servando sedulus, in eleemosinis largus: quia tamen his bonis actibus externis aberat bona puraque intentio placendi Deo, hinc audire debuit Apocal. 3. *Non invenio opera tua plena coram Deo meo.* Imitabantur ergo hæc opera arbores illas, quæ juxta mare mortuum natæ fructus quidem ad speciem elegantissimos proferunt, poma, pyra, persica: sed hæc vix attacta in cineres resolvuntur. Pharisæum, qui Templum Christo testante ascenderat, ut oraret, etiam infectatus est infernalis Erodius tam felicî successu, ut eum penitùs spoliaret: adeò ut nec illum ex jejunio Sabbathino, nec ex Decimis tam fideliter datis ei relinqueret meritum. Pulcherrimè Vates regius opera talium hominum, qui ea peragunt, bonâ intentione destituta, comparat *fœno* tectorum, quod constat nullius esse pretii, nullique aptum usui, sed arescere,

re, & perire sinitur. Quare Psal. 128. canit: *Fiant sicut fœnum, quod priusquàm evellatur exaruit, de quo non implevit manum suam qui metit &c.* Examina ergò opera tua Christiane Lector, visurus: quanti illa valeant coram Deo, qui eorundem pretium ex bona intentione taxat? multum oras, crebrô jejunas, frequens es in Templo, non parcus in eleemosinis; sed forsan hæc agendô structionem imitaris, qui licèt bona, & quidem cum labore & dolore pariat ova, tamen rariùs pullos ex illis assequitur: eò quòd ova in lucem à se edita derelinquat in terra, obviorum pedibus expositа, à quibus facilè franguntur.

N.138. *Considera* 2. Quanta notetur differentia inter Synagogæ & Ecclesiæ Catholicæ leges. Multiplices enim & duræ exstitêre leges Hebræis olim præscriptæ: adeò sanè multiplices & duræ, ut meritò *grave onus* nominentur. Cùm econtra Lex Evangelica dicatur *Jugum suave & onus leve.* Juxta S Bernardi Doctrinam Serm. 30. in Cant. Lex antiqua denotabatur per graves manus Moysis, quas nisi adjuvante utrinque *Aaron* & *Hur* diutiùs ad orandum elevare non poterat: & hinc sine speciali gratia Dei non videbatur impletu possibilis, sed Rupertô teste l. 3. Trinit. cap. 20. *Lex, ut impleretur, sustentatore indigebat Christo, Hure Spiritu Sancto.* ô quantam ferebat difficultatem in cibis, in sacrificiis, in cœremoniis observandis, quas pœnas delinquentibus dictabat, gravissimas quandoque etiam pro delictis levibus? erat pariter lex plena timoris, quasi non lata pro filiis, sed pro servis despoticè subjectis, prout testatur Apostolus Galat. 4. Ubi legem antiquam comparat jugo servitutis & ancillæ Agar. Econtra præter hactenùs jam dicta de lenitate & suavitate legis novæ constat: illam esse legem filiorum, asserente Apostolô Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptationis filiorum Dei.* Sin autem Hebræi in observandis adeò copiosis gravibusque Præceptis & legibus fuerant tam seduli: quomodò nos Christianos confundunt, qui tam frequentî transgressione peccamus in leges, tam suaves & impletu faciles, & onus tam leve adeò leviter excutimus? nonne in extremo Judicio suarum legum etiamnùm hodiè tam tenaces Judæi, æternùm tamen reprobati, adversùm nos insurgent, dicturi Deo Judici: Nos portavimus diei pondus & æstûs, & deteriores facies Christianîs, quibus unô die in vinea Christi sudare jugum videbatur importabile? nonnè Christus ipse Judæorum querelis suas quoque conjunget, dicens illud Jeremiæ c. 4. *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei*

pecca-

peccato Sodomorum. Aut illud Ezech. c. 5. *Contempsit judicia mea, ut plus esset impia, quàm gentes.* At dices forsan Christiane Lector: te subinde tantùm legem transgredi, & in unô vel alterô offendere, servatis cæterîs. Verùm quis nescit: hanc legem esse coronæ instar regiæ, cui si unus dematur radius, jam ex integro censetur violata? aut esse simillimam tunicæ Christi inconsutili, quæ dissuta nulli videbatur servire usui. Qui unicô tantùm palmô ab aqua superatur, æquè suffocatur, & mergitur, ac ille, qui decem superatur cubitîs: sic offendens in uno fit omnium reus. Auscultа tantisper verbis Judæi illius adolescentis, qui hanc Christo quæstionem movit Matth. 19. *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* cui Christus: *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Et hem reponit illicô adolescens: *omnia hæc custodivi à juventute.* Quid? adolescens tot divitiîs abundans, tot peccandi occasionibûs expositus testari potest: se omnibus mandatis, nullô videlicet exceptô, à primo ætatis flore morem gessisse, mandatis (ut memini) tam gravibus, tam copiosis? & tu Christiane, homo adultæ ætatis, in cœtu tot piorum hominum vivens, tot exemplîs ad sequelam Christi instigatus, legi tam paucos articulos continenti, tam suavi & facili non ex integro satisfaciat? metuendum sanè, ne tibi transgressiones istas parum æstimanti obtingat aliquando, quod obtigit Comitissæ illi, de qua in scala cœli & specul. exempl. dist. 9. exempl. 149. sequens narratur tragica Historia: Matrona quædam pietate celebris, cùm assiduîs precibus intenta, erudiri peteret à Deo, quid potissimùm detestaretur in fœminis? rapta ad spectandas Inferni pœnas vidit ibidem Comitissam, sibi olim notissimam, horrenda patientem tormenta, & audivit hæc verba loquentem: *Væ mihi misera! fui casta corpore, fui semper abstinens, feci multas eleemosinas & alia charitatis & pietatis Christianæ opera: & solummodò propter ornatum mei corporis nimium, & studium me comandi & ornandi fui justè condemnata; siquidem eô ornatu scandaloso multis fui causa & ruina peccati, provocandô eos ad concupiscentiam mei, & scandalizandô etiam servos Dei sanctos & castos.* Intellexit ex his dictis Matrona: quid potissimùm aversetur in fœminis Deus, tu autem inde intelligas: quanti interfit ad salutem, legem implere totam.

FASCICULUS XXII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 20. 21. & 22. lib. Levitici, in quibus describitur pœna mortis lata in illicitè coëuntes & aliorum scelerum reos. Lex de victimarum contactu & esu.

N.139. *Considera* 1. LUxuriam non tantùm mortem æternam, cæteris omnibus peccatis in pœna communem, sed etiam temporalem promereri, ut docet caput 20. mox citatum, in quo imperante Deô damnantur ad mortem corpoream homines, qui carnalia ibidem annotata perpetrâssent vitia. Si porrò nec Judices forent, qui capitales hasce sententias in ejusmodi delinquentes ferrent; nec essent lictores, qui eas exsequerentur; ipsa crimina nocentes plecterent morte. Communis Medicorum opinio est, nihil ita immaturam & præproperam mortem accelerare, ac immoderatus Veneris usus, ut refert Guarinonius apud Hippol. lib. 5. c. 62. Panthera, quam superiùs breviter memini, excrementîs humani corporis tanquam illiciîs capi, Plinio teste lib. 8. c. 27. eorundem tam avida est, ut altiùs in vase suspensa attingere si nequeat, tamdiu saltibûs petat, donec decidens exspiret. Quid objectum luxuriæ nisi excrementa? quæ dum obscœni insano appetunt amore & ardore, se ipsos viribûs exhauriunt, & immaturâ nece perimunt. Etsi castissima illa mulier Susanna, ad carnale commercium à senibus instigata, si eorum petito annuisset, nunquam ab illis fuisset ad mortem quæsita, & tanto periculo exposita: attamen verissimè conquesta est Danielis 13. *Si hoc egero, mors mihi est.* Innuens, sibi certò constare: ipsam luxuriam esse mortalissimam mortem. Quare etiam Poëtæ Venerem nominant *Libitinam*: eò quòd illa præsit feretris & sepulchris mortuorum. *Qui voluptatibus indulgent*, ait S. Laurent. Just. lib. 6. divin. Institut. de vero Cultu. *Ii animam suam corpori mancipant, morteque contemnant, quia se corpori addixerunt, in quod habet mors potestatem.* Finxerant Antiqui: Cupidinem & mortem eodem in hospitio divertisse, ex quo

quo egressæ inter se commutârint sagittas & spicula : Cupidinem ergo cùm vellet juvenes amore inflammare , eos protinùs occidisse lethalibûs telîs, unde non malè cecinit quidam : *Hinc juvenes occidit amor fallente pharetrâ.* Videtur ipse regius Vates huc respexisse , cum Psal. 77. cantavit : *Juvenes eorum comedit ignis..* Ignis ille, quem flammea Veneris tela accendunt. Luxoriosus quidam Presbiter, ut narratur specul. exempl. dist. 1. Cùm sacrilegas Nuptias celebrare attentâsset, semen simul & animam effudit. Et Lubecensis quidam juvenis, cùm matrem suam irreverentiùs tractâsset, suæ libidini meliorî modô vacaturus, cum scorto è domo fugiens, se ipsum cultrô interemit, consumptîs antea omnibûs pecuniîs. Sicut vipera in maris complexu ei ad collum hærens, caput morsu abscindit, ipsamque postea parturientem fœtus lacerant, sic luxuria Ælianô teste lib. 2. amatoribus necem interitumque affert. Quis (si lubet antiquissima in memoriam revocare exempla) præmaturam Ammoni intulit mortem, nisi luxuria, quâ instigante propriæ sorori vim inferens, violentâ nece per fratrem è medio sublatus est? quid perdidit Regem Ninum, nisi turpis amor? habebat is concubinam Semiramidem, quàm adeò insanè deperibat, ut se ei in servum traderet. Nil tam grandis pretii erat, quod ab ipso petere pellex non auderet. Quare eò insolentiæ devenit, ut Imperium, unâ saltem die tenendum, sibi a Rege concedi postularet. Nec mora, aderat consensus. Jubentur subditi omnes, Reginæ ut obediant, qui secus fecerint, plectantur morte. Præstitutô ad imperandum die regali ornatu induta mulier, stipata militibus, solium conscendit. Animos ut tentaret virorum, primò leviusculas res, dein graviores imperat, ac demum ipsum Regem sibi adduci, adductum vinciri, vinctum verò occidi mandat, quô pactô Regnum obtinuit, & stabilivit. *Sabellicus apud Majol. tom. 3. coll. 2.* Si ergo Christiane Lector mortem times, fuge luxuriam.

Considera 2. Si Deus personas suo cultui specialiter deputatas no- *N.* 140.
luerit propiùs accedere corpora mortuorum, ne ex illorum contractu immunditias contrahant: quomodò potiùs ab illis velit fugi corpora vivorum disparis sexûs, quæ respectu mortuorum sunt instar carbonis vivi comparati cum extincto, per contractas immunditias ipsam mortem, ut mox dicta docent, inferentes. Job devotissimus Dei servus Diabolum ipsum, quô fœdius nihil, sibi appropinquantem cernens, non fugit, sed stetit instar Leonis, viribus suis confisus:

Virgi-

Virgine autem vix conspectâ nullatenùs exspectandum sibi esse credidit: *Censebat* nempè teste S. Chrysost. Serm. de Job. *in prælio contra Dæmones virili audacique animô opus esse, continentiæ autem præparatione victoriam concedi non ex Virginum consuetudine, sed secessu.* Apocalypseos 12. Describitur certamen mulierem inter & Draconem institutum. Vis nosse: ex qua parte steterit victoria? aut quid egerit mulier, ut Draconem immane illud monstrum vinceret? lege versum sextum: *Et fugit mulier.* Testatur Petrus Dam. l. 2. Epist. 18. in quodam orientis monte reperiri lapides igniferos, qui *masculus* & *fœmina* nominantur: hos à se procul distantes nequaquam accendi; at vix fœminâ masculo appropinquante, ignes ex utroque egredi, qui omnia circa montem posita exurant. ô Christiane Sacerdos, aut Religiose! si saxa, quorum aliàs natura magis frigora, quam calores fovet, ex consortio disparis sexûs adeò inflammantur, quales in te surgent libidinis faces, qui carne, calores utique magis, quàm frigora amante, circumdatus es? putasne munditiem animæ servare te posse illæsam illa in societate, quam viri vix ossibus hærentes, & calore ferè penitùs destituti non crediderant se servaturos? si ergo immunditiem times, fuge consortia disparis sexûs, præsertim illa, quæ fiunt remotis arbitris.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 23. 24. & 25. lib. Levit. in quibus describitur Sabbathi Cultus, Paschatis & Festi Primitiarum. Pœna Blasphemantium, & Talionis. Reditus ad Possessiones tempore Jubilæi.

N.141. *Considera* 1. QUòd Deus præcipiens, ut ab omni opere desistant Israëlitæ die Sabbathi, minimè credendus sit: voluisse fieri otium in virtutis studio. Quare expressis jubet verbis, ut cessetur illâ die ab omni opere servili, quatenùs homines nanciscantur copiam, se exercendi in operibus spiritualibus. Nullum hêrcle aliud motivum exstitit inimicis Populi hebraici Sabbatha ejus ridendi Thren. 7. quàm quòd inerti otiõ, manu videlicet non solùm ab opere servili, sed etiam à spirituali cessante, illud tempus transegerit, & miraberis haud dubiè Christiane: quòd Christus hytropicum die Sabbathi curaturus, quæstionem hanc moveat Judæis: *si licet Sabbathô curare?* nunquid enim ipsa Dei sapientia, disponens omnia à fine usque

ad

ad finem, instructione indiget ? nunquid Legislator æternus non sit Legisperitior omnibûs Legisperitîs ? adhæc quis dubitet : licere diebûs festîs opem miseris ferre, cùm sit opus Deo gratum moraliterque bonum ? & tamen in sua quæstione perstat divina sapientia Christus Dominus. Et quod mirandum magis Lucæ 6. quæstionem illam his proponit verbîs : *Si licet Sabbathô benefacere, an malè ? animam salvam facere, an perdere ?* inexspectata sanè quæstio, sed nequaquam inanis : sicut enim perfida Judæorum turba eò nequitiæ devenerat, ut illicitum clamaret, sanare ægrum in Sabbatho, ita reperire est hoc tempore Christianos tam perversi judicii homines, qui piis vix copiam dent, sacris exercitiis die festô insistendi : cùm tamen probè nôrint : istos dies hunc solùm in finem institutos esse, prout Innocentius I. Pontifex Epist. 1. ad Decentium c. 7. admonet, dicens : *nisi tantùm hymnîs & psalmîs & canticîs spiritualibûs dies illa transigatur.* Atque hunc fuisse primorum Christianorum laudabilissimum morem luculenter probant tot antiqua SS. PP. Decreta, asserente etiam S. Gregoriô M. in Epist. ad quendam apud Joan. Diac. l. 4. vitæ c. 51. *Dominicô die à laboribus cessandum est, atque omnimodò orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis precibûs expietur.* Hac de causa referantur summô mane Templorum portæ, pulsantur campanæ, incenduntur luminaria, celebrantur Missæ, cantantur officia, animantur organa. Sed proh dolor ! *Viæ Sion lugent* Thren. 1. *eò quòd non sit, qui veniat ad solemnitatem.* Non enim veniunt ad solemnitatem, qui veniunt ad Templum, ut ibi fabulis vacent, novellas legant, animô sint in choro, mente in foro. Non veniunt ad solemnitatem, qui veniunt ad sacras ædes, ut pascant oculos puellarum comptarum aspectu, aures recreent rarâ musicâ, aut pretiosô vestitu suô aliorum oculos in se provocent. Non veniunt ad solemnitatem, qui venientes ad Templa etsi multum orent, attentè conciones audiant, sacris magnâ reverentiâ intersint, Sacramenta frequentent ; id tamen eâ intentione non faciunt, ut Deo pro acceptis beneficiis grates rependant, pro novis supplicent, sed ut devotione suâ sint hominibus admirationi, eorumque laudem lucri locô reportent. Non veniunt ad solemnitatem, qui veniunt ad Templum cum conscientia, gravibûs peccatîs sauciata : talium enim preces, ut alibi à me dicta probant, divinam potiùs iram, quam clementiam merentur. Si Hieronymus tantæ sanctitatis vir de sua fatetur persona ad Vigilantium scribens : *Quando iratus fuero, & aliquid mali*

in anima mea cogitavero, & me nocturnum Phantasma deluserit, Basilicas Martyrum intrare non audeo: ita totus & corpore & animô contremisco. Quomodo igitur Christianus cum certo ingrediatur peccato? non veniunt denique ad solemnitatem, qui pectus ad Templum deferunt, odiô & vindicandi decretô plenum, ut clarissimè demonstrant Christi verba, quibus à sacris Altaribus arcet homines, inimicitias foventes, jubetque priùs reconciliari, antequam munus offerant. Vide sis Christiane Lector: an non ratione tui quoque viæ Sion lugeant, eò quòd non venias debitô ad solemnitatem modô. Sed inversô prorsùs ordine divinis obtemperes mandatis, quæ in citato legis capite? offers enim diebûs festîs *agnos* & *panes* sed non tales, quos Deus ibidem ad sui cultum & gratam beneficiorum memoriam exigit, sed qui gulæ illecebris deserviant. Resonant apud te Tubæ & alia Musices instrumenta, non ut iisdem laudetur Deus, sed ut pedes in saltus animentur. Celebras *Phase*, id est *transitum*, sed de vitio in vitium, de uno in aliud scelus abiens. Erigis *umbracula*, in quibus non Deo, sed Baccho & Veneri sacrifices. Si teste S. Scriptura cap. 24. lapidibûs obrui debuit filius mulieris, ausus blasphemias effundere semel (quod fortè ex præcipiti iracundiæ calore contigit) quid tecum fiet, qui tam frequenter & præmeditatè ob intemperantiam potûs tot blasphemias, tot juramenta, tot imprecationes evomis illâ ipsâ die, quæ ad solius Dei laudem ordinata est? si tam severis verbîs v. 45. cap. 25. Deus tibi præcipit charitatem proximo impendi, dicens: *ne affligas eum.* Quomodo audes; diebûs festîs in aliorum consortio ejus famam denigrare, in publico eum probris impetere, in lusu defraudare, in contractu decipere? Christus Dominus, ut doceret: nullâ magìs die charitati proximi studendum, quàm feriatâ; quinque homines legitur in Sabbatho curâsse, nempe *Hytropicum*, *mulierem* inclinatam, *hominem* manum aridam habentem, *cœcum* natum, & *languentem* ad piscinam. Tu verò Christiane nunquam magìs contra charitatem proximo debitam pecces, quàm die Sabbatho? quid respondebis illi, quando veniet in illo totius mundi Sabbatho, rationem à te exacturus talium factorum?

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex reſiduis capitibus hujus libri, in quibus deſcribitur Præceptum prohibens Idola confici. Minæ intentatæ transgreſſoribus legis. Redemptio Decimarum &c.

Conſidera: HOmines avaritiæ deditos è diametro divinis repugnare Præceptis, utpote qui aurea & argentea Idola erigunt, à ſe adoranda, ut probant clariſſima Apoſtoli verba 5. Epheſ. dicentis: *Avarus, quod eſt Idolorum ſervitus,* in quæ S. Chryſoſt. ait; *deficit à Deo avarus, quemadmodum Simulachrorum Cultor.* Olim Diabolus ſe in lignis, in ſaxis, aut aliis materiis, ex quibus confecta fuerant Idola, adorari voluit; modò autem teſte S. Bernardô in auro & argento adorari petit etiam à Chriſtianis. Quæris: cur populus Hebræus tam clarâ veri Dei notitiâ imbutus, eò venerit dementiæ, ut vitulo inſenſibili aliquam divinitatem ineſſe crediderit? reſpondet ingenioſè Rupertus lib. 4. annot. c. 9. *Aureus erat ille vitulus, & inde facile perſuaderi poterat populo, quòd eſſet Deus. Quare? quia mentes eorum obtinuerat ſpiritus avaritiæ &c.* Avariſſimus ille æterni theſauri venditor Judas, poſtquam pœnitentiâ ductus retulit acceptas pecunias, non projecit eas in ſterquilineum, aut alium locum profanum, ſed in ipſum Templum, ut brevi moriturus oſtenderet, quanti pecunias æſtimârit in vita, nullô videlicet aliô locô dignas, niſi ipſô Templo, cor hominis præfigurante, in quo eas Idoli inſtar adoraverat. Lamentabatur olim Deus apud Oſeam contra Judæos: *Argentum dedi eis, quæ fecerunt Baal.* q. d. Experti ſunt liberalitatem meam, accipiendô argentum à me donô datum. At ô perfidos ingratosque homines! argentô hoc in ſummam mei injuriam abuſi ſunt dum ſtimulante avaritiâ fluxam hanc materiam Idoli locô coluerunt. Utinam non pares querelas contra plurimos Chriſtianorum etiamnùm hodiè cogeretur effundere Deus! quot ſunt proh pudor! qui erga divitias ſuas haud aliter ſeſe gerunt, quàm devotus aliquis Sacerdos ſe gerit erga Deum: Iſte rebus divinis quâ augendis quâ conſervandis totus incumbit; Illi pecuniis ſuis quâ pariter augendis, quâ conſervandis à ſummo manè uſque ad ſeram noctem allaborant. Iſte pro gloria Dei ad loca ſacra peregrinationes inſtituit; Illi ad venandum aurum, ad obtinendum argentum varios *N.* 142.

mercatus longîs itineribûs frequentant. Ille divino se consecrans cultui omnium terrenarum rerum oblivionem animô inducit, ut solius semper recordetur Dei: Isti insatiabilî cupiditate stimulati, ut nihil aliud in animo nisi lucra tractent, Deum legemque ejus, & quidquid tandem æterna bona sapit, è sua expellunt memoria. Quis tales non dixerit Idololatras? Christiane Lector scrutare pectus tuum: an non etiam sedem præstet huic Idolo? cur enim tam avidè inhias lucris? cur tantâ curâ augendô studes thesauro? cur erga pauperes tam parcus, erga debitores tam rigidus es? malè metuo: ne si ad extrema vitæ tuæ ventum fuerit, & metu æternitatis tremendæ adactus, redire velis ad Deum, à quo per avaritiam receſſeras, experturus sis maledictiones, impiis versu 30. capitis 26. intentatas, dicente ibidem Deô: *Destruam excelsa vestra, cadetis in ruinam Idolorum vestrorum &c* Quare dum adhuc vacat: Ejice Deos alienos avaritiæ videlicet simulachra de medio pectoris tui. Fac tibi amicos de Mammona iniquitatis. *Decimam* saltem *partem* bonorum fortunæ divinis consecra obsequiis, id exigente Deô capite ultimô hujus libri. Sicut homo (ut pulcherrimè discurrit Thomas Morus) qui in hortum eâ lege esset admissus, ut intra illum pomîs pro libitu quidem vesceretur, nullum tamen exiens secum ferret: Is haud dubiè aliqua interdum poma extra projiceret, quæ post suum foret collecturus exitum; ita cùm nos Christiani, in hunc mundum admissi, nil simus nobiscum exportaturi de divitiis ibidem obtentis, meritò per sacras oblationes & largiores eleemosinas in hac vita factas, præmittere debemus opera bona, quæ nobis, mortalem vitam egressis, deserviant in æterna. Et nunquid stolidissimum se probaret ille, qui carceri arctissimo inclusus, pecuniis ad se redimendum paratis parceret, ut liberos & hæredes illîs ditaret. Haud secus stultissimum dixeris illum, qui amicis aut prolibus suis divitem hæreditatem relicturus, animam suam æterno carceri includendam, non vult per oblatas eleemosinas in tuto ponere,

(o)

FASCI-

FASCICULUS XXIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. lib. Numeri, in quo describitur mandatum de numerando Populo, & Tabernaculo ab exteris non propè accedendô.

Considera 1. DEum præcipiendô numerari filios Israël, parvô forsan temporis intervallô abinde jam numeratos indicâsse: quantî æstimet homines, & quantum de eorundem salute sit sollicitus, ne vel unicus eorum jacturam patiatur animæ suæ. Gerit ergo se instar avari, qui pecuniarum sitî stimulatus eas frequenter supputat, visurus: an nihil ex illis perdiderit? *ô amici mei!* ajebat olim Christus apud B. Brigittam lib. 1. c. 59. *diligo oves istas, ut si possibile esset, adhuc mori propter quamlibet speciali morte, qualem in Cruce pro omnibus passus sum, magis eas redimerem, quam eis carerem.* Mysterium ad nostrum propositum accommodô non caret, quòd Lucæ 1. dicatur: Jesum Virgineæ Matris Filium, in domo Jacob, non verò in domo Abraham, Isaac aut David regnaturum. Ut enim Jacob pro dilectissima Rachele formam servi induit, diu noctuque frigore & æstu per multos annos cruciatus: ita Christus amore animæ humanæ mille ærumnas, mille labores sustulit. Videbantur illi cum Jacobo pauci dies præ amoris magnitudine Genes. 20. quia levia & brevia æstimaverat cum illo, quæ ei Pater æternus imposuit perferenda. Et licèt omnia in mensura, numero & pondere disposuerit Deus; sine numero tamen, mensura & pondere per Filium suum hominem amavit: atque hinc Lucæ 9. dicebant *Excessum ejus*, certè non de alio Excessu locuti, quàm de Excessu amoris. Hunc Excessum contemplatus noster Blosius in Paradiso ani. c. 2. ait: *Comprehendi non potest, quantâ charitate, quàm paternis visceribus ubique nostram salutem ipse desideret, ac procuret. Nulla unquam Mater tam tenerè dilexit filium uteri sui, quàm tenerè ille nos diligit. Fasciculus stuparum in ingentem ignem missus, non ita repentè incenditur, quàm repentè Deus peccatis nostris propter ineffabilem pietatem & misericordiam ignoscit, dum verè nos pœnitet vitæ malè actæ. Ita tibi intendit Deus, ut tui curam jugiter habeat, quasi tu solus in toto Orbe terrarum viveres.* Hinc *N.* 143.

Christus Lucæ 15. pulcherrimam illam proponit Parabolam de Pastore, qui nonaginta novem ovibûs relictîs in deserto vadit ad illam, quæ perierat, donec inventam restituat gregi, & de quo alio nisi de seipso ibidem fuerat locutus, utpote qui tot Angelorum sibi servientium agmina deserens, unius hominis, in Adamo perditi, amore descendit de cœlo. Atque sicut fidelis pastor ovem, quæ perierat, à se inventam non percutit, non affligit, sed fatigatam in humeros assumit, reportaturus ad caulam, ita gessisse se Christum erga genus humanum testatur Ambros. in c. 15. de se & toto hominum cœtu loquens: *Humeri Christi Crucis brachia sunt: illic peccata mea deposui, in illa Patibuli nobilis cervice requievi.* Id ipsum jam olim præsagiebat Isaias c. 40. dicens: *Sicut Pastor gregem pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portavit.* Et si amantissimi optimique Pastoris officium est: non solùm curas, vigilias, labores quærendique studium impendere ovibus, sed ipsam vitam pro earum salute prodigere; quis unquam partibus hisce magis satisfecit Christo, qui cernens iratum suo gregi æternum Patrem exclamavit cum Davide: *Vertatur obsecro manus tua contra me?* Quid agis ô Christiane Lector? quomodo tantum compensas amorem? an cum Petro testari poteris: *Tu scis Domine, quia amo te?* si hoc responsum veritate nititur, testaberis pariter cum Petro: *& animam meam pono pro te.* Nam verus amor teste S. Bonav. Serm. 2. de plur. confess. facit pœnas contemnere, & ipsam appetere mortem. Imò facit mortem quasi non sentiri, simillimus Mardragoræ, cujus cortex in vino decoctus bibentem ad omnes dolores reddit insensibilem. At quàm longè abest cor tuum Christiane à tali amore, quem reciprocum à te exigit Pastor bonus, tam dura amore tui passus, dum vel modicus capitis dolor, vel membrorum debilitas, vel stomachi languor impatientem te reddunt: ut nihil dicam de illa impatientia, quâ aliorum probra, cachinnos & schomata excipis.

N. 144. *Considera* 2. Si Deus teste S. Scripturâ hujus cap. v. 11. tantam reverentiam voluit exhiberi Tabernaculo suo, ut morte affici jusserit Exteros, propiùs tantùm accedere ausos: quid eventurum sit illis, qui Templa, sacratissimi sui *Corporis* & *Sanguinis* præsentiâ summè condecorata, profanîs actibûs violare præsumpserint? constat de Christo: quòd omnis generis injurias passus, neque verbô eas ultus sit: injuriam verò Templo illatam propriâ manu vindicârit acriter, indicans: se nullîs peccatîs, licèt ex se gravissimis, ad iracundiam provocari posse,

posse, quàm actibûs Templum indecentibus, etsi ex se non graviter peccaminosîs. Rationem hujus causamque submministrat. S. Joan. c. 1. quia scriptum est: *Zelus domûs tuæ comedit me.* q. d. Christum aliàs mansuetissimum, adeò à Zelo absorptum immutasse naturam suam, ut è Salvatore clementissimo transierit in vindicem rigidissimum. Hinc ait S. Hieron. in cap. 21. Matth. *Igneum enim quiddam (quod zelus comedens indicat) atque Sydereum radiebat ex oculis ejus, & Divinitatis Majestas lucebat in facie*, est namque tanta vis Zelotypiæ, ut illa instigatus vir propriâ manu interimat adulteram, qui alienâ punit servos; imò Reges ipsos carnificum officiô fungi impellit. Ne ergo Christiane Lector ultricem Christi Judicis manum experiri cogaris, id age in Templo, quod agendum tibi præscribam paucîs verbîs. Primum est summa modestia, vî cujus omnis sensuum evagatio cohibenda, & omnis arcenda levitas. Hujus te admonent ipsi cœlestes spiritus, quos Ezechiel c. 1. vidit, se alîs tegentes, quasi præ nimia reverentia non ausos rectà figere obtutum in divinam Majestatem. Hujus te pariter admonet ipse Christus, qui Marci 11. *Non sinebat, ut quispiam transferret vas per Templum.* Et quomodo tollerâsset dissolutos gestus, vagos oculos, scandolosos vestitus? Alterum, quod in Templo opprimè observes, est silentium. Ad hoc præsentes omnes hortatur Sacerdos celebrans, Christique vices agens, dum altâ voce intonat: *Sursum corda.* Respondente Ministrô & Populô: *Habemus ad Dominum*, in quæ verba S. Chrysost. Hom. 38. in c. 10. ait: *Quid facis homo? non promisisti Sacerdoti, qui dixit: sursùm mentem & corda; & dixisti: habemus ad Dominum? non reveris, & erubescis? dum illâ ipsâ horâ mendax inveneris.* Causam subnectens pergit inferiùs: *In opera sæcularia, & in ridicula, & in conventicula insumis?* horam, quâ vacandum sacris in Templo. De exactissimo silentio Ministrorum veteris Testamenti testatur Aristæus in lib. de 70 Interpret: quòd etsi illorum numerus se extenderit ad viros septingentos, qui libamina obtulerint, tam altum tamen strictumque silentium observatum esse, *ut nec unum quidem hominem in loco versari putes.* De ipsis Ethnicis scribit Seneca in lib. de vita beata: durantibûs sacrificiis imperatum & immaculatum ipsis fuisse *favete linguis.* Quâ voce omnium linguis indicebatur silentium: quod adeò rigorosè sibi servandum crediderat puerulus quidam barbarus Alexandrô sacrificante portans lumen, ut aduri sibi libentiùs pateretur brachium, quàm dolorem gemitu aut clamore prodere. Taceo: ipsa etiam bruta animalia, ut Ambrosius

brosius de ranis, à sacerdote sacrîs durantibûs silere jussîs, refert lib. 3. de Virg. Silentii tenacissima fuisse. Modestiâ ergò & silentiô in Templis strenuò à te observatîs, sacrificia precum tuarum, quæ aliunde jam nôsti, maximâ devotione in locis sacris esse peragenda, adeò divinis placebunt oculis & auribus, ut recipiendus aliquando sis ad æterna Tabernacula, & ipsa Sancta Sanctorum ingressurus.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. & 3. lib. Numeri, in quibus describitur Ordo Castrorum. Moysis Populo præsidere nolentis excusatio. Familia Aaron, Officium Levitarum, Petitio Primogenitorum omnium.

N.145. *Considera* 1. QUomodò Moyses ad summum regni fastigium à Deo vocatus, jam prægnoscens, quantîs curîs & laboribûs abundent Dignitates exclamârit v. 11. cit. capitis: *Obsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantîs afficiar malis.* Purpura roseum præsefert colorem: rosa autem, quæ florum regina dicitur, Diadema & Regiam designat coronam; hæc sanè instar rosæ pungentibûs curarum & molestiarum spinîs circumcincta est. Unde benè cecinit Poeta Italus: *Eheu! purpuræ spinas suas habent.* De Adriano IV. inter purpuratos Patres Romanæ Ecclesiæ Principe legitur: illum dicere solitum: sedem pontificiam quaquàversum acutissimîs rigere spinîs, quæ humeros quantumvis generosos & fortes rumpere, & dilacerare valeant. De alio Adriano hujus nominis VI. refert Platina, illum sepulchrali lapidi hæc verba insculpi voluisse: *Adrianus VI. hîc situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quòd imperavit, duxit.* Licèt Aman primus staret in Aula regia, summo felicitatis terrenæ thesaurô ditatus: auditus tamen est conqueri: *cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro, Mardochæum Judæum sedentem ad fores regios.* Rex Salomon dignitate, opibûs & ipsius regni tranquillitate cunctis superior. Voluit Thronum suum sustentari à leonibus, quas bestias cùm constet apertîs oculis somnum capere: hinc docuit: Magnates omnes quantacunque dignitate, potentiâ, opibûs & quiete videantur pollere, oculos tamen à curis & laboribus liberos nunquam claudere posse. Meritò igitur exclamat S. Bernardus Serm. 12. in Cant. *Si labores pensamus, non affectamus.* Si daretur nobis copia, quærendi ex tot Romanis Impe-

Imperatoribus, quos ceù Deos universus adorabat orbis, quid refrigerii, quid quietis, quid solitæ voluptatis sua senserint in dignitate? responderent haud dubiè unanimi voce: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Sapient. 5. An non enim difficile: continuò stimulari ab ambitione, quæ nunquam saturatur? torqueri ab æmulatione, quæ semper irritat? ab adulatione excæcari, quæ semper defraudat? quis non lassetur à tam frequentî timore possessa perdendi, à tanta resolutionum ambiguitate, diffidentia consiliorum, mediorum defectu? ignis, quò altitudine magìs superat cætera elementa, eò inquietior est: ita homines, quô dignitate alios magìs antecellunt, eò magìs continuâ inquietudine cruciantur. Cur ergo ô Christiane! tanta aviditate ambis honores & dignitates? quid stolidè credis: illos homines habere sibi propitium faventemque Deum, qui ad magna evehuntur officia, dum illi tantîs abundant curîs & laboribûs in hoc sæculo, & in summo adhuc versantur periculo æternæ damnationis? quid enim ruinæ adeò vicinum, quàm quod est summum? unde nam audiuntur illæ quærulæ voces Sapientiæ 5. v. 8. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* nisi ex Tartaro? *talia dixerunt in Inferno &c.* illis planè obtigit, quod obtigit Israëlitis immoderatè carnes esurientibus. v. 13. cap. cit. Hi coturnicibûs abundè refecti sensêre illicò furorem Dei cantante Psalmistâ: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impetivit.* Utinam non etiam parî pœnâ saturetur fames tua, quam erga honores & dignitates inordinatam habes!

Considera 2. Deum gloriari in eo, quòd in maximum populi beneficium Primogenitos Ægyptiorum percusserit. Qua de causa jubet in signum gratæ mentis sibi offerri omne primogenitum cap. 3. v. 13. Per Primogenitos autem Ægyptiorum à Deo necatos, rectè in sensu morali intelliguntur primi motus suggestionis & tentationis diabolicæ, quos si homo divinâ gratiâ adjutus extinxerit, audiet cantantem de se Prophetam Psal. 136. *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram*, in quæ verba ait S. Augustinus: *Beati, qui nascentes cupiditates, antequam robur accipiant, allidunt, sic enim facilius vincuntur.* Ad pernicio sum tartarei serpentis virus extinguendum utebatur Deus hôc mediô Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem & semen tuum & semen illius.* En! non exspectaturus maturum serpentis fructum, ipsum se- *N.146.*

men vult habere suffocatum, & generosa illa mulier Siſaram necatura, & de tam pernicioso triumphatura Tyranno quæsivit in capite, non in collo, non in ventre aut alio membro locum: ita tentationis caput exordiumque vincere oportet, ne si illa per diuturniorem morem in illa devenerit membra, reddatur difficilior, vel nulla victoria. In vitis PP. legitur: Dæmonem in lasciva specie Pachomio apparentem, acriter ab eo objurgatum esse, cur tot fraudibûs & technîs hominum saluti insidiaretur? cui ille reposuit: hominum inertiâ contingere, eos tam frequenter fraudibûs Dæmonum superari; eò quòd primæ suggestioni non animosè & generosè reluctentur, hoc enim si fieret, Dæmones confusi ociùs recedere cogerentur. Adhortor ergò te Christiane Lector verbîs S. Augustini in Psal. 103. scribentis: *Caput serpentis observa &c. hoc quod venit in mentem caput serpentis est. Caput calca, & evades cæteros motus.* Fateor: impossibile quidem esse, ut vivas in hoc sæculo, & non vivat in te fomes malarum cogitationum: & beatus vives, si exorientes & enascentes nisus fueris suffocare instar scintillulæ eas extinguendô, quod utique factu possibile, quin imò facile pulchrâ similitudine declarat S. Chrysost. l. cont. concub. Finge: ægrotum aliquem, noxium quid comedendi appetitum vincere semel, damnum is, quod inde sibi imminebat, effugit, & citiùs à morbo sanatur: at si parvæ illi voluptatulæ satisfacturus, damnosam illam escam sumit, morbô ingravescente ex eo vel demoritur, vel nonnisi ægerrimè convalescit; quod utrumque effugere haud dubiè potuisset, si initio modicum in gula & appetitu noxiorum refrenando laborem suscepisset. Similî modô, si cui mala cogitatio aut desiderium oculos incautè conjiciendi surrepat, & is in principio sibi vim inferens vincat, vel visum refrenandô, vel malam cogitationem à se moliendô, ab omni tentatione & importunitate inde subnasci solita, nec non ab ipso damno, quod per consensum illi datum incurreret, se penitùs præstabit liberum. Verùm si sub initium vim sibi inferre neglexerit, ob hanc ipsam desidiam, vel ob modicam, quam ex incauto aspectu cepit voluptatulam animæ mortem incurret, aut gravissimam in resistendô sentiet difficultatem: adeò, ut quod in principio parvo vel nihilo ipsi constitisset, magno ei & caro postmodum redimendum sit. Concludit inde Pater illud ipsum, quod olim concluserat Ovidius cantans: *Principiis obsta, serò medicina paratur, cùm mala per longas invaluere moras.* Ea est Dæmonis astutia, ut modicum

petat

petat ab initio: cùm nôrit à modico statim progredi posse. Flammulam petit, sat gnarus: ab hac nasci posse ingens incendium. Capillum petit, ajebat S. Franciscus, at hunc si obtinet, mox ex crine funem efficit, & nauticum quidem quô ingens oneraria navis ad littus trahitur, & alligatur. Sed absit ô Christiane, ut versutissimo nebuloni etiam crinem concedas, quem utique facile denegabis.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 4. & 5. lib. Numeri, in quibus describitur Ritus purgandi Altaris per cineres, pœna illorum, qui res in sanctuario contentas curiosô oculô fuerint intuiti. Lex zelotipiæ, Nazaræorum consecratio.

Considera 1. QUòd sicut quotidiana docet experientia, nos ad expurganda à sordibus vasa cineribus uti: ita pariter Deus ad mundanda à vitiorum sordibus corda, quæ juxta alibi dicta sunt *Altaria* & *Vasa Dei*, voluerit cineres adhiberi *citati cap. v.* 13. Frequentem videlicet mortis memoriam. Atque hinc S. Mater Ecclesia fideles suos ad devotum Pascha instar Altaris mundissimi, in quo recipiatur Agnus absque macula, præparatura, cineres capitibus primô die Quadragesimæ imponit, dicens: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Josias ille Regum sanctissimus, Idololatriam, quæ in suam irrepserat gentem, extirpaturus, per circuitum Altarium, falsis Diis sacratorum, ossa & cineres sparsit: *dispersit*, inquit S. Textus 4. Reg 23. *cinerem eorum.* v. 13. *replevitque loca eorum ossibus mortuorum.* v. 14. Quô factum: eâ pietate & zelô Judæos celebrâsse Pascha, quâ retroactîs sæculîs nunquam celebrâsse visi sunt. Naaman Syrus regius Minister, postquam veri Dei notitiam hausit ab Elisæo, à quo fuerat à lepra liberatus, quid egit: ut in accepta Religione constans persisteret, falsis Diis nunquam imposterùm sacra facturus? En! *tulit partem terræ illius &c.* Ita se gerat quilibet Christianus, cùm transit aliquod Cœmeterium, aufferat per manum memoriæ bonam partem terræ illius, cogitans: parentes, amicos, socios jam in pulverem reversos, qui ibidem exspectent ejus corpus, sibi pariter aliquando in hac terra fociandum: fiet inde, ut in incepta pietate & Religione constans semper sit perstiturus, vel si pietate caruerit, illam haud dubiè sit brevî obtenturus. Quin imò si tam profundè in vitiorum suorum stercore *N.* 147.

submersus fuerit, ut quodcunque aliud conversionis suæ respuerit remedium, adeoque ad omnes inspirationes Dei sit surdus, ad omnia sui Angeli monita insensatus, pedibus conculcet leges sacras & profanas, dorsum vertat Ecclesiæ, in qua vivit, Christiano nomini, per actus suos renuntiet, ita habituatus in peccatis, ut in publicum prodire nesciat sine scandalo, tractare negotia non valeat sine injustitia, obtutum non figere sine lascivia, non ingredi Templum sine sacrilegio, non sine intemperantia mensæ accumbere, non sine detractione loqui de aliis, non movere pedem, nisi aberret à via mandatorum Dei: ejusmodi desperato homini unicum superesse remedium mortis memoriam aperte contestantur sacræ paginæ Jobi 21. v. 32. *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit.* Evigilabit inquam ad hanc tacitam mortis loquelam, qui inter sonoros tot admonentium clamores altum dormiebat. Evigilabit, qui ad S. Scripturæ tonitrua, ad tragicorum exemplorum horrenda fulgura non fuerat expergefactus. Quis ad tot saluberrima vivi Samuelis monita, ad tot ejus terriculamenta fuerat tam insensibilis, quàm Saul? sed ut vix ab illo audiit 1. Reg. 28. *Cras tu & filii tui mecum eritis.* Ociùs *cecidit porrectus in terram.* Quis non dixerit: altum dormiisse illam in sacris Canticis depictam animam, quæ ad tam frequentes quâ molles quâ duros ictus & verba non excitabatur, ut pulsanti aperiret sponso? sed quamprimùm illa reperit fores suas, Myrrhæ unguentô inunctas, illicò omnem videbatur excussisse somnum. *Myrrha* autem teste S. Gregorio Nyss. in Cant. *est mortis symbolum.* Adeoque illa, quæ etiam suavissimis sponsi blanditiis lapideum opposuerat cor, ad unicam mortis memoriam instar ceræ emollita est. Audiantur pulcherrima citati Doctoris verba. *Anima per mortem à morte resurgit: nam si non moriatur, semper manet mortua: at moriendô vitam consequitur, omni mortalitate depositâ.* Ergo Christiane Lector morere, ut non moriaris. Ut vivas spirituali vitâ mortem subi spiritualem, habendô crebram mortis memoriam.

*N.*148. *Considera* 2. Inter Tribulationes carnis, quas conjugibus prædicit Apostolus, & de quibus alibi actum à me, non minimam esse zelotypiam, de hac Tractat. cap. 5. & asserit Hieron. contra Jovin. *Pulchra citò amatur, fœda facile concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant, molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minori tamen miseriâ deformis habetur, quàm formosa servatur.* Subest Mysterium in divino Præcepto latens; quòd Deus cit. capite imperet: ut vir zelotypus pro uxore

sua

sua oblationem facturus non triticeam, sed *hordeaceam* offerat farinam, nec fundat super eam *oleum*, neque *thus*. Videtur enim indicare Deus: Zelotypiam homines quasi in bruta, quorum pabulum est hordeum, transmutare. Quare ad hanc è medio tollendam permisit probationem per aquas maledictas, ne miseri conjuges ex hac cruce perpetuò pendentes, ipsi Inferno parem ducerent vitam, de qua ait Salomon Cant. 8. *Dura sicut Infernus æmulatio &c.* Quot enim, & quantæ contumeliæ, convicia & minæ ferendæ, tum à parte zelotypa, sine causa timente, tum à servis & ancillis domesticis? non aditus & exitus tantùm curiosè observantur, sed in singula verba, imò in aspectus & suspiria studiosè inquiritur. Voluptas omnis excluditur, angorum, molestiarum, lacrymarum, & quandoque verborum atrocium plena sunt omnia. Itaque Deus tantæ Miseriæ quandoque misertus, miraculô zelotipiæ fomitem sustulit. Lubet hujus audentium addere testimonium *à B. Petro Dami. Card. in Epist. ad Godefrid. Ducem & March. Tusc. lib. 7. Epist. de Uberto March.* datum, qui Guillam majoris Bonifacii March. filiam conjugali sibi copulaverat fœdere. Hic non multò post indignationem primi Ottonis Imp. incurrit, ac subinde relictâ conjuge Pannoniam profugus exulavit. In gratiam verò longô post tempore resumptus; matrem cùm grandiuscula jam prolè reperiens expavit. Negat proin genuisse se filium, quem conspicit: & zelotypiæ actus spiritu fœtæ mulieri obscœnum crimen intendit. Ac diutiùs ventilatâ, tandem concluditur: purificationis indiciô objectionem sopiendam esse. Convenitur ergo ex utraque parte, ut in vasta quadam domûs amplissimæ area compareant Personæ quâ dignitate, quâ Religione multum spectabiles. Quibus nimirum in subselliis suis undique considentibûs, puer solus in medio poneretur: etsi patrem nunquam hactenùs à se visum, adiens peteret, ab omni procul dubiò matrem suspicione liberares. Quid plura? conveniunt Pontifices, adsunt cum Monachis & Abbatibus inferioris quoque ordinis Sacerdotes, funduntur preces. Dimissus itaque puer in medio sine pepate vel gerula incipit ire, & sedentem inter vulgus patrem, nullô subselliô distinctum præteritis omnibûs signanter accedit, eique quasi notissimâ familiaritate blanditus adhæret. Tollitur ergò mirabilî hôc factô Matri confusio, & Patri filius redditur: omnibûs, qui aderant, gratias Deo agentibûs. At quis à Deo semper exspectet miraculum? non paucos constat, per miraculum ex mediis fluctibus emersisse, stolidè

lidè tamen ageret, qui ſe illis hâc ſpe fretus immergeret. Quarè felicem te æſtima Religioſe vel Clerice, qui divinæ obtemperans vocationi elegiſti ſtatum, Miſeriæ periculô carentem. Verùm conſideres velim: quanta ſit obligatio ſervandæ caſtitatis Deo juratæ. Si enim Deus v. 3. & 4. cap. citati Perſonis ſibi ſpecialî votô conſecratis, interdixit uſum *aceti* & *uvarum*, aut *quidquid tandem ex vinea eſſe poteſt*. Puta: quô rigore immoderatum vini uſum, qui Caſtimoniæ venenum dicitur, tibi interdictum velit? cogita pariter: te imitari debere Nazaræos raſos, de quibus v. 9. agitur, ut videlicet cum ipſis capillis inutiles cogitationes deponas, ſicque ab omni ſenſuali impedimento liber, quæ ſurſum ſunt, ſolùm ſapias.

Doctrina 4.

Deſumpta ex cap. 7. 8. & 9. lib. Numeri, in quibus deſcribuntur oblationes 12. Principum in Dedicatione. Conſecratio & requiſita atas Levitarum. Lex de celebrando Phaſe &c.

N.149. *Conſidera* 1. QUomodo Principes & Primates Populi Hebraici primô locô erga Deum ſeſe munificos & liberales exhibeant, offerendô Dona: ut ſuô exemplô Plebem cogerent ad imitandum; nam verba Superiorum movent tantùm, eorum verò exempla trahunt. Sicut Helitropium ad motum Solis, ita Populus Principum factîs & moribûs dirigitur: & hinc meritò *Solon*: Populares *Principum umbras* vocat; ut enim umbræ figuras corporum, ita Illi Principum geſta ſequuntur. *Aſcendente Jeſu in naviculam* Matthæo teſte *ſecuti ſunt Diſcipuli*. Noëmo imperavit Geneſ. 9. Deus: *ingrediaris Arcam tu*, & Parentem ingreſſum ſecuta eſt omnis familia. Illa ipſa die, quâ circumciſus eſt Abraham, circumciſus eſt Iſaac & omnes viri domûs ejus Geneſ. 17. Moyſe præcinente divinas laudes, conſonô carmine decantabat omnis Iſraël Exodi 15. Illuſtriſſimam reportavit victoriam Gedeon Judic. 7. At quæ præcipua illius cauſa? reſpondet S. Scriptura: *quod me videtis facere, hoc facite &c.* Lucæ 19. dicitur: Salutem domui Zachæi factam eſſe: cùm tamen ad ſequendum Chriſtum ſolus vocetur Paterfamilias Zachæus. Verùm quis neſcit; ſanatô capite ſanitatem derivari in Membra? Theodoſius Imperator: cùm in menſa frugalitati apprimè ſtuderet, effecit: ut in omnes Nobili-

bilium Romanorum mensas eadem frugalitas penetraret. Quare de eo *Pacatus* hæc verba scribit panegyrica: *tuæ Imperator Epulæ locorum ac temporum fructibûs instruantur; hinc certatim in omnes luxuriæ pudor exolevit, & quiescentibûs legum minis subiit quandoque privatim sua pœnitentia. Sic est enim, sic est: exasperat homines imperata correctio, blandissimè imperatur exemplô.* Ita cit. Author in fine Orat. sicut cœli, licèt taceant, solô aspectu ad laudes Dei invitant: ita superiorum exempla, etsi sileant Imperia, ad sectandas virtutes accendunt. Cùm autem testibùs Philosophis: *contrariorum eadem sit disciplina*, hinc concludes: eò magis obesse subditis prava Prælatorum exempla, quô magis prosunt virtuosa: ô quantam ipsi cœlo intulit perniciem unius Angeli superioris superbia! traxit illa Apocal. 12. Tertiam partem stellarum caudâ suâ, & tractam immersit extremis Tartari tenebris. Marcellinus Papa cùm timore correptus thus Idolis immolasset, mox illum hujus peccati, quod inferioribus Christianis maximo potuisset fuisse scandalo, adeò pœnituit, ut Sinuessam Campaniæ Urbem ad Concilium 180. Episcoporum squalidus, pulvere conspersus, & ciliciô indutus venerit, ubi lacrymis profusis scelus suum contestabatur. Quem tamen cùm nemo damnare auderet, sed conclamarent omnes: *tuô te ore judica; nam prima sedes à nemine judicatur.* Ille Romam reversus Imperatorem adiit, gravissimè eum accusans, quòd ad tantam Impietatem se impulisset. Quam ob rem cacupite plexus, omne pernicioli scandali periculum penitùs è medio sustulit. Deus bone! si Christus Dominus Pharisæis hypocritis, qui occultandô sua scelera se solos perdidêre, adeò minetur, & toties *Væ* ingeminet: quid exspectabunt Christiani superiores, qui liberè publicèque peccaverint certî; Regum ad exempla totum componi orbem, quod sanè providè expendens S. Greg. Naz. Apolog. 1. ait: *Mihi timor incutitur: cùm & Pharisæos probris affici, & scribas redargui video.* Quanta ergo Dei vindicta te exspectat Christiane Lector, si superiorem aut Patremfamilias agens, audeas in subditorum præsentia loqui aut tractare turpia, ut alia peccata taceam scandalo pusillorum obnoxia?

Considera 2. Homines: divino servitio mancipandos, debere esse *N.150.* tales, qui maturitate morum & constantiâ virtutum non minores sint viginti annis v. 24. cap. citati: eò quòd Pagninô teste non ad simpliciter ministrandum, sed potiùs ad militandum in opere Tabernaculi *Levitæ* fuerint assumpti. Hinc disertè ad propositum ait Oleaster: *Sæpè mecum mirabar: cur Dominus venientes ad servitium ejus, dicat venire ad mili-*

militandum? sed justè hoc factum esse credendum est, nam Eccles. 2. asseritur: fili accedens ad servitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem. Quis enim effari queat, quot opprobria & cachinnos patiantur illi, qui piè in Christo vivere nituntur? videtur totus mundus contra eos armari. Non à Paganis, Turcis & Hæreticis necesse est, eos affligi, sed à Christianis quoque, quin imò etiam à consanguineis, fratribus & parentibus. Sed quod ignis est auro, hoc persecutio Justis est. Aurum in igne necquidquam valoris splendorisque perdit, sed in utroque constans crescit, metallis aliis in fumum abeuntibûs. Unde Malachiæ 3. dicitur: *Quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum & sedebit conflans & emundans argentum: & purgabit filios Levi & colabit eos quasi aurum & quasi argentum.* Ipsæ Miseriæ, & afflictiones, quas præter opprobria ferre coguntur, sunt *aqua lustralis*, quâ instar *Levitarum* purgantur à sordibus animarum suarum. Hinc S. Joannes Anachoreta uni de fratribus tertianâ febrî laboranti, cùm peteret ab eo curari, responso dedit: rem tibi necessariam capis abjicere: ut enim corpora nitrô aut aliis hujusmodi lenimentîs abluuntur à sordibus: ita animæ languoribus aliisque hujusmodi castigationibûs purificantur. Sic diuturnîs lacrymîs, quas dilectissimô filiô orbatus Jacob ipse fuderat, purgati sunt parvuli defectus tanti viri. Sic Joseph ipse integrô biennîô inter tetros carceres transactô, ablutus est. Silentiô involvam innumeros alios: causam tantummodò allegans tot persecutionum & miseriarum, à Justis ferendarum esse felicitatem æternam, ab ipsis possidendam, quæ cùm *merces* sit *magna nimis*, magnô pariter emenda est pretiô. Terra promissionis lacte melleque manans adîri non poterat, nisi superatô mari rubrô & asperrimîs viarum ambagibûs atque periculîs. Ad Persarum Regem nemini fas erat propiùs accedere, nisi osculatus fuisset virgam ejus Esther 5. Cassian. lib. 4. de Institut. c. 3. narrat: Illis, qui olim ad Cœnobii disciplinam recipi cupierant, non priùs patuisse introitum, quàm decem aut pluribûs diebûs ad fores Monasterii excubâssent, datô insignî admirandæ patientiæ, humilitatis & perseverantiæ specimine. Jussi omnium genibus sese provolvere, probrîs & injuriîs onerandi, excludebantur, si vel parvum impatientiæ monstrâssent signum. Quid igitur amore cœlestis Patriæ non ferendum? ergo Christiane Lector conclude cum Ignatio Martyre: non tantùm opprobria, corporis morbi, animæ afflictiones, *sed omnia tormenta Diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar.* Lubens libensque aggre-

aggreſtes hîc comedam adverſitatum *Lactucas*, dummodò liceat, cum cœleſtibus Levitis æternum *Phaſe* manducare.

FASCICULUS XXIV.

Doctrinarum Moralium & Aſceticarum.

Doctrina I.

Deſumpta ex cap. 10. & 11. lib. Numeri, in quibus deſcribitur Præceptum de fabricandis Tubis ductilibus, quibus Principes & Populus ad bella vocetur, & de elevanda Arca. Murmur Populi eſurientis, miſſæ coturnices in caſtra &c.

Conſidera 1. PEr Tubas illas ductiles, quas Deus cit. capite præcepit fabrefieri, ut eîs ad Bella animarentur Judæi, moraliter intelligi duas illas æternitates, *felicem* videlicet & *infelicem*, quarum prima eſt Beatorum, altera damnatorum. Harum ſonus è mundanarum deliciarum caſtris ad fortia Domini bella eos omnes excitat, quorum animis inſufflante Deô inſonuerint. Et illi quidem inſtar Principum & Magnatum Iſraëlitarum per primæ tubæ ſonitum facilè excitantur, qui fallaces mundi delicias nondum immoderatè guſtârunt. Alii verò, qui ſemel Sirenum blandientium cantibus aures præbuêre, nonniſi repetitô pœnarum infernalium ſonitu inſtar ſtupidæ plebis Iſraëliticæ avocandi ſunt. Vocanti tamen Deo etiam parent, quia tanta eſt hujus tubæ energia: ut teſte S. Chryſoſt. Serm. 31. in Epiſt. S. Pauli: *Non ſinat in Gehennam incidere, Gehennæ meminiſſe.* Vates regius non immeritò memoriam infernalium pœnarum fumo comparat Pſal. 17. Ut enim fumus ab igne natus elicit lacrymas ex oculis, ita Inferni memoria ad agendam inter lacrymas pœnitentiam, & ſectanda Chriſti patientis Caſtra impellit peccatorem. Hinc dicitur 1. Reg. 2. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad Inferos, & reducit.* In vita S. Lidvvinæ, deſcripta à Surio 14. Aprilis legitur: illam aliquando ab homine flagitioſo pœnitentiæ locô petiiſſe, ut *N.* 151.

unicam tantummodò noctem supinus ac immotus ageret in molli culcitra. Quam ceù levissimam lubens accepit. Sed parvô tempore ibidem cubans, gravissimô tædiô affici cepit, testatus: se longiorem tantisque molestiis redundantem nunquam duxisse noctem; perpendisse tamen interim criminum suorum gravitatem, æternas Tartari flammas, & talibûs se allocutum esse verbîs: *Me miserum! si per unam noctem in molli culcitra jacere immotum, intollerabile mihi videtur: quâ ratione potero in Gehennæ incendio perpetuò affixus jacere?* Quare ab illa die totus in alium hominem mutatus inveniebatur. Christiane Lector, utinam tu, qui primæ tubæ, cœlorum Præmia resonanti, tam surdas aures hactenùs præbuisti, saltem secundæ obsequiosas dares. Utinam in molli quandoque culcitra stertens, igneos damnatorum lectos meditareris. Hêrcle si in medio dierum tuorum cum Jacobo descenderes *in Infernum vivus*, non cogereris post dierum tuorum finem descendere mortuus illuc cum Epulone.

N. 152. *Considera* 2. Homines peccatis semel assuetos difficillimè ad frugem reduci: Sed licèt partim divinis Inspirationibûs, partim amicorum monitu ad pœnitentiam permoti resipiscant tantisper; brevì tamen relabantur, clamantes verbô & factô cum rebellibus Israëlitis v. 5. cit. capitis 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres &c.* S. August. lib. 8. confess. de sua testatur persona: *Suspirabam*, inquiens, *ligatus non ferrô alienô, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Quæres: cur Christus Dominus, cui data Potestas fuerat, ligandi solvendique omnia peccata Lucæ 23. adeò ferventer oret Patrem: ut dimittat peccatum, commissum à Judæis & barbaris se crucifigentibus? à quo tamen eos unicô poterat absolvere verbô? quæstioni huic ingeniosâ responsione occurrit Arnoldus Carnot. asserens: hujus orationis causam exstitisse, pessimam illam & inveteratam consuetudinem, quâ Judæi ex longo tempore assueti erant, Christum persequendi: *ví cujus in hoc malo adeò fuerant voluntarii, ut voluntas consuetudinem* (utor verbîs cit. Authoris) *& consuetudo effecerit necessitatem: necessitas verò usque ad illam eruperit vecordiam, ut affectatè nescirent, quid facerent.* Quare inolita hæc consuetudo debebat, ut ita loquar, ipsâ Patris æterni omnipotentiâ auferri. Apocalypticus Joannes describens magnum illud Prælium, factum in cœlo, testatur: *Projectum esse*

esse Draconem magnum, serpentem &c. Mira res! quòd ad devincendum hunc unicum Draconem & Serpentem S. Michaeli necesse fuerit, ingentî Angelorum copiâ uti: cùm tàmen virga Moysis, olim in serpentem versa, omnes Ægyptiarum virgas, in serpentes pariter transmutatas, sola & unica vicerit? Verùm huic dubio facilis est responsio, si cogitemus: serpentem illum, licèt unicus fuerit, fuisse tamen *antiquum*, ut asserit S. Scriptura cap. 12. v. 9. haud secùs, si quis numeret unicum tantummodò vitium; hoc verò ob frequentatos actus, & natam inde consuetudinem jam sit inveteratum, difficiliùs superabitur, quàm multa alia, tam fortiter tamen nondum radicata: sicut enim gravî somnô sopiti, etsi surgere attentent, soporis altitudine statim remerguntur. Ita consuetudinarii illicò relabuntur in vitia: de quibus pœnituerant. Tres mortuos à Christo resuscitatos esse constat: filiam in domo, adolescentem extra portas, & Lazarum quatriduô jam sepultum. Puella solô nutu porrectaque dextrâ adolescens verò ad solam vocem Domini surrexerat. At summô molimine opus fuerat, quando de resuscitando ad vitam Lazarô agebatur: lacrymari enim Jesum, infremere, amotô lapide clamare voce magnâ oportuit. S. Greg. M. l. 4. Moral. c. 20. asserit per hos tres mortuos, vitæ redditos intelligi tria genera peccatorum, de quibus sic discurrit: *quasi mortuus jacet in domo* (instar puellæ) *qui latet in peccato, jam quasi extra portam educitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicè perpetrationis aperitur: sepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam usu consuetudinis pressus gravatur.* Corallium ut vix natum est: inter plantas ponitur, at ubi semel induruit, jam lapidibus annumeratur. Haud aliter se habent peccatores inveterati: continuæ contextæque Numinis injuriæ ad eam obstinationem miseros redigunt, ut aliud, quàm peccare ipsis videatur impossibile. Ajunt; in Africa reperiri serpentes, qui aliorum serpentium venatu vivant, ac porrò evadant in Dracones venenô turgidos tam præsentî, ut nullum adversus illud alexipharmacum quidquam valeat. Par planè est conditio hominum in peccatis habituatorum, qui scelera sceleribus cumulantes, ita animum pestiferô implent toxicô, ut illô quasi cibô utantur consuetô, sicque nihil videatur supersesse medicaminis, quô animæ salutem consequantur. Quare nihil prosunt publicæ vel privatæ correctiones, nil minæ, nil pœnæ; adeò ut videantur pactum iniviisse cum morte illa spirituali Isaiæ cap. 28. *Percussimus fœdus cum morte.* Erithræus exemp.

§. 53. memorat: se, dum juvenem adhuc ageret, audivisse à quodam celebri concionatore ord. S. P. August. quòd ille per publicam urbis plateam ambulans, vocatus sit ad domum viri cujusdam ægroti, ut morituro assisteret. Accurrisse quantociùs, & reperisse hominem jam penè cum morte luctantem, sola comitatum concubinâ, quæ egregiam ei navabat operam. Exceptâ dein confessione, cùm comperisset: quàm illicitîs servitiis mulier suo adhæsisset hero, admonuisse illicò, quin etiam præcepisse pœnitenti, ut sine mora illam domô exturbaret. At responso tulisse: nunquam se commissurum, ut mulierem de se optimè meritam eô præsertim tempore, quô vel maximè operâ ejus egeret, expelleret. Hoc auditô se petiisse saltem, ut conceptîs verbîs juraret, se quamprimùm sanitatem recuperâsset, eidem nuntium remitteret, nihil ultra comercii cum ea habiturus. Reposuisse ægrotum, seriò deliberaturum se adeptâ valetudine hac superre, nunc autem certi nihil se promittere. Tum verò Confessarium desperatâ hominis, in pessimo peccandi habitu indurati, salute tristem abiisse. Sed denuò revocatum hilarem rediisse, utpote suspicatum, quòd interim ægrotus saniora conceperit Proposita. Sed proh dolor! offendisse jam tunc vitâ privatum, muliere cereum prælucente, ut impurô amore excæcatus citiùs inveniret æternas tenebras. Hoc & plura alia considerans exempla, quæ passim referunt Historici, vitiorum principiis obsta Christiane Lector, ne illa per frequentiores actus transeant in consuetudinem. Aut si vitium aliquod jam habeas radicatum, tunc ut illud eradices, summum mox adhibe conatum, nî malis perire. Non deerit seriò volenti adjutrix divina gratia, sicut Israëlitis famem passis non defuit multitudo coturnicum. Utque coturnices illæ non cecidêre de cœlo jam actu in cibum præparatæ, sed fuerant per industriam coquendæ: ita necesse est (ut memini) fortiter strenueque collaborare divinæ gratiæ, ad tollendam inveteratam consuetudinem tibi concessæ.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 12. 13. & 14. lib. Numeri, in quêis describitur Murmur Aaronis & Mariæ reprehensum, & punitum à Deo. Seditio Populi, animus ei additus per Moysen, auxilium Dei spondentis.

N.153. Considera 1. DEum auditô murmure Aaronis & Mariæ eos vocâsse

câsse in Tabernaculum, Moyse jussô recedere: ut sic copiam haberet, eos clanculô & sine arbitris reprehendendi, prout etiam Christus idem faciendum admonuit Matth. 18. dicens: *Si frater tuus peccaverit in te, corripe eum inter te, & ipsum solum*, studens non tantùm ejus correctioni, sed parcens etiam ejus pudori. Taliter Joseph Ægyptius erga fratres suos, acerrimâ castigatione dignos, se gesserat: jubens adstantes Ægyptios priùs omnes egredi foras, antequam unicô verbulô eos correxisset. Oseæ 2. Deus Synagogam multîs vitiîs defœdatam, salubrî correctione purgaturus, dixit: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*, addens: *lactabo eam*, ut per hæc ultima insinuaret verba: correctionem etiam occultam, & remotîs arbitrîs institutam, esse instar lactis, quod amabile est, administrandam; atque hinc Apostolus 1. Corinth. 3. asserit: *tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis*: Videlicet non rigidîs & indiscretîs in peccantes invehendô verbîs, sed lenibûs & paternîs, corrigens errores vestros *in spiritu lenitatis*. Correctio enim asperitatem redolens à Spiritu Sancto opus stultitiæ vocatur, Eccles. 18. *Stultus acriter improperabit*. Ut enim mente captus cæco impetu in omnia agenda fertur, fine nullatenùs considerato: ita asperi correctores, dum nimio indulgent rigori, finem correctionis, in emendatione personæ corrigendum situm, non consequuntur, stultô labore consumpti. Hanc stultitiam Magister divinus à suis discipulis remoturus præcepit, Matth. 10. Ne Mundum evangelizandô transeuntes, baculos secum deferrent; quod imperium perpendens S. Ambros. lib. de Joseph. ait: *Dimittens ad evangelizandum discipulos, misit sine Virga, ut instrumenta eriperet ultionis*, q. d. Virga rigorem indicat: nolo ergo vos virgam portare, quia rigorosos esse nolo. Unde etiam Apostolus 1. Timoth. 3. partes, quibus ornari oporteat bonum Episcopum, recensens, inter cæteras hanc velut unam adducit: *non percussorem*. Verùm quid hîc subesse poterat periculi, tametsi Episcopus digladiator, ut ita dicam, fuisset, vel percussor? Sed teste S. Ambrosiô lib. de dignit. Sacerdot. Apostolus loqui videtur de linguæ vulneribus, de quibus Jeremiæ c. 18. fit mentio: *Venite, & percutiamus eum linguâ*. Prælatus ergo suo satisfacturus muneri in corrigendis subditis, gladiô linguæ non feriat: *non linguam ad convitium relaxet Episcopus*, ait citatô locô Ambrosius: *ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo, & divina libat sacrificia, litium venena proferat: quîa non licet de ore Episcopi benedictionem & maledictionem simul egredi.* Imitentur ergo superiores præsertim Ecclesiastici Angelum illum, qui

ancillam Agar è domo Domini sui profugam correcturus, nullîs aliîs allocutus est verbîs, quàm talibûs. *Unde venis? quò vadis? revertere ad Dominam tuam, & humiliare*, Genes. 16. Imitentur etiam illum Parentem Evangelicum, qui filium, non verba tantùm aspera, sed etiam verbera promeritum correcturus, amorosô excepit osculô. Imitentur denique Prælatum Theophilum nomine, quem magnîs extollit præconiîs S. Hieron. eò quòd subditos suos correcturus, rigoris virgam domi reliquerit, sola amabilitate paternâ comitatus. Constat experientiâ teste: longè validiores esse ictus amoris, quàm rigoris, & plus profici dulcedine, quàm acerbitate verborum. Lapidem durum non cavant aquæ, super illum magnô impetu & copiâ effusæ, sed guttatim leniterque cadentes: *gutta cavat lapidem non vî, sed sæpè cadendô.* Ita animus delinquentis non emollitur ad pœnitentiam per verba rigida, cum indignationis impetu egesta, sed per lenia, debitô tempore & locô repetita. Filius Viduæ 4. Reg. 4. non à mortuis surrexit ad vitam, quando baculus Elisæi superimpositus illi est, sed tunc primùm, quando Elisæus ipsius cadaver propriæ carnis calore calefecit. Quod factum expendens Petrus Dam. asserit: *Quem terroris Virga suscitare non potuit, per amoris spiritum ad vitam rediit.* Hunc ergo corrigendi modum tibi assume Christiane Lector, si superiorem agis, ad arguenda aliorum scelera destinatum. Lenibûs & paternîs verbîs adjunge etiam cum Moyse preces, quas ad Deum pro salute eorum fundas, quas tuâ admonitione emendari vis, ut eò citiùs à lepra delicti purgentur. Cæterùm cùm dependenter à verbis S. Scripturæ cit. capitis Mariæ fecerim mentionem, quæ exstitit soror Moysis, correcta à Deo: hinc in mentem mihi venit ob Nominis paritatem altera Maria, quæ exstitit Mater Salvatoris. Hæc nullam correctionem unquam promerita Virgo: perfidis tamen, & toties facta & dicta Filii sui volentibus corrigere Judæis instar leprosæ exosa, conqueri potuit v. 24. cit. capitis *Abscederunt palmitem cum uva.* Uva enim Christus, palmes Deipara. Uterque portatus in vecte, hoc est in Cruce: & quidem ille in corpore, hæc verò in mente. Per utriusque merita ô Christiane! roga æternum Patrem, ut tu ipse correctus, modum alios debitè corrigendi addiscas.

N. 154. *Considera* 2. Quomodo Judæa Natio post divisum Mare, post sepultos in eo Ægyptios, post Manna & coturnices è cœlo missos, post innumera alia à Deo accepta Beneficia, ausit in hæc, gratitudini extre-

extremè oppoſita erumpere verba v. 2. cap. 14. *Utinam mortui eſſemus in Ægypto &c.* Nonne ſimillimi fuerant Iſraëlitæ talia locuti ſecuribus, quæ manubriô ex arboribus acceptô, ipſas infeſtant arbores? aut vermibus, qui lignum, ex quo nati & nutriti ſunt, conſumere nituntur? aut mulis, qui uberrimo lacte à matribus ſuis paſti, calcibûs eas impetunt? ut Plato contra Ariſtotelem diſcipulum aliquando ſuum conqueſtus legitur, qui optimîs ab eo artibûs inſtructus, Scholam contra Magiſtrum erexerat, in Peripateto cum diſcipulis ſuis eum impugnaturus. Sed utinam ſoli Judæi aut Barbari tam nefaria contra Deum ingratitudinis demonſtrarent ſigna! utinam inter Chriſtianos non foret reperire plurimos, qui parî vitiô laborant! heu! quot numerantur, qui expeditâ ad loquendum linguâ inſtructi, eâ ipſâ abutuntur ad blasphemandum Nomen conditoris ſui? quot abutuntur divitiîs ad luxum & ſuperbiam? potentiâ ad opprimendos pauperes? corporis robore ad latrocinia, ad rapinas, ad cædes? formæ elegantiâ ad explendas libidines? ingenii acumine ad concinnandos dolos, eludendam Juſtitiam, fallendos proximos? horrendum narratur ingratitudinis delictum de quodam milite, qui in Belgio ex caſtris fugitivus, cum aliis pluribus in pœnam perfidiæ arborem in patibulum nactus eſt. Hic (neſcio fortunæ adſcribam, an lictoris culpæ) pendebat ex laqueo vivus: eques ergò caſu tranſiens locum, cùm aliquod vitæ ſignum in pendente adverteret, miſertus hominis, ſtrictô pugione laqueum præſcidit, & viribus nonnihil redditum, ut manus Judicum effugeret, retrò ſe tergo equi impoſuit. Sed ô immaniorem ipsîs beſtiîs hominem! miles vix morti ſubductus, ut in via pleniori ſenſit, liberatorem ſuum notabilî peccuniæ ſummâ proviſum eſſe, ipſum pugionem, vitæ ſibi conſervatæ inſtrumentum, è vagina derepentè extrahit, & per repetitos ictus humeris benefactoris ſui infigens, mortuum tandem equô dejicit, rebûsque omnibus ſpoliatum, avibus beſtiisque in prædam relinquit: ipſe verò conſcenſô quantociùs equô, ad tutiora ſe recipit. Quis iſta legens, non mille convitia evomet contra tam barbarum hominem? quis illum non mille mortibûs dicat digniſſimum? ſed utinam multorum Chriſtianorum non par, aut etiam major foret ingratitudo! non gregario equiti, ſed ipſi Chriſto Deo exercituum illata, à quo non à brevi corporis, ſed ab æterna animæ morte ſunt liberati, & hoc non tantùm facilî unius gladii conatu, ſed paſſione horribilium tormento-

mentorum. Et tamen hi audent, unius momentaneæ voluptatis, aut obtinendæ parvæ pecuniæ causâ rursum in crucem agere tantum Benefactorem. Sed audiant ingratissima hæc monstra, horrendam illam divinæ Nemesis sententiam Proverb. 17. latam: *Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* Audiant Augustinum contra se assurgentem, dum ait: infidelem peccantem verè Infernum mereri, sed Christianum peccantem Infernum non mereri, sed mereri, ut ipsius potissimùm causâ fiat Infernus. Christiane Lector, si Redemptor tuus in signum debitæ gratitudinis à te peteret, ut amore illius exspoliares te omnibûs opibûs, aut peteret, ut cum Martyribus in horrida te conjiceres tormenta, excusari forsan à pœna gravissima posses, si non illicò eidem morem gereres. At cùm solùm à te petat, quod tibi natura dictat, quod præscribunt æquissimæ leges, quod etiam Barbari ultrò præstarent: nonne hoc ipsum ei denegandô, reum te efficis pœnarum non sat explicabilium? horrent Barbari blasphemias, aversantur fraudes & fallacias in emendo & vendendo, vitant stupra & adulteria, abominantur ebrietates, detestantur detractiones: & tu Christiane in summum Conditoris tui probrium hæc vitia ames, & quasi jam sopitô conscientiæ remorsu liberrimè ea perpetres? quæ sufficiens erit in Tartaro pœnarum acerbitas, ut ea vindicet, tanquam extremæ ingratitudinis indicia? at reponens forsan: te considerata tam enormium vitiorum crudelitate, & pœnis in Inferno debitis permotum resipiscere quidem velle, sed ob inveteratam peccandi consuetudinem non posse, nec plus ad resistendum animi habere, quàm dicantur habuisse Israëlitæ, quando *citatô cap.* audierunt, sibi cum Gigantibus pugnandum esse. Verùm sicut Josue, divinô auxiliô fretus dixit cit. cap. v. 9. *Sicut panem, ita possumus eos devorare.* Collapsosque animos sic erigere nitebatur, ita spes firma de adjutorio Dei concepta, te eriget ad strenuam & glorioſam contra vitia inolita pugnam. Optimè Origenes Homil. 7. in Num. ait: *Si dubia sit fides nostra, illi Gigantes erunt, nos locustæ. Si verò sequamur Jesum, & verbis ejus credimus* (quæ etiam montes transferunt) *tanquam nihil erunt in conspectu nostro.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 15. & 16. lib. Numeri, in quibus describitur Lex data de Hostiis & deferendis fimbriis. Zelus iræ Moysis objurgantis Core & Abiron, eorumque secutus interitus.

Considera 1. DEum imperandô, ut Judæi *sibi facerent fimbrias per angulos palliorum suorum, ponentes in eis vittas Hyacinthinas, quas cùm viderent, recordentur omnium mandatorum*, voluisse; ut divinam præsentiam speculi locô sibi proponerent, quô futurum sit, ut nunquam, aut non nisi rarò divina transgrederentur mandata, sed vitam viverent à labe puram. Nam certa res est teste S. Joanne Damasc. de spiritu fornicat. c. 24. *Quòd si Deum non solùm secretorum nostrorum, verùm etiam cogitationum internarum, diurnum pariter & nocturnum inspectorem, & consscium esse cogitemus, sancti erimus.* Tobias Senior charissimo filio doctrinam optimam hæreditatis instar relicturus, hoc unicum ei inculcavit c. 4. *Omnibûs diebûs vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Enim verò si Jacobi, Josephi & arcæ fœderis præsentia divinam Benedictionem, sub qua omnium bonorum affluentia signatur, etiam domibus Ethnicorum intulit, quæso; quantum bonorum spiritualium cumulum divina præsentia in hominem fidelem inducet? Scribæ & Pharisæi discipulorum Joannis Baptistæ jejunia intuiti, Christo movent quæstionem Marci 2. dicentes: *Quare discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?* celerî responsô quæstioni occurrens Christus asserit: *nunquid possunt filii Nuptiarum, quamdiu Sponsus cum illis est, jejunare?* quem textum Christi quidam Interpres ad nostrum sic explicat propositum, dicens: plus nimirum sponsi præsentiâ proficitur, quàm jejuniis: supplet Sponsus abundè, cùm præsens est, quidquid abstinentiâ assequi aliquis posset. Eusebius Emissenus rationem assignans: cur Joannes, cujus discipulorum nunc memini, tam generosô animô sanguinem fuderit? ait: *Justè incunctanter offert sanguinem, qui præ oculis habet Regem suum.* Vix Maria Magdalena infamis illa mulier, in Salvatoris venerat præsentiam, illicô pœnitens non tantùm liberatam se sensit ab innumeris animæ suæ maculis, sed tanto in eum amore exarsit, ut nullæ adversitatum aquæ eam extinxissent. Prophetam regium exstitisse virum juxta cor Dei, & impollutô pede per- *N.* 155.

curriſſe viam mandatorum Dei, ſolus ille neſcit, qui ſacras paginas neſcit: ſed unde tanta pietas viro huic, niſi ab ipſa Dei præſentia, quam ſibi familiarem ſemper habuit teſtatus: *quò ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* ſi ſuperbiæ ſpiritus ob copioſas victorias me nititur avium inſtar in altum efferre, eum quantociùs deplumo, cogitans: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es.* Si inordinatus divitiarum amor, me inſtar talpæ ad intimos terræ receſſus vocat, eum illicò repello cantans: *Si deſcendero in Infernum ades.* Cantiprat. lib. 2. apum cap. 20. memorat pudendum aliquod ſcelus perpetrâſſe quendam hominem, non auſum illud confiteri: huic Chriſtus ſpeciem peregrini indutus obviaverat; age inquiens: ſi te aliqua tui teneat miſeratio, ſi ſalutis amorem, ſi veniæ conſequendæ deſiderium habeas, caput meum aquâ ablue. Et ecce! obſequi petitis dum incipit, videt in vertice oculum. Quid hoc monſtri? exclamat. Reponit Chriſtus: oculum hîc cernis, quem nulla potuerunt latere ſcelera. Hic eſt, qui fixè te obſervat in omnibus. In hunc oculum Chriſtiane Lector etiam oculos mentis tuæ convertas; & illuminabuntur oculi tui, ut nunquam aberrandô à via mandatorum Dei obdormiant in morte. Dices in ſingulis actionibus tuis: *ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum.* Pſal. 22. Hunc ergo oculum S. Baſilius contra omnes animæ morbos velut præſtantiſſimum præſcribit Antidotum dicens in c. 22. Ezech. *Memoria Dei omnia excludit peccata.* Si obſcœnîs cogitationibûs agiteris, ſi ad conſenſum te pelliciat inflammata carô, hunc oculum reſpice, & cum Suſanna victor evades. Si ad vindictam, de hoſtibus tuis ſumendam te incitet iracundia, hunc oculum intuere, & dices cum S. Stephano Act. 7. *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Si temporalium divitiarum amor te impellat, per nefas alienis inhiare pecuniis, ſupprimere pupillos & orphanos; hunc oculum vide, & exclamabis cum Zachæo: *Ecce! dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Lucæ 19. Si ad contemnenda Superiorum juſſa te ſpiritus ſuperbiæ inſtiget; hunc oculum præ oculis tuis habe, & exclamabis cum Paulo: *Domine: quid me vis facere?* concludo hanc partem Doctrinæ verbîs S. Ignatii Mart. Epiſt. 9. ad Heronem Diaconum dicentis: *Memento Dei, & non peccabis.*

N. 156. *Conſidera* 2. Quomodo Moyſes vir aliàs mitiſſimus, vehementî zelô iræ excanduerit; ſed talî, quô non vituperium ſed ſummam laudem

dem fuit promeritus : erat enim zelus divini honoris conservandi studiosissimus. Parî iracundiâ summè laudabilî flagrârunt Levitæ in puniendis sacrilegis cultoribus aurei illius vituli , quos S. Scriptura extollit dicens : *Consecrâstis manus vestras hodiè Domino unusquisque in filio &c.* Exod. 32. Idem zelus deprædicatur in Phinees Eleazari filio Aaronis Nepote, qui hujus libri cap. 25. Hebræo cum scorto Madianitide peccantem transfodiens, non tantùm divinam ab universo Populo avertit vindictam, sed hoc à Deo obtinuit promissum. *Ecce! ego do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo , & expiavit scelus filiorum Israël.* Sed transeamus ab exemplis veteris testamenti ad zelatores novi, ubi Christus ipse jam apud Davidem testatus: *Zelus domûs tuæ comedit me.* Ceù cæterorum omnium Princeps nobis primus occurrit Matthæi 23. durîs invectus verbîs in Pharisæos & Scribas, non aliô nomine nisi Hypocritarum dignos proclamans : ut taceam zelum , quem exercuit Joan. 2. ementes & vendentes è Templo ejiciens. Magistrum secuti discipuli Petrus & Paulus, admiranda dedêre zeli signa. Ille Ananiam & Saphiram fraudantes aliquid de pretio agri venditi Actor. 5. Morte puniît temporalî. Hic Bar Jehu Pseudoprophetam cæcitate percussit, exclamans Act. 13. *ô plenè dolô & omnî fallaciâ, fili Diaboli & inimice omnis Justitiæ, non desinis subvertere vias Domini.* Inter zelum verò & ipsum Dei amorem dari proximam affinitatem testatur S. Bernardus Serm. 44. in Cant. Enim verò si quis totâ mente amaverit Deum, nunquid poterit æquô animô ferre ejus contemptum? si laudis divinæ studiosus est, nunquid perpeti poterit, blasphemiis divinum dehonestari Nomen: si ergo vis nosse Lector Christiane; quantus amor erga Deum tuum vivat in corde tuo, scruteris tantùm, quô zelô feraris in tuendum Dei honorem? quot aliena peccata posses impedire , si velles uti occasionibûs, quæ tibi tam frequenter præstò sunt? &c.

Perpende porrò : quid mali eveniat illis , qui instar Dathan & Abiron ardent quidem zelô, sed pessimô ; utpote zelô *elationis* & *superbiæ:* hos enim Tartarus vivos deglutiît, & inter perpetuas sepelivit flammas. Axioma est : Deum creandô universum non struxisse Infernum, sed tunc primum tremendam hanc creaturam conditam esse, quando Lucifer zelô superbiæ correptus in hæc erupit verba : *In cœlum conscendam , super Astra exaltabo solium meum , similis ero altissimo &c.* Hæc verba considerans Hugo Card. in Matth. c. 5. Sic ingeniosè discurrit:

currit: plenitudo nihil recipit, nisi quod nihil est: ideò superbia, quæ sui reputatione est aliquid, cœlô non potuit capi, quia illud jam impleverat gloria Domini. Sed nec in terra locum invenit, quia & illam teste Jeremiâ: *impleverat gloria Domini.* Restabat ergo Angelis, zelô elationis & superbiæ inflatis solus Tartarus, locus videlicet, qui creditur à Deo vacuus. ô Christiane Lector! ut locum hunc supterfugias, fuge omnem elationis & superbiæ zelum, & Moysen imitatus zelare zelô gloriæ Dei quâ amplicandæ quâ conservandæ, & habebis pro mercede zeli hujus cœlum humilium Patriam.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 17. 18. & 19. lib. Numeri, in quibus describitur Electio Aaronis à Deo facta per signum Virgæ germinantis. Obligatio & Salarium Sacerdotum, quarundam rerum pro immundis habendorum descriptio, Ritusque aquæ lustralis & cinerum.

N.157. *Considera* 1. QUàm longè ab omni passione abesse debeant Electiones Prælatorum: ne enim Moyses videretur carnalî amore excæcatus, Germanum suum in Sacerdotem elegisse; hinc voluit Deus, per Prodigium aliquod Aaronis à se ipso factam electionem testari, virgâ aridâ apud ipsum germinante, Electores sanè gerere se debent ut Judices, quos oportet sedendô sententias proferre: prout autem sessio significat pacatum & tranquillum animum, ita oportet in eligendo habere mentem à passionibus minimè agitatam. Talem habuêre ab exemplo Moysis instructi Israëlitæ, quando Judic. 1. post mortem Josue electuri Ducem, consuluêre Dominum dicentes: *Quis ascendet ante nos, & erit Dux belli?* talem habuit Vates regius, quando Successorem Regni declaraturus dixit majoribus: *de filiis meis elegit Deus Salomonem, ut sederet in Throno Regni Domini super Israël* 1. Paralip. 28. Talem habuit Jehu scribens litteras 4. Reg. 10. Samariam, Optimatibus civitatis imperans: *Eligite meliorem, & eum, qui vobis placuerit de filiis Domini vestri, & ponite eum super solium Patris sui, & pugnate pro Domo Domini vestri.* Talem habuêre Apostolici Viri, quando Act. 1. v. 23. post ascensionem Christi convenêre, infeliciſſimi Judæ dignum Successorem electuri: tunc enim statuêre duos Joseph, & Matthiam, orantesque dixêre: *Tu Domine, qui nôsti corda omnium, ostende, quem elegeris*

ex

ex his duobus unum accipere in Ministerium hujus & Apostolatûs. Nihil refero de electione Stephani & Philippi Act. 7. v. 5. Pauli & Barnabæ Act. 13. v. 2. Quas constat absque ulla passione institutas esse. Trident. Sess. 24. de Reformat. c. 1. Hanc Electoribus Regulam præscribit, sub gravi culpa rigidaque observandam pœna: *Electores alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint.* Dictat enim Justitia legalis, ut bonum commune omni meliorî modô moraliter possibilî promoveatur, & Justitia distributiva id sibi primô deberi locô contendit, ut in officiorum publicorum distributione anteferantur illi, quibus potiora sunt merita. Ipsa pariter Justitia commutativa per pactum tacitum jus eligendi tribuisse censetur, ea sub conditione exercendum, ut melius prospiciatur bono Ecclesiæ, eligendô meliorem dignioremque. His autem stantibûs necesse est, abjici debere, quidquid passionem sapit. Christus Dominus, summum aliàs Virgineæ Matris exhibens honorem & amorem, dum è cruce pendens, sub ea stantem cerneret, non Matrem, sed Mulierem illam compellavit, dicens: *Mulier ecce filius tuus!* quæres causam hujus? en patulam habes. Egit ibi electorem, unum ex duobus supplicii sociis eligens ad gloriam, alterum ad pœnam: ubi autem agitur persona electoris: nec matris, nec fratris, nec consanguinei nomen vel à longè audiri oportet. Vide ergo Christiane! quàm impartialem te hactenùs gesseris in electionibus à te factis? nonne aut propinquitatis amor, aut auri fulgor occulatum te fecit, quem in tali negotio oportuisset esse penitùs cæcum? sanè inter electos & prædestinatos ad æternam gloriam aliquando non comparebis, si indignum eligas & promoveas, tali motivô adductus.

Cæterùm sicut Doctrina saluberrima multumque ponderanda in hoc capite 17. proposita est electoribus, ita non dispar in sequenti pro ipsis ad dignitates & officia ecclesiastica electis datur legenda. His namque versu 20. præcipit Deus: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël.* Si ergo sola hæreditas talium Ecclesiasticorum est Deus, quid aliud necesse est sequi, quàm ipsos prorsus à negotiis & terrenis lucris deberi extraneos esse. Priusquam Christus Dominus in Cœna ultima ordinaret Apostolos Sacerdotes, de illis loquens, auditus est dicere Joan. 17. *De Mundo non sunt,* Indicans; quòd etsi ad hoc sublime My-

sterium electi, homines esse non desinant, eos tamen ita vivere oporteat, ac si hominem mundanum penitus exuissent. Persona olim in Sacerdotem electa prohibebatur plangere proprium parentem, cujus rationem assignat Philo Hebræus lib. de Monac. asserens ibidem: *Cùm enim Sacerdos sit Deo dicatus, oportet eum ab omnibus cognationis suæ affectibus abdicari &c.* Quid ergo dicendum de Sacerdotibus, aut aliis personis ad dignitates ecclesiasticas electis, quæ dies noctesque insumunt hujus sæculi negotiis? quæ nihil aliud cogitant, aut somniant, quàm de exaltandis domibus, ampliandis prædiis, colendis hortis, augendis pecorum gregibus, ditandis nepotibus, nobilitandis familiis? quæ ob vile lucrum se eò usque demittunt, ut abjectis etiam hominibus adulentur, litigent in tribunalibus, debitores premant, nundinas frequentent, usuras exerceant?

N. 158. *Considera* 2. Quòd si Deus pro immundo voluerit haberi *Vas carens operculô*, quantò magis pro immundo habendum sit os hominis, ad effutienda quævis obvia dicta semper apertum. *Si quis putat, se religiosum esse non refrenans linguam suam*, ait Jacobus cap. 1. *Sed seducens cor suum, hujus vana est Religio.* Ut vitrum distillatos magni pretii liquores continens, si habeat orificium malè custoditum, evanescere facit subtiles spiritus, ita oris lingua malè custodita omnes fervidæ devotionis spiritus amittit. David vir secundùm cor Dei, rogans: ut sua exaudiretur oratio, non honores, non pecunias, non liberos, non grandes exercitus, non splendida palatia, non victorias, sed unicam oris clausuram & linguæ frenum pro primo petitionis suæ scopo habuit, Psal. 140. exclamans: *Pone Domine custodiam ori meo &c.* Nam teste S. Laurent. Just. *nihil ita incongruum homini, Deo famulanti, & ad perfectionem tendenti reperitur, sicut effrenata lingua, nullô considerationis moderamine religata, quæ omnem mentis unitatem dissipat & occidit.* Sunt, qui magnæ sibi pietati ducunt, si in tantum suam coerceant linguam, ut non in blasphemias relaxent, non perjurent, non spurcitias exspuant, non graves loquantur detractiones, licèt interim, quidquid in buccam venerit, effundant, nullâ habitâ ratione tremendæ illius sententiæ, quàm Christus Matthæi 12. legitur pronuntiâsse, inquiens: *Dico enim vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* Videntur hi ore linguaque suâ haud aliter uti, quàm Domitianus parvulô cultellô, quô nihil aliud quàm muscas configere assueverat, sepositis interim Regni gubernandi curis.

Quis

Quis non irrideat, & culpandùm dicat agricolam, semen in ventum spargentem? talem hêrcle se profitetur Christianus, in otiosis sermonibus frequens, utpote qui verba aut divinæ laudis, aut fraternæ ædificationis, aut etiam honestæ recreationis semina, dum imprudenter effutit, in vanum abjicit. Notârunt physici. duos dari in lingua nervos, quorum beneficiô partim cum cerebro, partim cum corde connectatur. Docet inde natura: linguam cum utroque membro adeò concordem debere esse, ut cerebri impulsu prudenter, & cordis dictamine sincerè loquatur. Hinc qui illam resolvit in verba merè otiosa, eâ prorsus abutitur indignus, cui os tam nobilî organô sit instructum. Imitatur Nabuchodonosorem, qui mutatus in bovem, linguâ aliter non utebatur, quàm ad mugiendum cum tauris. at opponet forsan garrulus quispiam verba Apostoli Jacobi dicentis c. 3. *Linguam nullus hominum domare potest.* Reponam ego consilium, quod suggerit S. August. Serm. 4. de Verb. Dom. asserens. *Deus quæratur, ut dometur homo.* Sicut ad domandum elephantem, camelum, equum, aut aliam bestiam, quæ nunquam eò reduci potest, ut ori suo frenum ipsa imponat, *quæritur homo:* ita ad domandam hominis linguam, quæ Apostolô teste per hominem frenari nequit, quærendus Deus, quærendus inquam cum Davide per preces superiùs citatas. Quæsivit admirandus ille Ephrem, qui è vita discessurus testari de se valuit: nullô modô in omni vita mea sermo stultus egressus est ex labiis meis. Quæsivit S. Nicetius Episcopus Lugdunensis, qui Suriô teste in ejus vita; nulla verba, nisi pia & sancta loquebatur, otiosa vel jocosa nunquam: contumelioſa verò vel in se vel in alios conjecta negabat esse audienda; eò quòd ex animi forent fervore prolata. Quæsivit S. Catharina Senensis, ut Rodriquez p. 2. tract. 2. c. 13. refert, huic Sermocinationes de Deo adeò videbantur jucundæ, ut æquô animô ferre non posset, si quempiam res ludicras seriò tractantem audiret. Quæsivit demum, ut sileam plures alios, S. Ignatius Lojola, cujus sermo lib. 5. vitæ c. 6. semper exstiterat sententiis gravis, simplex, parcus, consideratus; quare nunquam rationem præcurrebat inconsiderantia. Cum his laudatis linguæ orisque sui custodibus tu Christiane per preces quæras Deum, & quærendô invenies juxta illud æterni Verbi promissum: *qui quærit, invenit &c.* precibus adde juxta præceptum Dei v. 18. cit. capitis *aquam vivam* lacrymarum, & *cinerem* contriti pectoris.

FASCI-

FASCICULUS XXV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 20. & 21. lib. Numeri, in quibus describitur Murmur Populi & aqua contradictionis, Moysisque diffidentia. Alterum Murmur Populi nauseantis Manna: & hinc à Deo meritò puniti, sed liberati à vulneribus per Serpentis anei aspectum.

N.159. *Considera* 1. TAntam esse Providentiam Dei, ut citiùs contingat è durissimo silice fluere aquas, quàm unicum divinæ relictum curæ, sitî aut fame perire. *Nemo debet de vita sua desperare*, ait S. Hieron. in Psal. 107. *Nemo timeat, nemo debet dicere: si semuero, unde habeo vivere? si infirmus factus fuero, unde vivo? Christum habes, & times? si volatilia pascit, dubitas: quòd possit te pascere? Diabolus pascit suos homines, & Christus non pascat servos suos?* tenuis quidem videri posset commeatus, milites Dei sustentari solâ aquâ & pane, nullô aliô accedente condimentô; sed hem! profitetur Scriptura Sacra Sap. 16. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem.* Quòd si in hoc uno edulio, cujusvis obsonii sapor pro voto respondit omnium palato, certè nec his aquis mellis dulcedinem abfuisse credendum est. Quid? cùm jam cupedias cœlestes nauscarent, carnibus inhiantes, asseritur: coturnices in circuitu castrorum itinere unius diei è cœlo demissas esse, eô numero, quem numerari non posse canit Propheta regius Psal. 77. *Pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata &c.* Habe igitur morem ô Christiane Lector! monitis S. Petri, vî quorum vult omnem sollicitudinem nostram projici in Deum. *Projici* inquam, non tantùm *reponi*; dum expressè utitur hôc vocabulô *projicientes*. Est autem magna disparitas, inter hæc duo, dum res projecta censetur penitus abjecta, repositа verò aliqualiter saltem reservata. Jubet ergò Divus Petrus: omnem prorsus curam de bonis temporalibus, victum & amictum concernentibus, in divinæ Providentiæ

dentiæ finum penitùs abjici. Hiscè Petri monitis præluserat summus ille, & jam citatus divinæ Providentiæ Panegyrista David Psal. 54. cantans: *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* S. Cajetanus Theatinorum Fundator tantam fiduciam fundaverat in his verbis: ut filios suos ne quidem à fidelibus eleemosinam petere voluerit, & tamen tot jam annîs largiter pastos vidit Orbis. Seraphicus Pater Franciscus in generali Conventu fratrum suorum, quem ipse primus celebraverat; cùm quinque millia virorum confluxissent, ipsissima verba præstantissimi ferculi loco eis apposuit. Aderat Francisco Patriarcha Dominicus, cui videbatur, sapere nonnihil aliquam Dei tentationem, si tam copiosæ multitudini de alimentis non prospiceretur. Sed ecce! ex omnibus finitimis urbibus & pagis fit concursus hominum, varii generis commeatum, suppellectilem & vasa deferentium. Tam evidentî Providentiæ divinæ testimoniô confirmatus Franciscus poterat Pontifici suscitanti, quis suos aleret? meritò reponere: *Matrem quidem habemus pauperem* (Religionem) *sed Patrem divitem in cœlis* Francisci exemplô roboratus Patriarcha Dominicus, dum Romæ fratribus stipem mendicantibus nec mica in eleemosinam cessisset, jussit nihilominùs mensæ vacuæ omnes assidere: & subitò comparuêre duo juvenes, qui panes miri candoris apposuêre, incipientes abeo, qui infimô locô consederat. S. Ignatio Lojolæ divinæ providentiæ filio bilem videbatur movisse non nemo asserens: Miraculum esse, quod tantîs temporum angustiîs tot socii alerentur, respondebat enim: hoccinè miraculum, ut appellas? miraculum esset, si res aliter se haberet P. Rhoexmp. l. 2. c. 5. Quare Hugo Cardin. Verba Christi Matth. 6. dicentis; *Respicite volatilia &c.* interpretatus ait: *verisimiliter exponi possunt hæc de Religiosis, qui nec serunt, nec metunt, & nihil in terra quærunt: atque ab omni mundana sollicitudine semoti, solâ contemplatione in cœlo degunt.* Quô ergo Christiane Lector minor tibi fuerit cura de rebus, ad victum necessariis: eò major erga te erit Dei providentia & largitas. Quin imò justam Dei in te provocabis Iracundiam, si cum *ingredulo Moyse* ob nimiam sollicitudinem de divina dubitabis Providentia. Dico: *Ob nimiam sollicitudinem:* non enim damno laborem, qui victûs acquirendi causâ adhibetur, ne videar ad otiandum tibi aperire januam: *Solliciti esse vetamur*, ait Author imperfecti operis: *laborare autem jubemur; sic enim Dominus loquens ad Adam non dixit: cum sollicitudine tibi facias panem, sed cum labore & sudore faciei tua &c.*

N.160. *Considera* 2. Tantò majus obstaculum homines esse habituros in possidendis bonis cœlestibus quantò fuerit eorum major affectus ad comparanda bona terrestria, prout testatur S. Scriptura cap. 21. Israëlitis displicuisse cœlestia fercula, quando recordati sunt carnium Ægypti. Ingeniosum est illud S. Augustini dubium, scribentis in 15. cap. Genes. ubi quærit: cur Deus solis arboribus & plantis non benedixerit, creaturis aliis benedicens? sed hoc ipsum resolvens dubium, respondet; hoc ea de causa factum esse, quòd arbores & plantæ per radices & fimbrias suas terræ inhæreant, de cœlestium in fluxu parum sollicitæ. Cum autem teste Philosophô homo dicatur *inversa arbor*: hinc Deum intimâsse, illos homines cœlestibûs donîs ac influentiîs esse indignos, qui arborum instar suis affectibûs terræ essent infixi. Diogenes cæcus Idololatra hoc ipsum sine laterna clarè intuebatur. Quare dum supremum jam duceret spiritum, hoc testamenti tabulîs cautum reliquit: ne cæterorum hominum more supinus mandaretur terræ; se namque non dubitare, futurum aliquando, ut mundus tam perversus rursùm convertatur. Tum porrò aliis in terram pronîs, se faciem in cœlum erectam habiturum. Talem sepulturam viri sancti, ante physicam mortem civiliter & moraliter jam mundo mortui, sed cœlo viventes, sibi elegêre, Isaiæ monitis obsecuti, cap. 40. dicentis: *Levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc.* Hos inter Primatum tenuit Turonensium Præsul, qui jugî aspectu inhærebat cœlo, eaque nota à cæteris mortalibus dignoscebatur, ut nomen isthoc sortitus sit *suspex cœli.* Cumque lethali febre correptus jaceret, oculîs in cœlum erectîs rogatus est à discipulis, ut corpore tantisper versô quiesceret, dum vis morbi remitteret: sinite me, ajebat, cœlum potiùs quàm cœlum videre, ut suô jam itinere iturus ad Deum spiritus, dirigatur. S. Macarius supernis tantummodo inhæsurus, se cum decreverat: quinque integrîs diebus ita mentem componere cum Deo, ut aliud non cogitaret, quàm cœlum & Deum. Eô fine casulam suam concluſit, nulli hominum responsum daturus. Vix biduum exegerat: cùm ecce! Dæmon prægnoscens, quantîs vir iste è cœlo foret replendus donîs & gratiîs, si præsignatô tempore mera cœlestia tractaret, casulam incendit tam voraci flammâ, ut etiam storea, cui vir sanctus insederat, cœperit ardere. Utinam Christiane Lector unâ tantùm per diem horulâ cogitationes tuas, terrenis rebus abstractas cœlestibus infigeres! ò quot benedictionibûs,

nibûs, quot gratiîs abundares ! eveniret tibi per brevî, ut cum S. Paulo rerum terrenarum pertæsus exclamares : omnia arbitror ut ſtercora. Nam certa res eſt S. Gregoriô Homil. 11. in Evangel. teſte : *Qui cæleſtis vitæ dulcedinem cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter relinquit, quia in comparatione illius vileſcunt omnia.* Sicut enim naturalî ordine, ubi ſol ſuos explicavit radios, illicò minora lumina ſuos abſcondunt ſplendores, ac deſinunt videri: ita omnis auri fulgor, gemmarum nitor, facierum pulchritudo, ad unius cœli, benè conſiderati ſplendorem, in Chriſtiana occidunt anima, æſtimarique deſinunt. Finge tibi hominem, ignobili in tugurio natum, & potiorî vitæ tempore ibidem nutritum eſſe. Hic planè ſuum apprimè laudabit domicilium, paucos ei pares, vix dum ſuperiores dari in orbe lares credit, donec aliquando in amplam urbem divertens, aſpiciat Palatia, in Palatiis excultas tapetibus cameras, cryſtallô illuminata cubicula. Talibûs visîs ſtupore defixus incipiet hærere, ac tum primò ſuum ſibi mapale ſordeſcere, omnia in illo nimìs vilia, nimìs anguſta, ac penitùs nihil habenda videri. Sic eveniet illis, qui diu terrenis immerſi, arbitrabantur par, aut ſuperius illîs bonum non poſſe reperiri. At quamprimùm mentis ſuæ oculis cœperint cœleſtia contemplari, jam voluptates omnes, honores & divitias, quas antea tanti fecerant, in cœleſtium comparatione incipient contemnere, & pedibûs calcare, cum Ignatio Lojola exclamantes. ò quàm ſordet mihi terra, cùm cœlum aſpicio. Id ipſum tibi continget Chriſtiane, ſi talem egeris Aſtrologum. Quare Moyſen imitaturus, pone ante oculos mentis tuæ cœleſte illud ſidus, ſerpentem, figuram crucifixi Salvatoris, in quo latent omnes delitiæ & divitiæ cœleſtes. Cerne : quomodo ille terrenîs omnibûs amore tui nudatus è ſtipite pendeat, ut tu illius conſideratione diſcas te quoque exuêre terrenîs omnibûs, in æternum cum ipſo cœleſtia poſſeſſurus.

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 22. 23. & 24. lib. Numeri, in quibus deſcribitur correptio Balaam Prophetæ facta ab Angelo & Aſina loquente. Data Iſraëlitis Benedictio à Balaam & votum de morte Juſtorum. Tertia denique Benedictio Iſraëlitarum & Vaticinium de futuris &c.

N.161. *Considera* 1. QUàm vehemens sit passio auri argentiqúe cupido, quando hæc semel firmam egerit radicem in pectore humano. Enim verò licèt Angelus à Deo missus sit, qui Prophetam Balaam, à Balac pretiô inductum, nitebatur avertere obsidendô viam, ne pergeret ad maledicendum Populo Dei: imò licèt asina in humanas erumperet voces, eum acriter reprehendens: attamen auri cupiditate eò adactus est, ut hæc omnia etsi fortissima repagula perfringere conaretur, inceptum prosecuturus iter. Poterat olim Josue solem & lunam sistere dicendô cap. 10. *Sta sol, ne moveare contra Gabaon, & luna contra vallem Ajalon.* Sed avari illius Achan cupidinem, quâ flagraverat, sistere non potuit. ò quàm verissima igitur sunt S. Chrysost. Homil. 6. in Matth. scribentis verba: *Tam atrox*, inquit ille, *est pecuniarum cupiditas, ut licèt alioquin virtutis simus Alumni, nihil tamen divitiarum appetitione impediti proficere possimus: quare non injuriè S. Paulus eam omnium malorum radicem appellavit.* Enim verò illa rapuit & abstulit Sacrificia, Deo vero debita, & jam destinata eô tempore, quô Hebræorum populo præsidebat Jojadas Rex. Illa Idololatriam introduxit, dum Dei veri locô vitulum aureum in districtu Samariæ adorari fecit, atque imbelles Sacerdotes ferro & loricâ armavit, prohibituros, ne fidelium Jerosolymis fierint victimæ. Illa Hebræorum corrupit, ac depravavit Concilium, jussitque conclamare contra innocentiam Salvatoris. Illa, ut alibi jam fusiùs memini, ex Apostolo proditorem fecit. Illa denique Hæreseos pestilentiam intulit Ecclesiæ: nam Chrysost. teste Homil. 17. in 1. ad Timoth. *Tolle pecuniarum, & cessabunt hæreses.* Talia nonnihil exactiùs perpendens Christiane Lector, quid cogitas, qui diu noctuque corrodendis inhias pecuniis, & tamen tibi blandiris de non modica virtute, donandus aliquando cœlestibus divitiis? metuendum sanè: non Angelos cœlestes tantùm, sed infernales quoque asinos tibi iter ad cœlum præcluturos esse. Frustrâ nunc cum Baalam exclamas v. 10. cap. 23. *Moriatur anima mea morte Justorum.* Qui nihil magis odio habes, quàm voluntariam Justorum paupertatem. Si facilius est juxta æternæ veritatis effatum, transire camelum per foramen acûs, quàm divitem intrare Regnum cœlorum, qualem tibi de æternâ salute spem certam poteris fingere, nisi, dum adhuc vacat, inordinatum ad divitias exuas appetitum?

N.162. *Considera* 2. Quàm multos Christianos detur reperire, qui vel ex libris à se lectis, vel ex concionibus à se auditis Præconia cœlestis gloriæ

gloriæ extollunt, dicentes cum Balaam v. 5. cap. 24. *Quàm pulchra Tabernacula tua Jacob, & Tentoria tua Israël!* à fallaci tamen rerum caducarum pulchritudine seducti, tam parum se aptos reddunt, ad possidenda aliquando hæc Tabernacula, quàm parum se ad illa aptum reddiderat Balaam. Imitantur illi Saulem, qui plus laboris atque curæ impendit quærendis asinis, quàm acquirendo totius Israëliticæ Gentis Regno. Demades inter Græcos vir non obscuri nominis propter raram, quàm in pingendo possederat peritiam: cùm missus ad Philippum Macedoniæ Regem multa ab eo quæreretur, de amplitudine & venustate Athenarum civitatis, graphidos apprimè peritus, non verbis, sed lineis eam in tabula sic expressit, ut Rex Urbis potiundæ desiderio incensus, in hæc prorumperet verba: *Ut urbs hæc mea sit, vel ferrò vel auro efficiam.* Deus bone! rudis isthæc Athenarum adumbratio Philippum movit, ut quidquid laboris aut pretii insumendum foret, illius potiundæ causâ lubens libensque impenderet: & nos Christiani, qui tam vivis coloribus per vivam fidem depictam habemus cœlestem Jerosolymam, qui occulato testi Apocalyptico Joanni nuspiam contradicimus, hanc civitatem istis verbis describentis: *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo, & fundamentum muri civitatis, omne lapide pretioso ornata: & duodecim portæ, & duodecim margaritæ sunt per singulas; & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & plateæ civitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum.* Rarò, aut nunquam audimur dicere cum Philippo: *Urbs hæc mea sit, vel ferrò vel aurò efficiam.* Aurò enim nullus eâ potietur, qui non se strenuè exercuerit in corporalibus misericordiæ operibus, largus in erogandis in pauperes eleemosinis existens. Ferrò illam non assequetur, qui corruptæ naturæ per mortificationis gladium vim non intulerit, qui non acceperit crucem suam, ferreò cuspide transfixum secuturus Christum. Hoc satis noverat Martyrii laureâ insignitus ille Laurentius, qui ad superandam istam urbem & aurò & ferrò usus est; ut duplici hac armaturâ eò fortius impugnaret cœli mœnia, & eò certiùs expugnaret. Præmisit ergo aurum, quando manu liberalissimâ omnes thesauros Ecclesiæ in pauperes distribuit; dein subsecutus est ferrò, laceros artus, & multa sectione consciscos imponi permittens ferreæ crati. Et ò felicissimum pugilem! etiamnum inter mortales constitutus, jam videbatur urbis hujus deliciis immortalibus & pulchritudine frui, dum inter immanes pœnas exclamare auditus est: *Carbones isti non pœnam, sed refrigerium mihi præstant.* Te-

ste Heroldò c. 6. S. Chrysost. aureum illud eloquentiæ flumen auditus est dicere: se non tantùm aurô vel ferrô, sed patiendô ipsa Inferni tormenta (si necesse foret) effecturum, ut aspectu Christi per momentum frui liceret. Quid tu resolvis Christiane Lector? placetnè cum avarissimo Balaam ad breve tempus aurô, quod tibi Mundus offert ad obtinendas dignitates, ad ædificandas domus, ad adornanda convivia, ad ditandos propinquos, hîc frui: & in æternum cum illo cœlestibus Tabernaculis privari? placetnè, momentaneîs voluptatibûs hîc recreari, & cum Balaam inter æternos ignes lacrymari?

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 25. 26. & 27. lib. Numeri, in quibus describitur Israëlitarum cum Moab fornicatio, tristitia inde à Moyse concepta. Principum Populi pœna Patibulum. Numerus Populi iterum initus, filiis Core ab interitu reservatis. Electio Josue in Ducem locô Moysis morituri.

N.163. *Considera* 1. VEros Christianos Moysen imitari debere, quando audiunt ab illis gravia perpetrari peccata. Testatur de illo S. Scriptura v. 7. cit. capitis: quòd fleverit ante Tabernaculi fores, quando unus de filiis Israël, suæ libidini vacaturus, ad scortum Madianitidem intravit. Christus Dominus Lucæ 19. flevit non ratione proprii sanguinis fundendi à civibus Jerosolymæ, sed ratione scelerum & interitûs civitati imminentis, quem etiam hoc in passu secuti sunt Martyres plurimi teste Cassiodorô, qui non tantum pœnîs cruciabantur in corpore, quantum flagitiîs Tyrannorum afficiebantur in mente. *Supra mortuum plora*, hortatur Eccles. c. 22. *defecit enim Lux ejus, & super fatuum plora, deficit enim sensus.* Homo mortuus est per peccatum, cui adhæret. Lucem perdidit, dum gratiam amisit: fatuum se probat, quia privatus est prudentiâ Justorum, quæ animi vigor dicitur: sensit, amisit, quia res salutem suam concernentes instar cadaveris non sentit. Supra talem plora ò Christiane! *extraneum enim à charitate se fatetur*, ait S. Laurent. Just. in Fascic. amoris c. 14. *Qui peccanti non compatitur proximo.* Quis (nisi in marmorem durissimam transiisset) non teneretur compassione, quando horrendæ illius Tragœdia deberet agere spectatorem, quam Mexentius inusitatô & plusquam barbaro modô in scenam protraxit; viva corpora fœdissimis cada-

cadaveribus colligandô. Quis inquam hominem vivum cadaveri alligatum cernens, non ex compassione in lacrymas resolveretur? quid enim tam immanè, tam barbarum crudelitas unquam excogitavit?

Sed hem! eadem scena agitur cum peccatoribus, quorum ani- *N.*164. mabus in peccato mortuis viva corpora connectuntur. Hanc tragœdiam agitari cum suo prodigo filio viderat Evangelicus ille parens, eoque spectaculô sua viscera adeò commoveri sensit, ut fletu uberrimô suam testaretur commiserationem, quam indignè ferens senior filius à patre audiit. *Frater tuus mortuus erat, & revixit.* Mortuus erat in animâ, vivens in corpore, quod erat operibus deditum, quæ Apostolus vocat *opera tenebrarum*, opera planè mortis non vitæ; fieri solita inter obscœnos puellarum greges, inter ebriosos comilitones, inter libidinosos histriones, & ad quæ alludit Joannes Apostolus, dum cap. 3. ait: *Novi opera tua, quin nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Addamus Evangelicæ parabolæ historiam, à variis authoribus, quos inter Balingem, descriptam. Adolescens quidam insaniens amore Virginis Deo sacratæ, eò pellexerat, ut nocturnum tempus & fugæ, & explendæ libidini decerneret. Comparet destinata horâ propè Monasterium, ubi templum reperit apertum, quod ingrediens videt, stupetque omnia lugubrî ornatu instructa, consistente in medio funere, circum funalibûs illuminatô. Audit porrò Monachos protensîs supra faciem cucullîs officium defunctorum cantantes. Anxius & curiosus simul spectator, ut aliquem de ignotis cantoribus ob intempestivas exequias interrogat, in cujus gratiam illæ instituerentur? intelligit ab illo: in ipsius interrogantis gratiam agi omnia, quod & alius confirmat. Quare totus tremore perculsus incipit tragicum hoc spectaculum fugere: sed vix primum pedem è templo extulerat; duo Molossi speciêm nigerrimam induti, in eum insiliunt, & Amasiâ opportunè è muro spectante fugitivum discerpunt. Hem! vivam præmortui hominis imaginem, cujus defunctæ in vitiis animæ infernales parentabant larvæ. Sed quam illæ fictô animô peregerant parentelam, hanc tu Christiane Lector peragas verò & sincerô: quid enim lacrymîs magìs dignum, quàm animam Christi Domini pretiosissimi sanguine redemptam, & è faucibus mortis ereptam, denuò mori, & ab hac temporali ad æternam transire mortem? Cæterùm licèt Primates Popoli Israëlitici forsan deplorârint lasciviam plebis: jussi tamen sunt, è patibulis suspendi. cit. cap. ea de causa, quòd delinquentes non deterruerint à flagi-

flagitiis carnalibus, alienæ mortis spiritualis participes effecti. Colliges inde: non requiri tantùm à superioribus, ut moræ aliorum, conditione parium, defleant subditorum scelera, sed requiri vel maximè, ut ea impediant minis & pœnis, aut facta acriter puniant, sicque mediante pœnitentiâ ad vitam redeant, terrâ viventium aliquando æternum fruituri.

N.165. *Considera* 2. Non absque speciali Mysterio S. Scripturam cap. 26. v. 10. & 11. his uti verbis: *Factum est grande Miraculum: ut Core pereunte, filii ejus non perirent.* Nam Salvianô teste lib. 1. ad Eccles. Cath. penè omnes filii parentibus suis non magis in patrimonia, quàm in vitia succedunt: nec magis facultates paternas sumunt, quàm pravitates; & sic transeuntes semper in mores patrum, ante incipiunt eorum nequitiam, quàm substantiam possidere: bona enim parentum nonnisi mortuis eis possident, viventibus autem mores. Mulieri Samsonem parituræ Nazaræum, expressô prohibetur mandatô Judic. 3. *Cave: ne bibas vinum, quia paries filium &c.* Videbatur: non posse filium abstinere à vino, qui genitus esset à matre vino dedita. Quando Michol Davidem coram Arca saltantem arguit scurrilitatis, non est dicta uxor Davidis, sed filia Saul 2. Reg. 6. ut interprete Rabanô, illam superbiam à parente suo traxisse nosceretur. Hæc ipsa mulier ea de causa videtur sterilitate punita, ne filios generans, generaret superbos, tanquam partus superbæ matris, ventrem sequentes. Qui curiosius & accuratius apum formam figuramque explorârunt, caput bovis, ex quo prognatæ sunt, in iis deprehendisse ferunt teste *Aldrovandô de insectis.* Ego sanè persuasus sum, si quis intimas animi latebras juvenis aut puellæ studiosiùs introspiceret, veram parentum non quoad physica tantùm, sed etiam quoad moralia effigiem foret intuiturus. Quid inde parentibus sequelæ locô notandum restat, nisi sub gravissima culpa illos obligari, virtuosæ vitæ exemplô prælucere filiis: dum vivendô malè ad pares culpas & pœnas eos trahunt. Teste S. Ambrosiô luscinia nunquam amœniùs auditur cantare, quàm cum pullos suos educat: illi verò, qui è nido statim abrepti, in caveis adolescunt, nunquam eam assequentur in cantu perfectionem, eò quòd præcinentium exemplô careant. Quod parentibus maximo sit incitamento, ad vitam virtuosè instituendam eô tempore, quô filiis nondum adultis convivunt. Sint ergo frequentes in Templo, sint in oratione assidui, si volunt in filiis nutriri pietatem. Sint in sermonibus cauti,

in

in tactibus circumspecti, in gestibus decentes, si volunt in filiis castitatem & pudicitiam conservari. Cervæ cum serpentes devorant, nullum inde damnum sibi attrahunt, ab hac tamen abstinent, cùm lactant, ne catulis adhuc teneris noceant. Errant, & vel pessimè errant parentes, in præsentia filiorum talibus utentes loquelis, quibûs in cubiculo & thalamo uti assolent: non enim tam citò stuppa flammam, quàm depravata in tenera juventute natura talia imbibit, quæ dein necesse est, in incendium impuri amoris accrescere. Quare Christiane Lector, si parentem agis, ad omnia dicta & facta accuratissimè attendas, memor tremendi illius moniti Exodi 20. legendi: *Ego sum Dominus, visitans iniquitatem Patrum in filiis.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 28. 29. & 30. lib. Numeri, in quibus describitur lex de variis quotidianis Sacrificiis, Sabbathi, Calendarum & Azymorum. Lex de variis Votis.

Considera 1. QUàm varia fuerint veteris Testamenti Sacrificia in cap. 28. & 29. descripta, quæ tamen omnia etiam collectivè sumpta respectu unius Sacrificii, quod incruentô modô in Altari peragunt Catholici Sacerdotes, nil aliud sunt, quàm meræ umbræ: nam si perpendamus Rem in eo oblatam, excedit ea infinitiès omnia munera, vel olim oblata, vel unquam offerenda. Quid enim præstantius, quid pretiosius ipsô excogitari poterit Christo? hinc est, quòd intuitu illius nausea affici cœperit Deus erga res omnes, in veteri Testamento oblatas, per Malachiam cap. 10 testatus: *Non est mihi voluntas in vobis* (puta sacerdotibus legis antiquæ) *dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Et verò quis cupreum non aversabitur, & abjiciet nummum, cui ingens auri pondus offertur? cujus pretium Laurentius Just. lib. 1. de casto Connub. contemplatus, in hæc erupit verba: *Tantum planè est, ut nec humanus valeat explicare sensus, nec Angelicus intellectus: sed solus ille noverit, qui solus voluit, & potuit facere in eo tanta & talia, ubique omnipotens ubique gloriosus.* Debemus Deo, ut nemo negaverit, pro beneficio creationis & conservationis, gratias infinitas, & *N.166.*

has exsolvit Res in sacrificio Missæ oblata, quia est pretii infiniti. Debemus pro injuriis Deo per peccata illatis satisfactionem pariter infinitam, & hanc deponit Res illa, utpote valoris infiniti. S. Porphyrius Gazæ Episcopus Constantinopoli difficillimum expediturus negotium, cum Theodosium Arcadii filiolum tunc recens natum, à baptismali fonte referri vidit, libellum supplicem, purpuræ, quâ parvulas tegebatur, imposuit, quasi ipse infans parenti suo acceptissimus illum offerret. Quòd consilium tam feliciter cessit, ut Arcadius petitis illicò annueret, Idola destruens. Si tanti valoris est apud terrenum Principem à filio suo licèt rerum inscio facta oblatio, puta: quanti valoris futura sit oblatio illa, quàm filius Principis æterni, peragit eò modô, ut libelli supplicis vices ipse agat, non alienô tantùm ore, aut chartâ, sed propriâ loquens precansque lingua? quare meritò exprobat infelicibus Judæis Deus, quòd tot hostiis à se oblatis, id unicum efficere non possint, ut indignationem ejus mitigent. *Adipe victimarum tuarum non inebriâsti me.* Isaiæ 43. Hoc sanè nobis Christianis exprobare non poterit, apud quos vel unum Missæ sacrificium usque adeò inebriare videatur ejus Justitiam, ut manibus ejus extorqueat fulmina, quæ jam in capita peccatorum strinxerat. Nec est, quod hoc miremur fieri, eò quòd plus honoris Deo reddat filius in sacrificio oblatus, quam servus ei per peccatum abstulerat. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Si ergo tanti valoris, tanti pretii, virtutisque tantæ hoc incruentum est Missæ sacrificium, quanto erit à te Christiane in honore habendum? quanta cum devotione à Sacerdote celebrandum? quàm modestâ præsentiâ frequentandum? apud Sybaritas mos invaluit, mulieres integrô priùs annô, quàm ad convivium venirent, invitandi, quô interea se studiosiùs exornarent. Nec Reges Persarum ulli fœminæ se accedendi copiam fecêre, nisi integrô annô priùs excultæ. Patriarcha Jacob sacrificii nostri umbram oblaturus præcepit universæ domui: *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, ac mutate vestimenta vestra &c.* Quid putas: à Sacerdote Christiano requiri tam tremendum peracturo sacrificium? non metuis ergò ad Altare deferre cor, tot pravorum habituum Idolis repletum? si Betsamitæ tam graraves olim pœnas dedêre ob incautum Arcæ, figuram hujus sacrificii tantùm continentis aspectum, quid tibi continget, qui figuratum ore fœdô suscipis?

N.167. *Considera* 2. Quòd sicut sacrificia legis antiquæ ansam subministrave-

straverint, excellentiam sacrificii novæ legis deprædicandi : ita antiquæ legis vota occasionem præbeant, vota novæ legis, quæ secundùm evangelica emittuntur consilia, extollendi. Hæc Christus Eucharisticus suo condecoravit exemplô; dum primò quasi omni exutus ornatu sub modici panis & vini accidentibus voluit includi, rigidissimæ Paupertatis amator. Dum secundò purissimam triticei panis portionem ad consecrationem exigens, dedit clarissimum castitatis specimen. Dum tertiò voci hominis, Sacerdotem legitimum agentis, exactissimè obtemperans, cæcam protinùs voluit præstare obedientiam. Miram talium votorum excellentiam contemplans Glossa apud Plat. l. 2. c. 8. exclamat: *Alii vovent vitulos, alii arietes vel domos. Nazaræus seipsum. Hoc est Nazarei votum, quod est super omne votum : filius enim vel filia vel pecus extra nos est ; se ipsum verò Deo offerre non alienô labore sed proprio placere perfectius est, & eminentius omnibus votis.* Cùm enim homo totum suum esse pluribus ex titulis debeat Deo, quæso: per quid aliud huic obligationi satisfaciet melius, quàm per emissa Religionis vota? per paupertatem terrenis rebus in mundo possessis se exuens, divitem per ea facit Deum. Per castitatem cùm non tantùm illicitis, sed quoque licitis renunciet voluptatibus, corpus suum totum consecrat illi. Per obedientiam denique immolat animam suam, offerens unô actu arborem cum fructibus, & fructus cum fundo. Quid restabit ultrà, quod exigat à Religioso Deus ? Sancti Patres talium votorum, dum considerant præstantiam, non ambigunt religiosum statum ipsi Martyrio parem proclamare, verba melliflui Doctoris sunt Serm. 30. in Cant. *Illô, quô membra ceduntur ferrô, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* h. e. religiosa vita, in observantia trium votorum substantialium consistens, non quidem adeò horret externâ specie ut Martyrium, quô per rotas falcatas, per craticulas & flammas, per carnifices & bestias membra dirissimum in modum torquentur : sed durationè suâ longè pœnosius est. Illud enim unicâ quandoque horâ, unicô gladii ictu sortiebatur finem, hoc verò ad plurimos annos extenditur, corpore per abstinentiam à cibis, à voluptatibus cruciato, animâ verò in suis passionibus mortificata, juxta illud Prophetæ: *Quoniam propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Ut autem ovium non est, mortis sibi genus eligere, quod in ipsis pariter observatum Martyribus: ita Religiosos oportet, penitus resignatos esse, ad sufferenda quævis mortificationum tor-

menta sine eorum delectu. Sicut porrò communis SS. PP. sententia docet : Martyriô corporalî obtineri omnium peccatorum veniam, adeò, ut se injurium probet Martyri teste S. Augustinô, qui pro illius salute Deo supplicet : ita pariter profitentur, per religiosam Professionem omnem pœnam auferri, in purgatorio aliàs subeundam. ò quàm felicem te igitur reputes Christiane Lector, si divinæ obsecutus vocationi, tam nobile vitæ genus elegisti, per emissa vota totus transiens in Dei servitium. Verùm, quô major est felicitas tui statûs, tantò major tibi accrevit in exsolvendis votis obligatio : si enim Deus eô rigore sibi impleri voluit vota, in veteri Testamenta deposita, longè strictiùs exiget exsolvi vota, in novo Testamento emissa per actualem religiosi statûs Professionem. Vovebantur ibi, ut hoc cit. cap. testatur S. Script. res exigui momenti vel pretii, *animalia &c.* Voventur hîc res præstantissimæ, animæ videlicèt & corpora hominum. Si juxta effatum M. Gregorii in Regist. ad Venant. Ille mortis periculo se dignum fecerat, qui eos, quos dederat nummos, Deo iterum abstulit: quanto periculo exponet se ille, qui non nummos fragilem & fluxam terræ materiam, sed ipsam Dei vivi Imaginem, ei ad perenne servitium oblatam, præsumpserit votorum fractione auferre ?

FASCICULUS XXVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 31. & 32. lib. Numeri, in quibus describitur Victoria Israëlitarum de Madianitis reportata cum præda. Petitio Ruben, Gad & Manasse pro inhabitanda terra Jazer & Galaad.

N.168. Considera 1. QUòd sicut Moyses non potuerit antea morte sanctâ defungi, quàm felicî pugnâ decertâsset cum Madianitis hostibus ; ita nullus Christianorum piâ morte

morte transeat ad æternitatem, nî victoriosam præmiserit pugnam contra Dæmonum assultus. Si autem teste S. Scripturâ Proverb. 21. *Vir obediens loquetur victorias.* Planè non fortiorem ad devincendos ejusmodi hostes apprehendes armaturam Christiane, quàm obedientiam. Hâc ipsâ armatus Moyses adeò felicî successu debellavit præfatos Madianitas, ut omnes eorum Mares occiderit. Obedientiæ & orationis studiosissimus ille Monachus, *Cuno* nomine, adeò in mortis extremo conflictu roboratum se sensit: ut licèt quindecim millia Dæmonum ad expugnandum eum confluxerint, nihil tamen damni ab ipsis sit passus. Christus ipse solô obedientiæ gladiô mundum & tartarum prostravit. S. Joan. Climacus narrat, vidisse se in Monasterio quodam senes canitie venerandos, & annis seniô graves, ita ad obediendum, hucque & illuc discurrendum promptos & agiles, ut puerorum pedibus eos crederet incedere. Hos autem à se rogatos: quid tanto ex obedientiæ labore solatii hucusque retulissent? respondisse nonnullos: se hujus virtutis viâ ad profundissimam deveniisse humilitatem, & hac mediante à plurimis tartarei hostis insultibus in tuto positos esse. Ita ille c. 4. de obed. Meritò igitur exclamat S. Greg. lib. 4. Reg. *Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus.* Atque hinc concludit: *Victores ergo sunt, qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis perfectè subjiciunt, ipsi lapsis per inobedientiam Angelis dominantur.* S. Catharina Sueciæ, cùm aliquando infernalem Draconem gravissimâ contra se tentatione insurgere sensisset, ad potentissimam cœlorum Reginam supplex confugit. Et ecce! B. Virgo augustâ formâ comparet, non quidem per se ipsam latura auxilium afflictæ, sed datura salutare consilium, quô usa vinceret. Alloquebatur ergo devotam sibi famulam paucîs hîsce verbîs, dicens: *Matri, & Confessario tuo obedi.* Hoc consilium tibi pariter dictatum puta Christiane Lector, cujus vita aliud nihil, nisi continua cum tentationibus militia: ergò: ut tam periculoso in certamine cum S. Catharina Victor evadas, Parentibus tuis aut Superioribus exactissimam obedientiam præsta; nec minùs Confessarii tui imperiis acquiesce, vel maximè illis, quæ occasiones peccati propinquas fugere jubent: ne cum Principibus & Ducibus Judæorum, contra imperium expressum Moysis fœminas cædi subtrahentibus, te in pericula lapsus conjicias. Prophetam igitur imitare regium, in vitanda occasione mala tam obedientem, ut ad se hac super re strictissimè examinandum provocârit

Deum, inquiens: *Interroga me, & cognosce semitas meas, & vide si via iniquitatis in me?* Psal. 138. Imiteris pariter Eliam Prophetam, qui licèt in Prodigiis esset omnipotens, oris sui imperiô clauderet cœlos, ignem ad comburendos sacrilegos è nubibus adduceret, haberet promptissimos ad sua obsequia Angelos, castitatis & continentiæ donô maximè præfulgeret, & cum Deo ipso mirâ uteretur amicitiâ, Jezabeli nolebat colloqui, ne alicui lapsûs periculo se committens, tartareis hostibus ad se vincendum monstraret viam.

N.169. *Considera* 2. Quàm multos socios modernô tempore numerent filii *Ruben* & *Gad*, qui neglectâ, vel parùm æstimatâ promissionis terrâ, melle & lacte uberiùs fluente, petierant à Moyse cit. capitis v. 5. Sibi concedi terram *Jazer* & *Galaad* possidendam, hujus petiti causam assignantes, in eo positam: quòd abundent *jumentis &c.* ita proh dolor! plurimi Christianorum, quos inter forsan tu non postremus, nihili curant cœlestem Patriam, ad quam omnes vocamur, æternùm possidendam: dummodo illi in Mundo Bonis abundent. Hoc autem ea pariter contingit ex causa, quòd nutriant multa *jumenta* passionum & affectuum inordinatorum, avaritiæ, luxuriæ, intemperantiæ &c. quæ copiosô terrenarum delitiarum pastu cupiunt hîc saturare. Nonne tales meritò in se divinam provocant vindictam, nunquam cum Israëlitis viatoribus visuri promissum Chanaan, sed in deserto æternæ damnationis variis tormentis & miseriis affligendi? resipisce ergò Christiana anima, tot graviter errantium exemplis perterrita! quid commune cum terra tibi, quæ profiteris genus de cœlo? cultrô mortificationis macta jumenta passionum tuarum, ne ea cum tantô salutis tuæ dispendiô nutrire cogaris. Imperat Moyses filiis Israël v. 35. cap. 33. ut dispergant cunctos habitatores terræ. His mandatis moraliter acceptis morem geras, dispergendô cunctas passiones terrenis rebus affixas, confringendô etiam *titulos* & *statuas* vanarum phantasmatum, quæ caput tuum occupant, & à cœlestibus avocant. Promisit tibi Deus Regnum, sed quod vim patitur, à solis rapiendum violentis. Nec ipsis Angelis concessum est hoc Regnum absque labore, quare Lucifer Isaiæ c. 14. exclamans: *Super Astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti*, ocius divinum audiit fulmen: *Verumtamen in Infernum detraheris in profundum laci.* Ecce! sessionem quietam cùm appetat, in cœlesti Regno absque prævio labore possidendam, hinc expellitur æterno subditus labori. Quando Christus Dominus

minus cum insigni comitatu cœlum ascendit, resonabant voces istæ: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ?* Psal. 23. Attamen non priùs portæ videbantur aperiri, antequam præmissa quæstio: *Quis est iste Rex gloriæ?* per Responsum hoc: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Fuerit soluta. Ergò Regnum Dei ne Ipse quidem naturalis hæres absque calcato mundo & superatâ passione consequitur. Optimè igitur cum Seneca in consolat. ad Martiam cap 17. dixero: *Delibera tecum, & perpende: quid velis? ut in illa venias, per ista exeundum est.* Regnum cœleste cum Christo assequi cupis, sed viam, quam trivit ipse, fugere non debes. Deliciîs æternîs cùm ipso frui appetis: sed adversa cum Ipso perpeti non recuses. Sedere cum ipso affectas, sed hîc inter oppropria infractus cum ipso stare debes.

Doctrina 2.

Desumpta ex residuis capitibus lib. Numeri, in quibus describitur lex de urbibus Levitarum & fugitivorum. Lex de conjugio non ineundo cum diversa Tribu.

Considera 1. DEum non absque speciali Mysterio imperâsse, omnes Civitates Refugii ab unica Tribu Levi dependere debere: ut videlicet homines alienum sanguinem fundentes à Levitis susceptì, in loco tuto ponerentur, non tantùm vitam corporis, sed & animæ apud eos reperturi. Quòd olim fuerant civitates refugii, nunc sunt moraliter loquendô, Confessionalia, queîs soli Sacerdotes præsident. Ad hæc peccatrix anima post commissum non simplex tantummodo homicidium, sed immanè ac barbarum illud filii Dei parricidium ablegatur, per dolorosam peccati confessionem in tuto ponenda. Cur ergo Christiane peccator non illicò post perpetratum tale nefas refugis ad isthoc asylum? repones forsan: à verecundia tibi viam præcludi. ò quàm inanis & stolida est hæc remora! audi Chrysostomum tibi respondentem: *Cur confunderis dicere, quod non es confusus perpetrare? cur vereris Domino indicare, quod non es veritus eô ipsô præsente committere?* de Sacerdotibus Levitarum vices in confessionalis asylo agentibus testatur Oseas c. 4. *Peccata populi mei comedent.* At quid per hoc aliud innuit divina Sapientia; nisi peccata populi per confessio- N. 170.

fessionem detecta, instar cibi ab illis in stomachum transmitti, ut ibi in aliam substantiam mutatis, jam nullum ampliùs superstit vestigium, quod bonæ pœnitentis famæ obesse valeat. Tam strictum adhæc divina Providentia sigillum confessionis ordinavit; ut juxta communem moralium Theologorum Doctrinam nullis verbis, nullo oculorum signo, nulla vultus severitate fas sit confessario, pœnitentis propalare delictum; adeò, ut teste S. Anton. Patav. Serm. 2. in Dom. 2. quadragesi. quicunque discooperuerit confessionem, graviùs peccet proditore Judâ, qui Dei Filium Judæis vendidit. Dicam ergò cum S. Augustino lib. 1. de visit. infirm. c. 5. *Melius est coram uno* (ad tam strictum silentium obligato) *aliquantum ruboris tolerare, quàm in die Judicii coram tot millibus gravi repulsa denotatum tabescere.* ò quanta tibi obtingeret confusio, coram universo mundo de tuis peccatis accusari, & hoc non ad remedium, sed ad perpetuam damnationem? si refugis momentaneum pudorem, quomodo subibis æternum? & nonne ipse Sacerdos, quem adeò extimescis, erit inter illos unus, quibus in extremo judicio omnia patefient scelera tua? cogita insuper cruciatus illos, quos adhuc vivus pateris: quamdiu vereris, crimen commissum Sacerdoti detegere. Nunquam lætum diem, ne quidem horam hilarem ages. Homo circumferens putridum dentem, donec chirurgo illum monstraverit extrahendum, non vivet sine dolore, non cubabit sine inquietudine; & qui Pleuritide laborat, si interni Apostematis pus non exspuat, à morbo ejusque doloribus non liberabitur. Ita qui ulcus peccatorum suorum non coram confessario aperuerit, à gravissimis vulneratæ conscientiæ cruciatibus non liberabitur unquam. Cæterùm sicut Homicida ad Civitatem Refugii se conferens, non antea securus poterat prodire in forum, quàm mors obvenisset Pontificis: ita peccator, qui victâ tandem verecundiâ confugerit ad Asylum Confessionale, sua ibidem detegens peccata, non poterit illud Refugium securus egredi, antequam applicatâ sibi per absolutionem Sacerdotis Passione & Morte Christi summi Pontificis egrediendi copiam obtinuerit.

N. 171. *Considera* 2. Christianos homines Bona animæ apud se retenturos, debere obsequi mandato Dei, capite 36. dato, ubi præcipitur filiabus Israël: nullis aliis nisi Tribûs suæ viris nubant. Ita te jungas illis tantummodo sociis, qui paris bonæque conditionis statûsque sunt. Filii Israël vix alienigenis commixti perdidêre veri Dei Cultum, the-

saurum

saurum planè præstantissimum: *Didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum.* Homo speculum imitatur, naturâ suâ ad eorum imitationem inclinans, quos habet familiares, & hinc asserit S. Laurent. Justin. de discipl. Monast. conv. c. 4. *Necesse est, ut talis efficiatur homo, quales sunt, cum quibus conversatur.* Elisæus & filii Prophetarum conjuncti Eliæ, ejus zelum & heroicum animum imbibêre. S. Paulo associatus non potuit aliter, quàm divinô Spiritu flagrare. Isaias admissus ad consortium Angelorum, in alterum transiit Angelum. Incessisse se in mera vitæ Innocentia profitetur regius Vates Psal. 25. Sed rationem causamque hujus illicò subnectit. v. 4. cantans: *Odivi Ecclesiam malignantium.* Philo Hebræus subtilî quærit indagine; unde venerit, solem & lunam unicô tantùm præceptô terram illuminare jussos, tam exactè tali mandato hucusque obsecutos esse, ut nunquam contrariô illud violaverint actu? Hoc verò dubium resolvens asserit: *Malitia procul terminis cœli exulat.* Quasi diceret: solem & lunam absque ullis tenebrionibus versari in cœlo, à quibus timere possent, sibi aliquas affundi tenebras. Vide ergò Christiane Lector mores eorum, quos tibi familiares habes socios? si Religiosus aut Sacerdos es, cur tam frequens tibi commercium cum personis sæcularibus? si vir es, cur consortia fœminarum tam crebrò quæris?

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Deuteron. in quibus describitur Iter Israëlitarum, & quomodo illi ad possidendam terram promissam & debellandos hostes animati sint, multosque expugnârint.

Considera 1. MIrum esse: quòd Deus omnipotens hîc videatur aliquam prodere imbecillitatem: cùm asserat cit. capite 1. pugnaturum se cum Israëlitis contra eorum hostes: quasi verô solus non sufficeret, illîs penitus delendîs, sed adjutrice hominum manu indigeat? Verùm absit à Christiano: tam sacrilegam fovere opinionem, quin potiùs cogitet: Deum per hoc animâsse Israëlitas ad prælium fortiter ineundum, ut & ipsi admovendô manus operi, suo non desint officio confisi, non defuturum sibi auxilium. Verba S. August. sunt: *Deum esse adjutorem, ut etiam homines agant aliquid.* Poterat olim Christus cæco integrum solus reddere lumen absque eo, *N*172.

quod aquîs uteretur, ut oculos ablueret: at noluit hoc ei præstare, innuens; in causa salutis nostram quoque requiri industriam. Petrus Actorum 10. vidit apertum cœlum: sed debuit priùs ascendere in superiora domûs, cœloque pedibûs quantum poterat, appropinquare. Non antea mortuus revixit 4. Reg. 4. quàm Elisæus se inclinâsset super eum, & fecisset calidam pueri carnem. Meritò Cain crudelis ille lanio tartareas inter tenebras & rogos gemit, utpote qui etiam à Deo ad pœnitendum instigatus, nec parvum ex parte sua veræ pœnitentiæ dedit indicium. Fuerat ille arborum una, de quibus postea auditus est dicere Christus Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Quid ad hæc tremenda Christi fulmina respondebunt sectarii nostrorum temporum, qui specialî, ut vocant, nituntur fiduciâ, quâ cœlum à se certò possidendum credunt, licèt manus non applicent operibus, quibus comparatur cœlum. Vocant se hæredes Dei & cohæredes Christi Rom. 8. at considerent: quid his hæredibus agendum præscribat Apostolus tanquam conditionem sine qua non, asserens: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur* Rom. 21. dicunt, sibi coronam æternæ repositam esse gloriæ. At perpendant: quid hac de corona profiteatur idem Doctor Gentium 2. Timoth. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Non dubitant: se cœleste Palatium intraturos. Sed audiant Janitorem, qui Matth. 7. clamat: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum &c.* & Lucæ 6. *Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis, quæ dico?* obtinuêre Hebræi fideles terram Promissionis, non fide solâ, sed præliis heroicâ virtute superatîs. Assecutus est Jacob Israëlis nomen, nempe *videntis Deum*, sed postquam non nomine tantùm, sed & omine luctatorem egit. Poterant sibi spem facere filii Zebedæi, de Principatu in Regno Christi acquirendo, sed tunc primùm, quando quæsiti à Christo Matth. 20. *Potestis bibere calicem?* Responderunt: *Possumus.* Quare etiam Romani Gentiles teste August. de civit. Dei. l. 5. Templum honoris & virtutis ita contigua exstruxerant, ut honoris Templum intraturus, debuisset priùs Templum virtutis intrâsse. Quis Sacri Evangelii vel à longè peritus ignorat, quid evenerit ficui, quæ foliis tantùm instructa, fructibûs carebat Christo offerendîs. Nonne hæc divinâ voce arefacta est Matth. 21. & alia Lucæ 13, plantata, nec tamen integrô trienniô ullîs fructibûs fœcunda, jussa est exscindi? nihil refero de fatuis illis virginibus, quæ gloriari quidem poterant, se ad

solemnes

solemnes Nuptias solemniter invitatas esse, sed serò dolore conquæstæ sunt, repulsam se esse passas, quando cœlestem portam pulsârunt, non provisæ oleò, bonorum operum symbolò. Scio Catholice Lector, dissentire te Sectariorum Doctrinæ, convictum de necessitate bonorum operum ad consequendam animæ salutem. Verùm malè metuo, ne Doctrinam, quam Verbò profiteris, neges factò. Enim verò cerne: quàm parcus sis in dandis eleemosinis? quàm rarus in observandis jejuniis ab Ecclesia præscriptis? quàm indevotus in audiendis sacris, in peragendis precibus? vide: quàm imperfectus sit dolor, quò sacrum pœnitentiæ Tribunal accedis? quàm inefficax propositum, quod confessioni vel absolutioni præmittis? quàm distracta tibi sit persolutio injunctæ pœnitentiæ? perpende: quàm delicatus sis in mortificando corpore, in frenandis passionibus, in suprimendis motibus? excludêris hêrcle à terra Promissionis, si pro obtinenda ea cum Israëlitis neglexeris bonis operibûs pugnare. Panicus timor est, quò multitudinem passionum tuarum considerans, incipis animîs cadere, exclamans cum Israëlitis v. 29. cit. capitis: *Maxima multitudo est, & nobis staturâ procerior.* Uti enim Deus ad operandum, & strenuè pugnandum vult manibûs tuîs ceù instrumentîs & armîs uti, ita pariter paratum ad omnia tibi offert concursum, qualem obtulit Israëlitis, ut docuêre præcedentia.

Considera 2. Mysteriò non carere: quòd Deus voluerit Israëlitis Viatoribus tam multos opponere hostes, quos successivè haberent debellandos: ut videlicet ad otium à natura corrupta pronis, aliquid continuò præ manibus essent, quò se occuparent, non moralî tantùm in labore, de quo mox egeram, sed etiam physicò exercendi; certissima enim res est, & tam pudendò Israëlitarum lapsu probata, validum corpus otio deditum, in omnia ruere vitia. Unde S. Augustus. Serm. 17. ad ſt. ait: *Hæc est illa vitiositas pessima, quæ frequenter Sanctorum conventus destruit, pariens in eis Luxuriam, nutriens in eis gulam, seminans in eis zizania, generans inter eos homicidia, & omnia, quæ sunt, opera carnis.* S. Matthæus describens Parabolam expulsi ab homine Dæmonis, meminit: quàm mirâ industriâ & arte ad ipsum redire studuerit, longè pejorî modò ipsum afflicturus, quàm ante. Sed quid tandem ei accessum paravit? en! respondet sacer textus: *Veniens invenit eum vacantem, tunc vadit, & assumit &c.* cap. 12. v. 44. Ergò solùm otium huic hosti aperuit ostium, per quod intrans non solus ipse, sed septem aliîs nequio- *N.* 173.

ribûs stipatus vacantem occupavit domum. Nemo est, qui dubitet: temporibus Anti-Christi humanam malitiam summum apicem scansuram. At quid aliud nisi vitium otii ei gradus subministrabit? refrigescet tunc charitas attestante Christô: frigus autem est symbolum otii; hoc enim contrahens hominum membra à libero motu illa impedit. Unde legitur in Proverbiis: *Propter frigus piger arare noluit &c.* Sanè, quod ligno est vermis, tinea panno, domui ruina, terræ sterilitas, aquis putredo, aëri pestilentia, hoc homini est otium. *Sicut terra*, inquit aureus Orator Homil. 7. in 2. ad Corinth. *non occupata semente, aut consitione, quamlibet herbam producet: sic & anima quoties non habet, quod agat rerum necessariarum, cùm omninò cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit.* Nemo Samsonem cum Philistæis certantem vincere, aut vincîre potuit. At ubi in sinu Dalilæ obdormivit segniter, victus vinctusque est. Nulli libidinis stimuli pupugêre, ne dicam stravêre regium Vatem, quamdiu in acie stetit inter labores, at ubi domesticos inter lares otio indulsit, igneô telô trajectus, in turpe adulterium præcipitatus est. *Otiô periit Roma orbis Domina*, ait S. August. at quid illâ fortius, quid illâ invincibilius exstitit, quamdiu otio fores præclusit? Surius 2. Maji historiam narrat, proposito nostro peraccommodam. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus per magnam urbis partem in Sacram pergens ædem, conspexit in paupere tugurio matrem viduam cum tribus filiabus lanificô opere strenuè occupatas, quarum sedulam operam dum attentiùs speculatur: Angelos domunculæ hujus tecto insidentes aspicit. Quô velut cœlestî auguriô optimè de hac familia ominatus, liberali manu earum inopiæ subvenit. Verùm aliâ die hoc ipsum pertransiens tugurium, jam totô cœlô diversam intuetur rerum faciem. Non jam Angelos, sed deterrimos cacodæmones ludere in tecto videt: quare nil boni de incolis suspicatus, ut introspexit; non labori ampliùs, sed otio & luxui vacantes, suoque singulas cum proco ludentes reperit. *Mali corvi malum ovum*, asserit Sanctus Bernard. lib. 1. de Consid. ad Eugen. *Otio velut janua utitur Dæmon: ut illicitas carnalium cogitationum illecebras etiam in purissimas mentes insinuet.* Quare ò Christiane Lector! sicut homini peste infecto nullum domûs tuæ angulum concedes, in quo divertat, ita nullum tempus, etiam minimum otio indulgeas. Si vel per horulam unam stertentem otioque solutum te aspexerint Dæmones: ut vultures ad cadaver, ut muscæ ad saccarum, ut harpyæ ad mensam turmatim advola-

volabunt stygiæ hæ aves ; adeoque certandum tibi erit cum innumeris, qui laborioſus ante unum habueras inimicum.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Deuteron. in quibus describitur Moysis à terra promissa exclusio. Legis olim jam datæ, quando Deus in flamma apparuit, repetitio.

Considera 1. ET simul obstupesce: quòd Moyses charissimus Dei famulus, tot annis summâ prudentiâ regens Populum, ad terram Chanaan ducendum, tot labores pro gloria Dei æquò animô perferens, tot molestias vincens : cùm summô teneretur desiderio ingrediendæ Terræ Chanaan à Deo promissæ, & repetitis vicibus pro hac gratiâ fieret supplex, repulsam pati cogatur, his verbis expressam : *Nequaquam ultrà loquere de hac re ad me.* v. 27. citati cap. Quid quæso causæ latet : Deum erga servum tam benè de se meritum, adeò (si fas est loqui) durum se monstrare ? videtur hoc dubium clarîs resolvere verbis clarissimus Doctor Petrus Cellens. dum lib. de pan. c. 11. hæc scribit ; *Omnipotens & misericors Deus idcircò terram morientium negat, quia ad cœlum Moysis animam sublevat.* q. d. taliter erga fidelissimos sibique charissimos Deus se gerit servos : denegat ipsis terrestre Chanaan, transitoriô deliciarum melle ac lacte fluens, ne eô fruentes periculum subeant perdendi cœleste. Id jam olim probaverat in Abrahamo, quem idcircò è paternis evocavit laribus Genes. 12. imperans: *Egredere de terra tua &c.* at quô aliô fine, nisi quem verba immediatè subnexa exprimunt ? *& veni in terram, quam monstrabo tibi &c.* Hoc ipsum strenuè declarans S. Chrysost. Homil. 1. in Matth. asserit ; *ut sciant omnes, quicunque voluerint esse filii Abrahæ, & terram hanc promissionis accipere, de qua scriptum est : credo videre bona Domini in terra viventium ; quoniam bona sua debent contemnere, sicut Abraham terram suam contempsit.* S. Franciscus Sales. p. 1. lib. 2. de amore Div. quarundam meminit avium, quas *Apodes* vocant, instructas tibiis valdè brevibûs, & pedibûs omnî virtute vigoreque destitutîs ; hinc si aves illæ aliquando se in terram demiserint, quietem ibi capturæ, se denuò ad volandum erigere non valeant, crocitandô morituræ. Talium volucrum naturam imitari ait animas Christianorum ; hæ si affectu inordinatô temporalibus N. 174.

Bonis adhæreant, illicò futuro vitæ & felicitatis æternæ obliviscantur, haud aliter quàm crocitandô morituræ; dum temporalibus rebus penitùs immersæ, vim roburque gratiæ perdiderunt, per heroicos virtutum actus ad cœlestia sese elevandi, dilatâ usque ad finem vitæ pœnitentiâ. Quare ò Christiane! acquiesce consilio S. Hieron. ad Exuperant. Scribentis: *Projice sarcinam sæculi, & ne quæras divitias, quæ camelorum pravitatibus comparantur. Nudus & levis in cœlum evola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.* Non ægrè feras, si faustos, si voluptuosos, si divites â Deo dies in hac terra petens, repulsam cogaris cum Moyse ferre. Ascende cum illo *Montem* vitæ spiritualis, moriturus ibidem Mundo, ut vivas æternùm Cœlo.

N. 175. *Considera* 2. Moysen divinæ Visionis, quæ contigit in Rubo ardente hic recordantem, erudire Populum; quomodo Deus eidem omnem Idololatriæ occasionem è medio sustulerit. Enim verò si apparuisset in Throno eburneo, cedrino, vel aureo, videretur forsan occasionem aliquam dedisse, talibus magni pretii materiis divinum impendendi Cultum, fabrefactîs exinde Idolîs: hinc perditio tua ex te ò Christiane! si à Deo verô declinans, adores Idola creaturarum. Cogita quæso; animam tuam etsi nobilissimam non aliô fine insuflam esse *Luto*, quàm ut vilissimi Domicilii sui memor, omnî careat causâ, debitam Creatori suo subjectionem denegandi. Cogita; quomodo Deus tot rerum vicissitudines admittat in terra, ut nec minimam in ea constantiam quæras, sed hanc credas, in solo Deo inveniendam. Cogita: quomodo in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento singulîs momentîs tibi præstò sit, ut ansam non habeas conquerendi, te ab ipso derelictum, confugere debere ad creaturas, earum ope & auxiliô fruiturum. Certè nolis, velis exclamare cogeris. Hîc cum Moyse v. 7. capitis cit. *Nec est alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Et iste Deus vocat se *Ignem* v. 24. Significaturus per hoc: se instar hujus elementi in continua versari operatione, tecum concurrendô in omnibus, quin etiam inflammandô te, ut amore ipsius ea benè & meritoriè peragas, versu adhæc 25. *Æmulatorem* se nominat; ut intelligas, quàm ægrè ferat, si creaturam ei præponas, in cujus gratiam operis.

FASCI-

FASCICULUS XXVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 5. & 6. lib. Deuteron. in quibus describitur decretum de Cultu Sabbathi, Reverentiæ filiorum erga parentes. De Legis observantia & frequenti meditatione ejusdem.

Considera 1. DEum non quôvis modô, sed talî, qualem Ipse præscripserat v. 12. cit. capitis voluisse diem festum celebrari, dicens: *Observa diem festum, ut sanctifices illum*, impendendô videlicet solis operibus sacris, prout hoc declarat B. Petrus Dam. lib. 4. Epist. 16. scribens: *Christiane spirituale Sabbathum agere, est à laboriosa rerum terrenarum cupiditate quiescere, solis orationum ac lectionum studiis insudare, sæcularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere, ad contemplanda cœlestia totâ cordis intentione vacare, carnis oblectamenta contemnere, de sola spe cœlestium spiritualî jucunditate gaudere &c.* De Christo Joannes testatur cap. 7. quòd in die Festo ascenderit: indicans per ascensionem istam, Christianos Salvatorem suum in celebrando Sabbatho imitaturos, ascendere debere, non quidem gressibûs pedum, sed actibûs virtutum. In die Sabbathi curavit Christus mulierem inclinatam, erigendô illam. Hoc ipsum moraliter agat Christianus: animam suam, curîs & negotiîs sæcularibûs incurvatam ad contemplanda cœlestia elevet. Idem typicè mandabatur Exodi 16. ubi Judæis prohibuit Deus: Sabbathi die manna colligere, quod utique inclinatô in terram corpore peragendum erat. Sicut etiam gravissimam dedit pœnam homo, ausus sacrâ die ad ligna se incurvare colligenda. Intravit Christus Sabbathô, ut manducaret panem. Intres & tu Ecclesiam, ut ibidem animæ tuæ pabulum, quod est Verbum Dei, studiosè comedas, ne sacras conciones negligens conqueri debeas: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Psal. 101. Habet panis iste, ne fastidio sit, ipsius manna naturam, ut pulcherrimè probat Origenes Homil. 7. in Exod. scribens: si tu Verbum Dei totâ fide, & devotio- *N.* 176.

votione susceperis, fiet tibi ipsum Verbum, quæcunque desideras: v.g. si tribularis consolatur te, dicens: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudium dicens: *Lætamini in Domino, & exultate Justi.* Si iracundus es, mitigat te dicens: *desine ab ira, & derelinque furorem.* Si in doloribus es, sanat te dicens: *Dominus sanat omnes languores tuos.* Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: *Dominus allevat de terra inopem.* Quid ergo mirandum: si tam prætiosum fastidiens cibum, die Sabbathi à te sumendum, cum fastidientibus Israëlitis à Deo puniaris, nullum habens in tribulationibus solatium, nullam in paupertate stipem, nullam in fame escam?

Christus die Sabbathi sedens in Convivio, auditus est loqui de Convivio cœlesti, præpositâ illa Cœnæ Magnæ parabolâ, de humiliore loco semper eligendo, de invitandis pauperibus &c. quid quæso aliud per hæc dicta docere voluit Christianos: quàm sacras dies transigendas esse piis de cœlo colloquiis, legendis spiritualibus libris, instruendis in fide rudibus, consolandis ægrotis & tristibus, adjuvandis pauperibus, confortandis in bono piis, reducendis ad frugem peccatoribus? examina te nunc Christiane: an Sabbathum celebres eô modô rituque, quem mandatum Dei, quem exemplum Christi tibi præscribit?

Porrò: Dominus Deus hujus cap. v. 16. de reverentia parentibus exhibenda tractans, promittit filiis præmii locô longævam vitam; præmium sanè merito æquale. Æquissimum namque est, ut filiorum gratitudo, quam pro accepta à parentibus vita, illis exhibent, longiori ipsius vitæ, usu compensetur.. Quare S. Bernard. tom. 2. Serm. 17. refert: Adolescentem 18. annorum de certo quodam crimine convictum, è patibulo suspensum, repentinâ canitie obrutum esse, quô prodigiô docuerit, quòd ille ad grandævam usque ætatem devenisset, si debitam parentibus non denegâsset reverentiam. Videntur enim filii eâ lege hujus vitæ usuram accepisse à Deo & à parentibus, quâ lege Nobiles Feuda accipiunt à Regibus, quibûs nemo diu fruetur, qui debitam Regibus recusâverit fidelitatem & reverentiam. Hoc ipsum suô testabatur exemplô regalis ille filius Absalon, qui depositô omnî filialî amore & respectu, contra parentem assumpsit arma, eum Coronâ & Sceptrô privaturus, sed tribûs lanceis transfossus vivere desiit ea in ætate, quæ optimos solet dare vitæ dies.

Consi-

Considera 2. Quàm providè Hæbræi per Moysen admoneantur, *N.*177. de excessu in cibo & potu vitando, qui dum corpus ad vitia impellit, ex mente & anima solet expellere memoriam Dei, asserit ergo Textus v. 12. cit. capitis: *Cùm comederis, & saturatus fueris, vide diligenter; ne obliviscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti & de Domo servitutis.* Unde enim venerat: homines Noëmi tempore tot minîs ad meliorem vitam & veram pœnitentiam instigatos, omnem Dei memoriam exuisse, nisi ex intemperantia? de hac testatur S. Evangelium Lucæ cap. 17. *Edebant & bibebant, similiter factum in diebus Loth.* Haud aliter continget extremis mundi temporibûs, quibûs tot terribilium signorum apparatus non erit sufficiens deterrendis peccatoribus, & ad frugem reducendis. Causa iterum in promptu est citatô Evangelii locô legenda: *Sicut factum est in diebus Noë, ita & in diebus filii hominis &c.* Aristoteles intemperantiæ deditos asinis & piscibus simillimos esse dicere consueverat, qui cor in ventre gerant. Sequitur inde: illos nullatenùs posse mente in Deum & divinorum contemplationem assurgere. Quare Moyses Montem Sinai relinquens datas, à Deo Tabulas fregit, quas acceperat Populo offerendas, *sciebat* enim teste S. Hieron. *sermonem Dei audire non posse temulentos.* Prout pariter Abigail mulierum prudentissima noluit marito ebrio Sapientiæ Verba insonare 1. Reg. 25. Candela erecta multô ardet tempore, quia non plus ceræ assumit flamma, quàm cibi locô requirat: at vix inversa, cùm nimiô obruatur pabulô, extinguitur subitò. Modô sanè non disparî loqui licet de homine, cujus ratio tamdiu manebit Deo divinisque rebus affixa, aptaque exercendis virtutibus audiendisque supernis inspirationibus, quamdiu venter ab immodico cessat ciborum usu. Hoc perpendens S. Greg. in c. 5. Job ait; *Nulla fiunt convivia, ubi non mortalia committuntur peccata.* Testatur S. Script. Exodi cap. 32. Convivium nimis lautè habitum dedisse Idololatriæ causam Hebræis. Splendidum illud epulum, 2. Reg. c. 13. in domo Absolomis celebratum, ansam præbuisse fratricidio. In convivio Herodis Joannem Baptistam decollatum, & allatum insontissimum caput in Diss. Matth. 14. videntem Zambri Dominum suum Regem temulentum, occidisse eum. 3. Reg. 16. Noverat Job, quantum exulet à conviviis pietas & Dei memoria: hinc post epulas filiorum & filiarum suarum consurgens diluculò offerebat Holocausta pro singulis. Job. 1, v. 5. Et si frugalî illâ Cœnâ refecti Apostoli non valuêre

unâ horâ vigilare cum Christo, quid agent, qui lautissimîs frequenter assident mensis? qui comedisse se negant, nî comederint usque ad summam satietatem, qui in recessu à mensa murmurant, nî omnî ciborum genera repletos deferant ventres? vide Christiane Lector! an non & tu horum de numero unus?

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 7. & 8. lib. Deuteron. in quibus describitur prohibita Societas cum Gentibus & imperata subversio Idolorum, promissa Prosperitas, repressa Israëlitarum arrogantia.

N.178. *Considera* 1. ISraëlitas Palæstinam quietè possessuros non fuisse jussos erigere altas Turres & Arces, Valla & Mœnia, congerere fortalitia, armentaria instruere: sed jussos esse: Gentium Aras subvertere, confringere Deorum statuas, succendere Lucos, sculptilia comburere &c. haud aliter Christianus Regnum gratiæ tranquillâ mente possessurus, debet mortificationis securî Aras & Lucos suorum vitiorum, passionum & affectuum exscindere, subvertere Idolum proprii amoris &c. atque sicut Israëlitis præceptum fuerat, ad internecionem usque delere omnes hostes, quos habituri forent sibi obvios: ita oportet Christianum debellandis vitiis eò usque insistere, donec penitus supprimantur: hæ enim Hydram imitantur, cui decisa ociùs solent succrescere capita; nî omnia radicitùs evellantur. Habent pariter malignam lolii qualitatem, quod non funditùs extirpatum, brevî tempore renascitur. Cæterùm si cum timida Israëlitarum pube dixerit Christianus: *Plures sunt Gentes istæ, quàm ego: quomodo potero delere eas?* v. 17. cit. capitis. Opponentur ei Verba Dei, ibidem dicentis v. 21. *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus, in medio tui est, Deus magnus & terribilis.* Imò si contingat: Christianum cum Israëlitis à talibus hostibus affligi, & profligari, tunc cogitet: Deum præparatum habere manna consolationis, quô ad novum bellum, & victoriam certò obtinendam roboretur. Sicut strenui milites, aliquam ab adversariis cladem in exercitu passi, impetû majorî aciem restaurant, & repetunt novîs copiîs aucti; ita Christianus non nihil à tentationibus & passionibus victus, fortiorî impetu contra Dæmonem & carnem decertat, novô auxiliô de cœlis missô adjutus. Verba igitur, quibûs Moy-

ses

ses Israëlitas v. 7. accendit, tibi pariter dicta putes Christiane: *Dominus Deus tuus* (ajebat ille) *introducet te in terram bonam, terram vivorum aquarumque & fontium &c. ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantiâ perfrueris &c.* Hæc ritè perpendens, certabis haud dubiè strenui militis instar; non enim sunt condignæ passiones ad futuram terram viventium, quæ tibi per Moysen hîc promittitur, æternum possidenda.

Considera 2. Devotos homines, quando aurâ vanæ gloriæ afflantur, cum Israëlitis, à se benè gesta adscripturi suis *justitiis & aquitati cordis* v. 5. cap. 9. ut hanc tentationem vincant, obsequi debere Mosaicis monitis, quibûs ait v. 7. cit. capitis. *Memento, & ne obliviscaris, quoniam ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum &c.* in memoriam videlicet revocandô peccata plurima, per vitam contra Deum commissa. Hêrcle sicut pavonem in suo syrmate superbientem nil magìs ad humilitatem revocat, quàm fœdissimorum pedum aspectus: ita hominem de bonis operibus gloriantem, præteritorum scelerum memoria ad sui contemptum reducit. Noverat hoc Isaias, & hinc Jerosolymam hîs alloquitur verbîs: *Descende, sede in pulvere filia Babylon, sede in terra.* q. d. frustra gloriaris de sanctitate tua, frustra de Religionis zelo, de virtutum exercitio, si consideres; te in alteram Babylonem peccandô transiisse quondam. Propheta regius quamprimùm mentis suæ oculos ad peccata olìm à se perpetrata, deflexit, ociùs exclamare auditus est Psal. 72. *Ad nihilum redactus sum.* Poterat Petrus gloriari, se Christi discipulum, quin imò discipulorum Principem creatum esse, sed per galli cantum infidelitatis admonitus, se rebellem servum profiteri coactus est. Poterat Apostolus Paulus se vas electionis & doctorem Gentium deprædicare, sed revocans in memoriam persecutiones Ecclesiæ à se illatas 1. Corinth 15. protestabatur: *Ego sum minimus Apostolorum; qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Ita age Christiana anima, si quandoque vana gloria ob frequentiores virtutum actus te titillat, revoca in memoriam peccata, quæ priorî vitâ perpetrâsti, de quibus nondum certus es, an per veram sint deleta pœnitentiam, & hinc dicito cum humillimo Davide: *ad nihilum redactus sum &c.* N. 179.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 10. & 11. lib. Deuteron. in quibus describitur Dilectio Dei erga Israëlitas, & eorum obligatio ad mutuam Dilectionem Dei. Repetitio Beneficiorum.

N. 180. *Considera* 1. QUòd Deus tantô amore feratur in homines, ut de eo testetur Moyses cap. 10. v. 15. Illum conglutinatum esse Israëlitis, Jeremias pariter profitetur nomine Dei c. 31. *In charitate perpetuâ dilexi te, & attraxi te miserans tui.* Ubi singularem emphasin exprimit Verbum *attraxi.* Ut enim sol radiis suis vilissimos terræ vapores sibi attrahit, in illis pingens speciosissimam faciem suam, ita Deus in homine per infinitum suum amorem attracto, vultum Divinitatis suæ splendidissimum retinere facit. Nec hoc charitatis immensæ testimoniô satur, exclamat Proverb. 3. *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* In quæ Verba S. Anton. Paduan. ait: filius ludebat coram Patre, cùm à discipulo tradebatur, cùm ad columnam alligatus flagellabatur, cùm spinis coronabatur, cùm ab Herode illudebatur. Ludebat, cùm exiret bajulans sibi crucem &c. atque hinc priusquam totum è venis emitteret sanginem, ingentem sentire cœpit circa præcordia angustiam, ex ardentissimo amore pupullantem, asserens Lucæ 12. *Baptismô habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur.* Sed quid dicis Salvator amoris pleniss imè? nunquid sanguinem tam ubertim spargendum, comparas aquæ, quæ cùm à natura frigeat, non poterit symbolum esse amoris tui calidissimi? sed capio tandem, quid intendas: nullus sanè sitibundus tam avidè bibit frigidam & fontanam, quàm avidè appetas, tuum amore hominum fundendi sanguinem, tam parum æstimans tormenta, etsi crudelissima, ut illas aquæ instar accipias, quibus sitim restringas. *Magno nihil magnum*, dicebat olim Seneca. Hoc ipsum Salvatori nostro quis jure meritissimô non applicet? qui magnô flagrans amore hominum, parva, imò minima reputaverat, quæ sufferenda erant tormenta, Moysen imitatus: qui cominùs videns Rubum, quem antea eminùs visum vocaverat *Visionem magnam*, talem non ultrà nominavit, hujus causam allegante Sylveriâ, dum scribit in Evang. l. 6. c. 22. *Quando Moyses vidit visio-*

visionem à longè, nesciebat, quid in illa involveretur, indeque ipsam magnam fatetur. At verò cum appropinquat: Altissimi Amoris divini effectus repræsentantur ei, indeque visionem grandem non dicit; ubi enim amor inest, nihil magnum ac grande censetur. Omnes quatuor Evangelistæ describunt passionem Christi, hoc tamen cum discrimine; quòd Joannes cæterîs tribûs in hoc passu brevior sit; cùm tamen solus egerit ocularem testem horridæ hujus Tragœdiæ. S. August. Tract. 18. in Joan. observat: Joannem in ultima cœna supra pectus Magistri sui permissum recumbere, profundiùs penetrâsse Arcana divini amoris, adeoque cæterîs Evangelistîs contractiùs descripsisse amplissimam vastitatem tormentorum Christi: quô enim acutiùs & intimiùs aliquis penetratur à divino amore, eò clariùs cognoscit, quòd amans Salvator per immensitatem sui amoris flocci æstimet, quidquid pro salute hominis patiendum: *Omnia gravia*, ait cit. Doctor, *& dura levia, & propè nihil facit amor.* Si ergò ò Christiane, Deus præ nimio amore est agglutinatus tibi, nonne violentiam ei infers, quando cor tuum ad rerum terrenarum amorem transfers? si solis instar per radios amoris sui te abjectissimum terræ vaporem attrahit, ut sui speciosissimi vultûs te gratiâ ditet: nonne lapis es, si inde non movearis ad mutuum amorem? si in deliciis habeat esse tecum, nonne in belluam transmutatus eris, si ejus consortium amorosum fugias? si denique maxima tormenta, amore tui sublata, æstimavit non nisi minima, obstinatus in Dei odio Dæmon eris, si eum non redames? redamabis autem, si mandatis Dei per Moysen datis v. 20. cit. cap. morem gesseris, non tantùm adorandô Eum, *sed illi soli serviendô.* Immitteris ergò per mutuum amorem Horologium solare, cui lemma adscribitur: *Soli servio.* Amare Deum, est cor ejus vulnerare, sed vulnus hoc ab uno oculorum debet ortum esse. Cantic. 4.

Considera 2. Deum Israelitis promittere terram longè diversam N. 181.
à terra Ægypti, asserit enim v. 11. cap. 11. *Terra ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi.* At quæres: quæ ergò inter terras istas differentia? respondeo: illam ex ipso S. textu colligi, dicente: terram Ægypti nullîs cœlestibûs pluviîs, sed merîs aquæ ductibûs hortorum instar rigari: econtra terram Chanaan supernîs imbribûs fœcundam reddi. Parem sanè differentiam inter veras Spiritûs consolationes, quas Deus fidelibus immittit, & inter fictas falsasque, quas amatoribus suis affundit Mundus, reperire est. Isti proh do-

lor! gustus suos in turbidis sensualium voluptatum undis, de industria quæsitis, inveniunt teste Jerem. c. 2. v. 13. *Foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* item v. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Servi verò Dei & devotæ animæ, quibus terra cœlestis Chanaan promissa est, de cœlo exspectant pluvias, stabiles namque purásque delicias. Quare de hac eorum felicitate sollicita Mater Ecclesia, in Missæ Sacrificio eos quotidie animat: *Sursum corda!* addens publicam orationem à Sacerdotibus recitandam, his expressam verbis: *Da populis id amare, quod præcipis, id desiderare, quod promittis: ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Hanc orationem ò Christiane! quam unâ tantùm die Ecclesia præscripsit cantandam, tu quotidiè pluries ore & corde repetas: atque à Mundo, carne & Diabolo ad terram Ægypti, quæ lutosis voluptatum aquis alitur, vocatus, responde cum regio Vate Psal. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes.* Habes certum à Deo promissum v. 11. hujus cap. legendum: *Si obedieris mandatis ejus, ut diligas Dominum Deum tuum, & servias ei in toto corde &c.* Te fore continuis supernarum deliciarum imbribus recreandum: adeò, ut cum Propheta sis exclamaturus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 12. & 13. lib. Deuteron. in quibus describuntur promissa & minæ ad observantiam legis compulsivæ. Lex de tollendis Idolis. Præceptum de cæde Pseudo-Prophetæ, urbis Idololatræ excidio, vetitoque attactu immundorum animalium.

N. 182. *Considera* 1. QUàm salutarem Doctrinam Deus cap. 12. v. 22. suggerat illis, qui arctiorî vinculô ad obediendum Superioribus, liberè obsignârunt se; asserit enim: *Quòd præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, ne addas quidquam, nec minuas &c.* Istos homines ita studere oportet obedientiæ, ut plura non faciant, quàm sint jussi, etsi plus mereri quandoque putent, faciendô plura. Vehebatur olim Arca curru novô cum Pompa solemni: ubi factum est, boves eam ducentes recalcitrâsse; cumque illa in lapsum propenderet, accurrit oza, zelô non malô instigatus, extensaque manu servavit illæsam à ruina

2. Reg.

2. Reg. Sed hem! vix hoc egerat: *Iratus Dominus percussit eum, qui mortuus est juxta Arcam.* Causam hujus inexspectatî eventûs exponit Salvianus lib. 5. de Provid. dicens: *Dum sustinebat Arcam extinctus est Oza, ille Dei Levites, non quia (ut videtur ad speciem) contumacî aliquid mente commiserit, sed ipsô officiô inofficiosus fuit, qui injussa præsumpsit.* Quæres: quô venerit: Christum non etiam pro salute Angelorum prætiosum fudisse sanguinem, ut inde Misericordiam suam magis redderet spectabilem, & faceret ampliorem? cur pro solis hominibus mortuus est, qui unâ pariter guttulâ poterat æquè prodesse Angelis? respondet Tertul. lib. de carne Christi c. 14. *Nullum mandatum de salute Angelorum accepit Christus à Patre. Quod Pater neque promisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit.* Ita age Christiane, si subditum agis: pia quandoque opera omitte, dum abest superioris imperium vel consensus. Nimis frequenter fallimur arbitrio nostro ducti, & seducti. Requiritur à te obedientia, sed talis, quæ cæca sit. At cæca non est, quæ propriam voluntatem pro duce habet. Homo ille Evangelicus dicitur sæpè in ignem, sæpè in aquam cecidisse, non ea de causa, quòd caruerit visu, sed quòd secutus sit spiritum se obsidentem: ita sanè frequenter continget, te impingere in rebus ex objecto bonis, eò quòd sequaris impetum spiritûs privati & propriæ voluntatis. Quot exempla numerantur eorum, qui indiscretô rigore sibi nocumento fuêre? quare tunc ages optimè, plurimumque mereberis: quando tuam voluntatem instar aquæ effuderis ad usus imperatos juxta imperium Dei, & confregeris *Idolum* proprii judicii. Sic transibis plenus meritîs Jordanem hujus miserrimæ vitæ, habitaturus cum Israëlitis in terra, quam Deus daturus est hominibus, legi suæ exactè obedientibus, ut ibidem cum Israëlitis requiescant à cunctis hostibus.

Considera 2. Mundum se gerere instar falsi Prophetæ & Somniatoris, qui pios Christicolas fictîs quîbusdam portentîs nititur à veri Dei Cultu, & recto virtutum tramite ad Vanitates & Pompas Dæmonis adorandas avertere, & ad patranda scelera inducere. Quare non secus ac olim Moyses præceperat Israëlitis cap. 13. v. 5. celerî resistentiâ interficiendus est. Interficiendus inquam est, non tantùm affligendus: prout ipse Deus imperat: non affligi aut in carcerem compingi, sed penitùs extingui somniatorem, perpendens: quantum subsit periculum fidelibus, talî somniatore vivere permissô; etsi plagîs & verberibûs tam malè habeatur, ut vix spirare ultrà valeat. Sic ergò *N.* 183.

te

te geras erga Mundum Christiane, ut cum Paulo testari queas: *Mihi Mundus crucifixus est.* ad Galat. 6. Serpentem hoc in passu imitatur mundus, cui si tantummodo caput integrum relinquas, cæteroquin pellas & repellas, periculum non evasisti, sed augebitur ejus furor contra te, dum sæpè repulsus magis exasperatur. Post sopitum in domo incendium malè sibi cavet, qui fumum è trabibus surgentem videns, non penitùs extinguit latentes igniculos; novo enim incendio & pejori forsan viam non præcludit. Regius Propheta, ut de se testaretur, quòd ope divinâ triumphaverit de somniatore mundo, cantat Psal. 29. *Conscidisti saccum meum,* habitum videlicet, quô mundus ipsum induerat, ut deceptum ad se raperet, non tantùm exuit, aut sepositi; sed omne periculum evasurus, conscidit in frusta. Non solùm habitatores urbis illius, quæ ad Idolorum Cultum perducere nitebatur Hebræos, jubet Deus gladiô interfici, sed eorum quoque suppellectilem succendi, & omnia in cinerem redacta sempiterno tumulo involvi v. 16. & 17. cit. capitis. Ita moraliter loquendô geras te erga mundum, aut ea, quæ mundi sunt, & à mundo taliter attacto nunquam redderis immundus.

FASCICULUS XXVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 15. & 16. lib. Deuteron. in quibus describitur lex de remissione anni septimi & cura Pauperum, de Festis Azimorum & Tabernaculorum &c.

N. 184. *Considera* 1. QUàm fusè & impensè Deus Hebræis curam pauperum cap. 15. commendet. Sed etiam adhuc magis commendatam reddidit Christianis, quando per Unigenitum suum formam pauperis indutum Matth. 5. indicavit illis: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis miminis, mihi fecistis.*

cistis. Nullus hominum utique tam barbarus erit, qui Deum ipsum, de quo fatemur omnes cum regio Vate Psal. 144. Quod aperiat manum suam, & impleat omne animal Benedictione, famelicum videns, ei panem denegabit. De fide autem constat: in persona pauperis nobis pro pane & eleemosina supplicem fieri Christum, ut prætacta Christi Verba luculenter docent, & S. Chrysologus Serm. 28. demonstrat, dum asserit: attendi debere, Christum non conqueri, quòd sitî, fame aut nuditate laborent pauperes, sed quòd ipse talibûs indigentiîs laborâverit, *esurivi* inquiens, & *dedistis mihi manducare.* Dimidiatum pallium, quod S. Martinus adhuc catechumenus, pauperi obtulit, adeò certum est, Christum ipsum suscepisse, ut de illo nullus dubitet, qui verba legerit Christi dicentis: *Martinus adhuc catechumenus hâc me veste contexit.* Meritò igitur S. Chrysol. mox citatus manum pauperis vocat *Ærarium Christi.* Et S. Chrysost. homil. 49. in Matth. ait: *Famelicum nutrias, quia Christum in ipso nutris.* Nihil celebrius in SS. Paginis liberalitate, & hospitalitate Abrahami. Verùm cui alteri illa fuerat exhibita, quàm ipsi Deo? licèt enim tres essent, qui Mensæ assidebant, in illis tamen unum agnoscens & venerans Dominum, singularî non plurali numerô usus est salutandô dicens: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis ne transeas servum tuum.* Genes. 18. Si talibus argumentîs non movearis ad misericordiæ opera pauperibus impendenda, planè ipsius Dei, non pauperum osor & inimicus diceris, & in hac execranda avaritia perduraturus, quæso: quam tandem ab illo finalem exspectabis sententiam? *Da panem* hortatus ultimò Chrysol. Serm. 31. *Si Deum debitorem, non Judicem vis habere. Misericordiam nescit divinus ignis exurere.* Sola ergo Eleemosina divinæ resistit iræ, sola abyssi infernalis flammas extinguit. Sola ab ejus oculis, qui scrutatur renes & corda, peccatorum spurcitiem abscondit. Ipsa sola reorum quantumvîs desperatorum patronam agit, ac præsidium illis contra punientis Dei fulmina præstat.

Considera 2. Per *Azymos panes*, quos per aliquot dies jussi sunt Hebræi comedere cap. 17. denotari cibos illos, quos jejuniorum tempore comedunt Christiani. Vocabantur illi *panes afflictionis* v. 3. cit. capitis, isti haud dispar nomen sortiuntur. At quô magìs affligunt corpus, eò magìs recreant mentem, & habiliorem reddunt ad celebranda Festa, à Deo præcepta. Hinc S. Mater Ecclesia in una Collectarum orat: *Da quæsumus omnipotens Deus, ut sacrô nos purificante* *N.* 185.

Jejunio, ad Festa ventura nos facias pervenire. Moysen & Eliam ad solemne illud Festum, in monte Thabor celebratum, vocatos esse, & Christi alloquio fruitos testatur S. Evangelium Matthæi 17. At unde hæc eis Gratia & Dignitas? respondet Tertul. Lib. adversus Phys. *Meritò in carne se Dominus ostendit Moysi collegæ jejuniorum suorum, non minùs & Eliæ.* S. Paulum id gratiæ obtinuisse, ut ad tertium usque Cœlum raperetur, patet ex 2. Corinth. v. 12. At quò hanc promeruit, nisi jejunii exercitio? probat id. S. Basil. orat. 1. asserens: *Paulum jejunium, quod angustiarum prædicatione commemorat, ad Cœlum evexit.* Quare Christianos omnes Gentium Doctoris discipulos hortatur S. Greg. in homiliis asserens: *Qui à Paradisi Gaudiis per cibum cecidimus, ad hæc in quantum possumus, per abstinentiam resurgamus.* Sicut enim navis eò facilius pertranshit mare quò minùs oneratur, ita quò minus repletur stomachus cibis, eò facilius pertingit ad portum felicitatis æternæ. Et sicut grues in remotas terras volaturæ, nil dicuntur nisi arenam comedere, ne pinguefactæ à suo retardentur itinere: ita nos Christianos, quibus volandum in remotissimam æternitatis terram, oportet à superfluo nutrimento abstinere. Judicum 4. Panis quasi subcinericius videbatur ex hordeo volvi, & Madianitarum subvertere tabernacula. Erat panis iste clarissima sacræ abstinentiæ figura, indicans: Madianitas, animarum nostrarum hostes, varia nempe carnis vitia, quæ viam præcludunt ad cœlestia Tabernacula, per hanc unicam virtutem superari: hinc etiam homines, abstinentiæ dediti repræsentantur per trecentos illos milites, qui Judic. 7. in aicem educti, confudêre Madianitas. Utque Absolon exul à patre, cùm spem perdidisset, Joabum sæpè ad se vocatum acquirendi, aliter id assequi non potuit, quàm comburendò ejus segetes & fruges, ita Deus volens animam peccatricem ad se trahere; & cœlestis patriæ reddere capacem, id obtinere non valet, quamdiu superfluis cibis ejus corpus pascitur, his verò semotis, & debito cum moderamine stomacho negatis, brevi tempore id obtinebit. Quare etiam homines, ad magnum sanctitatis fastigium Deus facili viâ perducturus, jubet milites imitari, qui arcem aut civitatem expugnaturi id primò curant, ut obsessis alimenta subtrahant, certi: horum defectu se brevi victores talium locorum futuros. Verba S. Hieronymi sunt; *Tales diligit milites Christus, qui jejuniis vacent. Quare? quia in jejunio Victoria est, & in Victoria triumphus.* Ejusmodi Militem inspirante Deò egerat olim Da-

David, de se Psal. 68. testatus: *Operui in jejunio animam meam.* de Daniele, Davidem secuto profitetur S. Basil. homil. de jejun. *Daniel cùm tres hebdomades panem non comedisset, nec vinum bibisset, dimissus in lacum etiam leones jejunare docuit, neque enim leones dentes in eum infigere valuerunt, perinde quasi à lapide, aut ferro, aut aliâ quapiam rigidiorî materia concretus fuisset.* Veteris testamenti strenuos in hac bellandi arte Duces secuti sunt plurimi homines novi Testamenti, etiam à prima ætate huic militari exercitio additi. Enim verô Sanctus Edmundus teste suriô à teneris unguiculis sextas ferias pane & aquâ contentus transigebat. S. Julianus Episcopus ab infantia, ut refert Ribald. in vita, ter quot hebdomatîs jejunabat. Id ipsum puer septennis S. Nicolaus Tolentinas practicaverat: Edoctus credo à Nicolao Mirensi Antistite, qui etiamnum infans Mercurii & Veneris diebûs lac maternum nonnisi semel admisit. S. Bernardinûs tenellulus adhuc in honorem Deiparæ Virginis Mariæ diebus Sabbathinîs jejunare consueverat. Quid referam de jejuniis adultorum? Quid de abstinentiis virorum & mulierum profectæ ætatis dicam? S. Hilarius modicîs ficubrês aridîs & exiguô pane decrepitam fovebat ætatem, & S. Hieronymus annos fermè sexaginta incredibilî jejuniô exegit, ut merîs ossibûs & pelle constare videretur. Nicepherus narrat lib. 12. c. 32. Cùm ob summam annonæ caritatem Constantinopolî in quadragesima carnes venderentur, Christianos tam strictam observâsse abstinentiam, ut maluerint fame tabescere, quàm carnibûs vesci. Quomodo hæc tibi sapiunt exempla, non tantùm à viris religiosis, sed etiam à sæcularibus: nec à viris tantùm, sed etiam ab infantibus & pueris desumpta, cui tam durum est, unâ quandoque solùm die veneris & Sabbathi à carnibus abstinere? ut taceam nolle te ad aliquot tempus voluntario vacare jejunio. Verùm quid inde necesse est, aliud sequi: quàm ad sacra Festa debitè paragenda, & ad obtinendas de carne tua victorias te penitùs ineptum reddi?

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 17. 18. & 19. lib. Deuteron. in quibus describitur Lex observanda à Rege. Lex de numero testium, & falsorum testium pœna.

Considera 1. MYsteriô non carere: Quòd Deus versu 16 cit. capitis Regibus interdicat *multiplicare equos &c.* Cùm enim *N.* 186.

grandis eorundem copia videatur ordinata esse ad ostentandam Superiorum insignem Pompam, ad quam sustinendam subditi gravari soleant magnis oneribûs: hinc Deus ostensurus, quam ægrè eam patiatur, prohibet media ad Pompam illam destinata. Si Salomon æternîs cruciatur pœnîs, forsan inter causas damnationis postrema non erit, quòd excellentioris fastus gratiâ quadraginta equorum millia nutriverit, parum cordi ducens saluberrimum parentis sui monitum, hîs verbîs Psal. 32. expressum: *Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ salvabitur.* Christiane Lector plange tot millium jam actu damnatorum, & aliorum adhuc damnandorum miserrimam conditionem, quos vanissima sæculi Pompa ad extrema dejecit Tartara, & cave: ne in victu aut vestitu limites quoque excedens, parem aliquando subeas pœnam; divinis potiùs obsecunda monitis, quæ versu 20. cit cap. multò magis tibi quàm Regibus in aurem dicunt: *Nec elevetur cor ejus in superbiam supra fratres suos.* Sumptuosior Ornatus Signum Vilitatis internæ est: sic namque rudes parietes præstantiorî cultu vestiri solent, quàm marmorei & cedrini. Dæmon, qui fortunam omnem Jobo abstulerat, Purpuram illi reliquit: Sed non aliô fine, quàm quò splendidior ei esset vestis, eò quoque miserabilior ei foret miseria: nam semel tantummodo miser est, cui miseria nota; bis miser, cujus miseria vanâ mundi hujus Pompâ tegitur. *Cùm vestieris te coccinô*, exclamat Jeremias c. 4. *Cùm ornata fueris monilî aureô, & pinxeris stibiô oculos tuos, frustra componeris, contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent.* Alludit Propheta ad Jezabelem, quæ intrante Jehu Samariam in ornatu splendidô comparens, amari cupiverat; Sed ex alto præceps acta, canibus in prædam data est. Josephus lib. 19. antiquit. cap. 7. de Herode Agrippa scribit: pervenit in Urbem Cæsaream, solemnibus Ludis interfuturus. Illuxerat secunda dies, cujus summô manè in theatrum procedit, amictus veste totâ ex auro mirabilî opera contexta, quæ radiis exorientis solis perculsa, divinum quasi splendorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus: moxque adulatorum non pauci sumpsêre ansam, divinô illum compellandi nomine. Quam impiam pietatem cùm verbîs non castigaret, vidit paulò post supra caput suum bubonem funi extento insidentem, secutîs perbrevi ventri torminîs &c. nam Act. 12. dicitur: *Percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consum-*

tus

tus à vermibus exspiravit. Alexius Comnenus Orientis Imperator teste Nicetâ lib. 1. in Festo Natalis Christi Legatis Cæsaris Henrici VI. terrorem suô Luxu incussurus, gemmatam vestem induit, Ministris omnibûs in auro apparentibûs. Quo tamen spectaculô Alemanni non tantùm nullum concepêre terrorem, sed magnâ potiùs cupiditate inflammati sunt, Græcos tam excessivo corporum addictos cultui velut homines inertissimos oppugnandi. Tales pœnas jure meritissimô Deus de hominibus nimiô ornatu excellentibus sumit, quia contra illos conqueritur per Jeremiam cap. 2. *In alis tuis inventus est Sanguis animarum pauperum.* Alas vocat, quidquid ostentationis causâ assumptum, corpus ornat. Et hoc plerumque aspergitur sanguine pauperum, dum pretium à subditis pauperibus afflictis quibusdam titulis necessitatum extorquetur. Sicut aquilæ & accipitres, dum minores aves unguibûs & rostrô lacerant, earum cruore suas alas aspergunt, ita illi aurô & argentô pauperibus extortô suas exornant vestes, quibûs ceù alìs usi, alios antevolare volunt, omnium admirationem & venerationem provocaturi, sed miserandô plerumque infelicissimoque successu, ut exempla hactenùs allata probant, à quibus deterritus, si vestitum quæras, tuo statui congruum, & Deo placentem, talem quæras ò Christiane, de quo cap. 18. v. 13. hîc asserit Deus: *Perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo &c.* Et quem pulcherrimè tibi exponit mellifluus Doctor in Sermon. dicens. *Indignum tibi judica è pellibus murium & opibus vermium mutuari. Ille est verus proprinsque ornatus cujusvis rei, qui nullâ interveniente materiâ per se inest.* & S. Ambros, inquit de Dignit. hum. condit. Quis major honor hominum potuit inesse, quàm ut ad similitudinem sui factoris conderetur, & iisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibûs Conditor, de quo legitur: *Dominus regnavit Decorem indutus est*, id est omnium virtutum splendore, & totius Bonitatis Decore ornatus est. Socrates Laertiô teste lib. 6. interrogatus: an Regem Persarum crederet Majestate, Decore & felicitate plenum? repoluit: *Nescio hercle, quantum virtutis & disciplinæ habeat.* Erat ergò ipsis etiam Ethnicis perspectum: Tunc homines Majestate & felicitate condecorari, quando virtutum ornatu ambirentur. Talî vestitu amictus ò Christiane! testari poteris: *Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ &c. Melior enim est fructus meus aurô & lapide pretioso, & proventus meus argentô electô.* Proverb. 8.

N.187. *Considera* 2. Quomodò Deus, ea ipsa supplicia & ignominias, quas invidi calumniatores contra alios moliuntur, in eorum capita retorqueat. Quare decretum condidit cap. 19. *cùm diligentissimè scrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit.* Quod autem hic verbis statuerat, comprobavit & facto in libidinosis illis senibus, qui falsissimum crimen innocentissimæ Susannæ affingentes, lapidibûs obruti, pœnam dedêre meritam. Jezabel caninos dentes contra justum Naboth stringens, à canibus discerpta parî exemplô justissimam Dei explevit vindictam ejusmodi falsis testibus & calumniatoribus destinatam. S. Chrysologus illa Psalmi 51. Verba expendens: *Totâ die injustitiam cogitavit lingua tua*, ait, notanter dici: *cogitavit.* Quia ut aliquam veri similitudinem calumnia in se contineat, & facilius impetret fidem, necessum est, ut de industria componatur, & fictis imbuatur coloribûs. Sed præminum huic industriæ correspondens ocius v. 7. subnectitur, testante ibidem Propheta: *Propterea Deus destruet te in finem, & evellet te, & emigrabit de Tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.* En Christiane Lector! quàm severè Deus animadvertat in calumniatores. Pone ergo custodiam ori tuo & ostium circumstantiæ labiis tuis, ut non declinent in Verba talis malitiæ. Sin verò contingat, tuam personam injustîs aliorum calumniîs impeti, à quibus paucos reperies securos: ut eò facilius tibi eveniat, easdem patienter perpeti, confuge ad Deum tanquam *ad Urbem Refugii.* Is planè, uti testis est Innocentiæ tuæ, sic erit ejusdem quoque defensor & vindex. Cogita: quid egerit Salvator tuus, tot calumniîs & falsis testimoniîs olim impeditus? quid egerint discipuli pro ebriis habiti? audi denique hominem etiam Ethnicum, hortantem te; quid calumniîs affectus agas. *Quanta dementia est*, inquit Seneca lib. 4. Epist. 92. vereri, *ne infameris ab infamibus.* Quod stabulum à se stercus mittat, nemo ægrè fert, si sapiat: nec quisquam prudenter irascitur sterquilinio, quod fœtorem exhalet. *Calumniam tibi quis infert?* ait S. Chrysost. Serm. 10. in Rom. 6. *atque hostiliter adversatur? causam is tibi vigilandi paravit: occasionem præstitit, ut similis fias Deo: si enim dilexeris eum, qui tibi insidiatur, similis eris ei, qui solem suum oriri facit tam super malos, quàm bonos.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 20. 21. & 22. lib. Deuteron. in quibus describitur officium Sacerdotum & Ducum in bello & urbium obsidionibus. Lex de cæde dubia, de filiis rebellibus, de rebus inventis, de vestitu & de fœmina vim passa.

Considera 1. DEum præcipiendô, ut appropinquante prælio Sacerdos stet ante aciem cap. 20. v. 2. admonere omnes, qui superiorum & præsidentium nomine alios ad debellanda vitia & obtinendam virtutum victoriam animant: ut bonô illis exemplô præcurrant. Christus Dominus ejusmodi Duces creaturus, post celeberrimum in monte habitum sermonem, non voluit, ut illi rationes & argumenta congererent ponderosa, quibûs impios convincerent, & sic reducerent ad frugem, sed hoc unicum suasit: *Videant opera vestra bona.* Author imperfecti operis expendens verba S. Matthæi c. 4. *Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere &c.* Ingeniosè discutit Vocabulum *exinde*, asserens: *Ex tunc cœpit Jesus prædicare, ex quo tentatus est, famem vicit in deserto, avaritiam sprevit in Monte, vanam gloriam repercussit super Templum, ut nobis ostendat: quòd qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi hujus Bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi Vicarius Justitiam prædicare.* Quæres, unde venerit, discipulos Christi olim Magistros Gentium futuros, totâ nocte laborantes, nec minimum cepisse piscículum: manè autem factô explicâsse retia, & concluisse ingentem piscium multitudinem? resolvit hoc dubium Sacer Evangelii textus dicens Lucæ 7, piscatores autem descenderant, & lavabant retia sua. Quæ verba explicans Glossa ait: *Lota retia explicat, qui intermissô prædicandi officio, quod alios docuit, ille implere satagit.* Res certa est: Illas manus tergere non posse sordes, quæ lutum tenent. Quare dicitur Nehemiæ 12. *Mundati sunt Sacerdotes & Levitæ, & mundaverunt Populum, ab immundo enim quid mundabitur?* Hæc exactiùs perpendens Christiane Superior vide: quem fructum sis relaturus ex frequenti subditorum tuorum admonitione, si quod in illis acrî censurâ castigas, in te ipso non corrigis? & quæ ab illis vitari crimina jubes, in ea tu ipsemet prolaberis? non tantùm non ut Duces, sed nec ut gregarii milites Dei castris servire possunt, qui contra vitia in aciem *formidolosi procedunt.* v. 8. citati cap. si ergò sub signis *N.* 188.

signis Christi agere vis Ducem, prior civitatem passionem tuarum generosô expugna animô, nulli ex eis parcens. Dein subditos tuos strenuè anima, & parebunt imperanti.

N.189. *Considera* 2. Quòd si velis juxta mandatum Dei cap. 21. expressum, inquirere authorem cædis illius, quæ olim contigit in monte Calvariæ: cùm *benedictus Domini, fuit in Ligno factus maledictus.* Tunc sanè alium non sis reperturus, quàm te ipsum. Ducens enim *filum* feriæ meditationis, & rigorosi propriæ conscientiæ examinis apud te reperies spinas, clavos, flagella, funes, lanceam &c. Quibûs innocens ille Agnus ad talem locum raptatus est, & crudelissimè mactatus. Nam teste Jeremiâ Thren. 4. *Spiritus oris nostri* (Christus Dominus) *captus est in peccatis nostris.* & hinc B. Angela de Fulg. dixit: in aspectu Crucis data est mihi major cognito, quomodo Christus mortuus fuerat pro peccatis nostris, & tunc cognovi omnia peccata mea cum dolore maximo, & sentiebam, quòd ego crucifixeram eum. Pari de causa Seraphinus Franciscus rogabat fideles omnes, ut testatur S. Bonav. ne per sua scelera Crucifixi revocarent vulnera. Et Apostolus Hebr. 6. exclamat: *Rursum Crucifigentes ipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Thomas Cantiprat. lib. 1. apum c. 49. refert: Ipsâ nocte Paraseeve, quâ feralem illam cruciatuum Christi lanienam recolit Ecclesia, Lovanii adolescentes, omnis pietatis oblitos homines, in popina consedisse, & versatîs per quot tempus chartîs tandem in blasphemias & juramenta sacrilegas resolvisse linguas. Cùm ecce! summô manè civis quidam de more suo ad matutinas se conferens, hâc fortè pertransiit, reperiens turbam hominum ante tabernam comploratium ac commiserantium sortem alterius, multîs vulneribus totô corpore sauciati. Hi dum ab eo quærerent, tam barbari flagitii authorem? responsô tulêre. Juvenes illi, qui hîc in cellario ludunt, tantîs me affecêre plagîs. Civis hæc audiens, ocius ædes ingreditur, & in ludentes acerrimîs invectus verbîs percunctatur: ut quid hominem præ foribus jacentem tam crudelem tractaverint in modum? attoniti juvenes negant, & pernegant, se cuiquam intulisse manus; imò nec Verbô, multò minùs Verbere à se quemquam lacessitum esse. è vestigio igitur cum cive assurgunt: hominem sautiatum quæsituri; sed nusquam reperiunt. Conversi igitur ad se singuli clarissimè cognoscunt se perjuriîs & flagitiîs suîs rursum Dominum suum vulneribûs affeciisse. & hæc ex ipso ore civis illius, juramentô rem atte-

atteſtantis, ſe intellexiſſe narrat citatus Author, addens: Tabernæ illius Dominum hôc factô commotum, rigidam egiſſe pœnitentiam, redditîs omnibûs bonîs, per uſuram obtentîs, & fine beatô clauſiſſe vitæ dies. Anxiè olim quæſiverat Malachias Propheta c. 3. poſſetnè mortalium aliquis eò inſanæ crudelitatis devenire, ut Deo ipſi vim inferret? *ſi affliget*, inquit ille, *homo Deum ſuum?* Pagninus legit: *ſi rapiet, fraudabit homo Deum ſuum?* Vatablus: *ſi ſpoliabit homo Deum ſuum?* Syrus & Arabicus: *nunquid opprimet homo Deum? perdet homo Deum ſuum?* ah! quid opus eſt ô Propheta! ſollicitâ indagine quærere ejusmodi hominem? en ipſe qui hæc ſcribo, & tu forſan, qui iſta legis Chriſtiane, immane facinus de nobis ipſis fateri cogimur. Nos peccandô eò crudelitatis devoluti ſumus, ut *affigere, defraudare, ſpoliare, opprimere*, & *perdere* Deum noſtrum tentaverimus. En! habes fatentes reos. Habes contumaces & protervos illos filios, qui transgrediendô divinâ Præcepta Chriſtum Patrem optimum tam dire tractavimus, digni: qui non tantùm ſemel juxta mandatum Dei v. 21. hujus capitis lapidibûs obruamur, ſed centiès. Infinitæ ergo ſint gratiæ Miſericordiæ Dei infinitæ, quæ nobis hucusque pepercit, exclamantibus: *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* Quare peccatîs noſtrîs per veram pœnitentiam deletîs vivemus impoſterum, ut non ampliùs *contaminemus terram.* Studebimus operibus charitatis, quorum meminit Scriptura cap. 22. ſtatui & officio noſtro congruîs nos occupabimus negotiîs, id pariter exigente hîc Scripturâ, ne diſtenti alienîs, ſimus inſtar viri, qui contra Dei Præceptum utitur veſte fœmineâ. Si Dæmon nos malîs præſumpſerit perſuaſionibus opprimere, ocius ad te clamabimus pro auxilio inſtar puellæ à viro oppreſſæ v. 24. capitis citati.

Doctrina 4.

Deſumpta ex cap. 23. & 24. lib. Deuteron. in quibus deſcribitur Lex prohibens Judæis commercium cum Moabitis & Ammonitis. Lex de pollutione, de Salario mercenarii pauperis, & variis Miſericordiæ operibus.

Conſidera 1. DEUM verſu 3. cap. 23. ſeveriſſimîs prohibere verbîs omne commercium cum Moabitis & Ammonitis; econtra concedere illud cum Idumæis & Ægyptiis; cùm tamen utra- *N.* 190.

 que

que harum Gentium Cultui falsorum Deorum fuerit addicta. Causam igitur discriminis inquires? hanc subministrat Theodoretus, asserens? eam à titulo gratitudinis peti, quô obstricti fuerant Hebræi Ægyptiis & Idumæis, à quibus fame pressi senserint opem, annonâ abundè provisi. Ideoque Deum voluisse perpetuam tanti Beneficii memoriam per mutua commercia conservari, non obstante contrariâ Ægyptiorum & Idumæorum Religione. Si ergo Deus tantî æstimat gratitudinem, ut eam coli velit etiam cum periculo divini Cultûs veræque Religionis, quàm enorme nefas erît in oculis ejus ingratitudo: & hæc non tantùm erga hominem, sed erga ipsum Deum exercita? audi pœnas Christiane, quas ingrati dant, ex ordine per regium Vatem descriptas Psal. 108. Pœna prima: *Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris ejus.* Pœna secunda: *Cùm indicatur, exeat condemnatus.* Tertia: *Oratio ejus fiat in peccatum.* Quarta: *Fiant dies ejus pauci.* Quinta: *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent.* Sexta: *Diripiant alieni labores ejus.* Septima: *Non sit illi adjutor, nec sit, qui misereatur pupillis ejus.* Octava demum, cæterîs omnibus horribilior: *Dispereat de terra memoria ejus &c.* Quid quæso pœnarum gravius hîs excogitari poterit? & quem (nî in marmor transiêrit) non emollient? quinam autem inter homines ad Imaginem Dei conditos, & tot spiritualibûs donîs provisos ingratior luxuriosô, utpote qui per carnales spurcitias hæc tanta Dei Dona pessimè defœdat? *Nescitis*, inquit Apostolus 1. Corinth. 16. *quoniam corpora vestra Membra sunt Christi: tollens ergo Membra Christi, faciam Membra meretricis?* Cogita: Si Regina vilissimum quoddam mancipium sibi adôptasset in sponsum: is verô amore cujusdam infamis meretriculæ Reginam repudiaret, & thorô suô expelleret, quanta foret hæc ingratitudinis nota? sanè non dispar illi, quam quilibet incurrit, qui luxuriæ servit: *Nescitis enim*, asserit Theodoretus, *quòd tanquam sponsa sponso Christo conjuncti estis*, & hic sponsus adeô aversatur hoc turpissimum crimen, ut licèt gulâ, ambitione, Idololatriâ, avaritiaque & hujusmodi gravissimîs vitiîs à Dæmone impeti se permiserit, nullâ tamen etiam minimâ obscœnitate passus sit se tentari. Et à perfidis Judæis de variis quoque & copiosis accusatus peccatis, de luxuriæ tamen vitio nunquam auditus est accusari. Quid? quòd integrô trienniô ad concionem dicens, nec unâ quidem vice mentionem luxuriæ fecerit, liquidô per hoc demonstrans, dedignari se,

tam

tam enorme crimen cominùs impugnare, ne cogeretur illud propiùs contueri. Taceo gravissimas pœnas, quibûs huic vitio deditos plectere solet, ut inde innotescat hominibus, quantô odiô in illud feratur. Concludam verbîs S. Augustini Serm. 250. dicentis: *Quanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas, ut animam quam Christus suo redemit sanguine, luxuriosus quisquam propter momenti unius delectationem Diabolo vendat?*

Considera 2. Quàm felix sit status personarum illarum, quæ vo- *N.*191.
luntariè sunt pauperes: talibus enim prospicit Deus de *victu, vestitu & quiete*, ut docent verba S. Scripturæ capitis 24. v. 12. *Si autem pauper est: non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens cum vestimento suo benedicat tibi.* Pater Goiosa Capuccinus, ex Paribus Franciæ unus, divitiis & honoribûs olim in sæculo pollens, habitum saccumque suum frequentî osculô salutare consueverat, asserens: *ò mi habitus! parum agnitus, paucisque notus: inassequibilis enim & inexspilicabilis est quies & tranquillitas interior illius, qui paupertatem in toto corde amplexatur.* Adimit quidem paupertas voluntaria opes bonaque corporea, sed centuplicatô fœnore refundit illa, largiendô incorporea. Adimit terrena, sed largitur cœlestia. Erravi: non adimit bona terrena, sed multiplicat illa, saltem in communi possidenda, ut demonstrant tot ditissima Religiosorum Monasteria. Cornelius Jans. verba Christi Matthæi 5. prolata: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum*, ad nostrum explicans propositum, ait: Attendi debere, quòd Christus utatur præsentî tempore, dicturus: voluntariè pauperes in hac etiamnum mortali, & millenis aliàs miseriîs obsita vita cœlestî quiete & dulcedine perfrui. Si quæras Christiane Lector, quâ occasione Angelici Spiritus pacem hominibus denunciaverint? reperies nullam aliam, quàm quæ tunc obtigit, quando Dei filius extremam amplexatus est paupertatem, reclinatus in Præsepio. Quare verba: *Et in terra pax hominibus*, ad illos tantùm è Cœlo videbantur esse directa, qui temporalium bonorum penuriam patiebantur, in pastoribus præfigurati. Ingens planè requies, dulcissima pax: paucis esse contentum, & mundum habere sub pedibus caque omnia, quæ tantum inquietant homines, ut vix unam diem noctemque ex innummeris quietam ducant. Elegantèr advertit S. Chrysost. homil. 4. in Matth. ad illum locum Isaiæ, quô paupertatem caminum vocat, in hoc camino inquiens quotidiè innovari

grande illud Miraculum trium puerorum, quos in fornace Babylonica non tantùm non ausa est flamma attingere, sed amæniſsima recreavit aura. *Per se*, ait ille, *paupertas ignis est acris & molestus, sed tamen si quis in eam se voluntatriè conjiciat, & in eo Deo gratias agat, ejus vincula dissolvuntur, flamma extinguitur, aut si non extinguatur, quod multò est admirabilius, pro flamma ros sentitur. Id verò apparet in Dei famulis, qui se paupertati devovent, quoniam in paupertate ditiores sunt divitibûs, & in medio igne purissimo ac placidissimo rore perfunduntur. Maximus enim ros & ad animam recreandam aptissimus est, non teneri divitiarum concupiscentiâ.* Hæc benè perpendens Christiane Lector, nonne feliciſsimum te profiteberis, si instinctu Dei voluntariàm professus es paupertatem? aut si id à te factum non sit, sed opibûs pollens in sæculo vivas: ut istæ quietem animi tui non perturbent, acquiesce consilio Apostoli monentis: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur &c.* imiteris S. Gregorium M. qui summas Pontificiæ Sedis divitias non majoris æstimavit, quàm Eremitarum aliquis suam felem. Fac tibi de Mammona iniquitatis amicos in Cœlo, largam erga pauperes extendendô manum, Nunquam differ, *aut nega mercedem indigentis* v. 14. citati capit. imperante Deò, eaquè omnia Misericordiæ Signa exhibe, quæ reſidui hujus capitis deſcribunt verſus, quos vide.

FASCICULUS XXIX.

Doctrinarum Moralium & Ascetica rum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 25. 26. & 27. lib. Deuteron. in quibus describitur lex de numero plagarum, Justitia ponderis & mensuræ, offerendisque fructibus. De exstruenda Ara, & Ritibus maledicendi impios &c.

N. 192. *Considera* 1. SI pro mensura peccati *erit & plagarum modus* teste Scripturâ citati cap. 25. v. 2. tunc utique titulô justiſsimô peccatis mortalibus æternas deberi pœnas; *Qui enim peccat*

peccat in bonum infinitum in- & extensivè tale, teste S. Bonaventurâ in cap. 6. Lucæ *utroque modô infinitè puniri debet. Et quia creatura non potest habere infinitatem intensionis, suscipiat alteram, scilicèt infinitatem durationis cum firmitate acerbitatis.* Tanta nempe est malignitas peccati mortalis, ut nullîs bonîs operibûs puræ creaturæ valuerit ex æquo compensari: Sed ad hoc necesse fuerit, Ipsum Deum incarnari, ut satisfieret rigori divinæ Justitiæ, quid ergo mirandum, si illud dicatur mereri pœnam perpetuô duraturam? quod enim malum est, ut nullîs operibûs, licèt optimîs, & longissimô tempore continuatis exæquari possit, merebitur utique pœnam quôvis tempore longiorem? adhæc sic lubet cum angelico argumentari Doctore: si peccator felicitatem & bonum fluxum æterno non dubitavit præferre bono, multò magis id egisset, si felicitas illa bonumque ab eo quæsitum æternitate foret affectum: hoc inde cognosces: quòd non paucos reperire datum, qui etiam vitam vel oculos exiguæ voluptatis causâ vendidêre. Martialem legas lib. 6. epigrat. Et videbis, talem exstitisse, qui oculis potiùs, quàm ebrietati valedicere voluit, audiens enim à Medicis: aut sibi abstinendum à poculis, aut excæcandum se fore, cæcitatem præhabuit. Parî electione peccator fertur in bonum aliquod terrenum, ut illud præhabeat æterno; quid mirum ergò: si æternum puniatur, qui æternum spreverit bonum, momentaneo postpositum. Et ne dubites: unicô peccatô mortalî contrahi æternam pœnam, imò unicâ tantùm delectatione morosâ, circa objectum sub gravi peccato vetitum versantî; hinc Seraphicus Doctor Tom. 7. compend. Theol. ait: *Venditio momentanea dat jus possidendi perpetuum, & vulneratio momentanea cicatricem infert perpetuam.* ô Christiane! si frequentiùs hæc in animo tuo volveres, utique non tam facile annutum præberes tentanti Diabolo, aut carnî, practicè agnoscens maximam illam differentiam, quæ datur inter momentaneum, quod delectat, & æternum, quod cruciat. Non divitiarum inordinatô affectu inductus haberes contra mandatum Dei diversa pondera in sacculo tuo v. 13 cap. citati. Sed erga omnes foret tibi *mensura* & *modius æqualis.* Verbô & exemplô *ædificares Domum fratri tuo*, virtutis *semen* excitandô illi. Offerres in debitam beneficiorum acceptorum memoriam Primitias frugum, ut jubet Deus cap. 26. v. 10. possesque contestari: te feciſſe omnia, quæ Deus præceperit v. 15. cit. capitis. Imô te *Sanctum* esse *Domini Dei tui*, v. 19. capitis ejusdem.

N.193. *Considera* 2. Cùm sacratissima Eucharistia per Antonomasiam passim vocetur *Sacramentum Altaris*, circa Altare verò Deus cap. 27. imperet: illud nullatenùs exstrui debere ex lapidibus, quos ferrum tetigerit; ferrum autem sit belli rixarumque symbolum juxta communem DD. sententiam, hinc colligi: Sacramentum isthoc à solis mansuetis & pacificis tractandum, sumendùmque esse. Erat ex celeberrimis Eucharistiæ figuris una, de cœlis missum Manna; at constat, illud nunquam in castra & militum Tabernacula, sed extra cecidisse. si ergò figura Sacramenti Altaris militum castra adeò habuit exosa, longè verisimilius erit, figuratum discordias exhorrere. Quare Christus illud instituturus non Romam belligeram, sed Jerosolymam, *Visionem Pacis* dictam, præ omnibus elegit locis. Fuit adhæc non absque Mysterio ultima Cœna in Sion celebrata, de quo loco regius Vates prædixerat Psal. 73. *Factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, ibi confregit potentias arcuum, scutum gladium & bellum.* Angelicus Doctor p. 3. q. 73. a. 3. ad 3. Eucharistiam vocat Sacramentum amoris & charitatis, sicut Baptismum Sacramentum fidei, denominatione hâc non tantùm desumptâ ab effectu, quem producit in animabus, eam dignè recipientibus, uniendô videlicet eas arctissimô vinculô amoris, sed præsupponendô charitatem, tanquam dispositionem sumè necessariam iis, qui hôc Eucharisticô refici volunt eduliô. Quare divinus animarum Sponsus ad se accessuros, amicos vocat Cant. 5. dicens: *Comedite amici, & bibite*, q. d. illos solum ad corpus suum sumendum ut dignos hospites invitari, qui veram amicitiam charitatemque inter se & proximum foveant. Sive attendamus ad species panis, sub quibus velatur Christus, sive ad materiam ejusdem panis, quem ad hoc Sacramentum elegit instituendum, aliud non denotatur, quàm charitatis & unitatis perfectio, ex multis enim granis quid aliud nisi panis unus efficitur, & ex multis acinis, nisi unum effluit vinum? in tantam namque unionem grana contrita, & confracta coëunt, ut unum ab alio discerni nequeat. Si ergo tam arcta surgit ex his materialibus rebus unio, quàm arctam putas requiri ab illis, qui veniunt, Eucharistiam requisita dispositione sumpturi? hinc Christiane, ut evadas in Altare, huic cœlesti Sacrificio excipiendo dignum, obsecunda verbis ipsius Christi, quibûs Matthæi 5. te admonet dicens: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri*

fratri tuo. Longissimè à te absit, ut tantùm quoad speciem extrinsecam redeas cum fratre ad concordiam, fovendô adhuc in mente *Symulacrum* odii & vindictæ, propriâ authoritate proximo inferendæ: sed quod peragis ore, peragas & mente. Eris hêrcle aliás *maledictus*, si simulans pacem, confratrem tuum *cæcum errare feceris.* v. 18. citati cap.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 28. 29. & 30. lib. Deuteron. in quibus describitur Benedictio observantium, & maledictio transgredientium legem. Dei Beneficia, legis lenitas.

Considera 1. PLurimos Christianos haud aliter à peccando deterreri, vel disponi ad pœnitendum, quàm metu temporalium pœnarum. Quo in passu sequuntur Hebræos, quibus capite 28. v. 22. cominatur Deus, dicendô: *Quòd si audire nolueris vocem Domini, percutiet te Dominus egestate, febrî &c.* Hoc ipsum proh dolor! hæreditate acquisivimus à protoparente nostro, de se Genes. 3. profitente: quòd timuerit, sed non ea de causa timuerit Deum, quòd per inobedientiam suam ei fuerit injurius, sed quòd se aspexerit nudum, nudum planè non tantùm vestibûs, sed omnibûs bonîs, quibûs ante lapsum abundaverat. Genes. 4. Parentem secutus filius Cain eâ solùm de causa conqueritur, quòd ejiciatur à facie terræ; quasi nihil formidinis sentiret ex tam formidabili scelere, in fratrem commisso. 1 Reg. 6. dicitur: luxisse Populum, *eò quòd Dominus percussisset plebem clade magnâ.* Quasi verò post patrata crimina rideret adhuc, nil minùs, quàm de lacrymis cogitans: nisi tam rigidam divinæ Nemesis experiretur vindictam? Israelitæ non Ægyptum pertæsi, sed virgîs & compedibûs afflicti clamârunt ad Dominum, & filios Jacob tunc primùm pœnituit barbari illius facti in Josephum exerciti, cum se ob illud agnoverunt, in extremas angustias redactos. Ita teste Olivâ lib. 4. Stromatum: *rarò displicet, nisi strangulet crimen.* At rarò non strangulabit, dum plerumque peccator pœnæ suæ proprius est author, dicente S. Scripturâ cit. capitis v. 16. *Maledictus eris &c.* quæ verba inuant: peccatorem ipsô factô in caput suum provocare maledictionem, ociùs inferendam: sic enim Genes. 18. dicitur peccata Sodomorum clamorem in se ipsis habere, qui iram provocet Dei. *Quid querimur,* *N.194.*

ait

ait Salvianus de Providentia Dei lib. 4. *Quòd durè nobiscum agat Deus? vim, ut ita dicam, facimus pietati suæ, ac manus quodammodò afferrimus Misericordiæ ejus &c.* Sed quanta hæc est amentia hominum, quæ ab ipsis etiam bestiis superatur, quas constat: non tantùm pœnarum metu, sed aliis titulîs & causis ab offensa Dominorum suorum absterreri, & has inter facile primatum tenet gratitudo, per quam adactæ bestiæ, etsi naturâ sint ferociſſimæ, suos tamen Heros & Benefactores non solùm non offendunt, sed ab omni injuriâ ab aliis inferenda, defendere nituntur. Et homo tot beneficiorum à Deo acceptorum immemor, eâ tantùm de causa ab injuria Dei abstineat, aut cum offenso à se in gratiam redeat, quia peccandô, vel non pœnitendô, pœnas in suum provocat caput? quare mihi videor: Christum Dominum è cruce pendentem, omnî veste exutum, paribûs verbîs, quibûs olim ingratitudinem peccantium Judæorum arguerat Moyses, conqueri de nobis v. 5. capitis 29. dicendô. *Adduxi vos per desertum &c. & non sunt attrita vestimenta vestra &c.* Vos autem me vestra è societate expulsum infami ligno alligâstis nudum? & à tam immani crudelitate vos tanti beneficii memoria deterrere non potuit? eroque in eadem cruce per vestram impœnitentiam tamdiu pendere coactus: donec per pœnas vobis illatas exsolvar? ego sum, qui amore vestri texi cœlum nubibûs, ne solis ardor vobis molestus sit, & vos per impudicitias vestras nec minimos mihi centones relinquitis, quibûs ab impiorum oculis contegar, nî in debitam scelerum vindictam, vos ipsos cæcitate percutiam cum Saulo, qui tunc primùm pœnitentiâ ductus exclamare cœpit: *Domine! quid me vis facere?* hæc & alia Christi lamenta audiens Christiane Lector, amore filialî instigatus dicito: Domine non peccabo ampliùs in te, non quia ut punientem Judicem timeo te, sed quia ut beneficum Parentem amo te.

N.195. *Considera* 2. Quàm verissimè dixerit Moyses, nomine Dei allocutus Israëlitas c. 30. v. 17. *Mandatum, quod præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum.* Nam omnia Præcepta Dei unicum proponunt objectum, Dei videlicet amorem. Hinc Apostolus 13. Rom. profitetur: *plenitudo legis est dilectio.* Omnia autem teste Idiotâ, quæ gravia alias & difficilia accidunt, amor reddit facilia, & quasi nulla. Atque hinc commune illud proverbium: *Amanti nihil difficile.* Amor perplexitate caret, quæ illum impediat, quia ingeniosus est. Non timet viam, quæ illum defatiget, quia amans non currit, sed volare consuevit.

suevit. Non prævalent contra illum minæ, quia ipsam etiam mortem fortitudine superat. *Nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Amor, si amor est, vincit omnia*, ait S. Chrysol. Serm. 40. Enumera omnes legis, præsertim novæ difficultates, si quas ponderosas esse credis, & pone eas ad trutinam. Dic: te juberi, ipsos etiam inimicos diligere, odiô prosequi propriam animam. Juberi te, tam exactam habere tuimet custodiam, ut etiam de otiosis verbis obligeris ad rigorosum examen. Juberi te, omnia amore Dei perdere ad ipsam quoque famam & honorem. Juberi te demum (ut alia taceam, quæ minoris forsan æstimas difficultatis) crucem totâ vitâ portare. Sed hæc omnia tam levia, tam facilia unicus reddit amor, ut videantur omne pondus gravans perdidisse. Testis mihi est omnî exceptione major S. Chrysost. qui Homil. 23. in 1. Corinth. inquit: *Charitas cum lucro voluptatem ingentem habet, laborem nullum.* Testis est mihi celebris illa in Canticis Sacris Sponsa, quæ legem Sponsi sui, primô quidem intuitu velut integrum Montem Myrrhæ reputans, re ipsâ nil aliud reperit nisi fasciculum, causam hujus allegante mellifluô Patre Serm. 13. in Cant. dum ait: *Fasciculum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat & doloris. An non fasciculus, cujus jugum suave & onus leve est in se: neque enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo, sed levis tamen amanti, & ideò non ait tantùm: Fasciculus Myrrhæ dilectus meus, sed mihi inquit, quæ diligo fasciculus est.* Testis est mihi sanctissimus meus legislator Patriarcha Benedictus, qui in Prologo sanctissimæ suæ regulæ testatur: *inenarrabilî dilectionis dulcedine* curri viam mandatorum Dei, etsi angustô initiô incipienda sit. Testis est mihi Maria Magdalena, quæ licet tenerrima foret mulier, sese promptissimam tamen obtulit non tantùm ad legem Christi, sed ad ipsum Christum virum perfectæ ætatis & eximiæ staturæ facillimô negotiô portandum, non viribûs fœminei corporis, sed ardentissimæ charitatis præpotens effecta. His testibus innixus dicam cum Sapiente: *Cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum.* Dilectio est, quæ invalidis addit robur, & ex pygmæis gigantes facit fortissimos. Illa juvenibus se immiscens faciliores ipsis reddit crucis fructus, quam delicias carnis. Illa se in nobilium Domicellarum cœtus inferens masculum eis inserit animum. Illa in regularium personarum penetrans Monasteria, longas vigilias in suavissimos somnos, jejunia in lautissima convivia, cilicia in mollissimas togas convertit. Illa in eremos transit,

easdemque in deliciarum permutat Paradisos. Illa demum horrendis Martyrum cruciatibus sese insinuat, & ignes in rorem convertit. Non opus est, ut hoc confirmem testibûs: aliás mihi præstò forent cantantes in flamma Babylonica tres illi pueri. Præstò mihi foret Agatha, quæ quasi ad epulas invitata *glorianter ibat ad carcerem & ignes.* Præstò foret Polycarpus, qui in accensa fornace jubilare lætoque carmine laudare Deum auditus est. *ò quàm meritò igitur, quàm justè damnabitur*, dicam cum S. Thoma Villanov. conc. de fœd. *qui maluit ardere, quàm amare*, qui cum habuerit sibi propositam vitam æternam & *Bonum perpetuum* solâ dilectione facillimè obtinendum v. 15. cit. capitis, per dilectionis absentiam leges divinas sibi reddens impletu impossibiles, se præcipitem egit in mortem & *malum æternum.*

Doctrina 3.

Desumpta ex capitibus residuis lib. Deuteron. in quibus describitur Josue in Ducem designatio locô Moysis, mala post mortem eventura præsagientis. Canticum recommendatum Populo tractans de Beneficiis Dei. Populi Benedictio, & secuta Moysis mors.

N. 196. *Considera* 1. QUàm tremenda supplicia hebraico Deus cõminetur Populo, tunc ei obventura, quando Moyses in mortem clausisset oculos. Asserit enim cap. 31. v. 17. *Irascetur furor meus contra eum in die illa, & derelinquam eum, & erit in devorationem, & invenient eum omnia mala.* At verò cui sceleri tot cædes cladesque attribuuntur? respondet S. Textus: *Verè, quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.* Ergò sola oblivio divinæ præsentiæ tantarum mater radixque pœnarum, quæ antea pepererat gravissimas Hebræorum culpas. Psal. 10. *Non est Deus in conspectu ejus*, de inveterato peccatore exclamat Propheta regius, & effectum hujus causæ illicò subjungens pergit canere: *Et inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* S. Paulus uberrimam Messem apud Galatas zelosissimâ prædicatione collectam, ut vidit deficere, in hæc prorupit verba. *ò insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati?* q. d. ò vos Galatæ! quibus convertendis tantùm adhibui laborem, quæso: cur tam citò iterum perversi estis? quæ causa tam abominandæ metamorphoseos? sed en! causa non latet, clarissimè enim patet tuis in verbis ò Apostole, dum asseris: *ante quorum oculos Jesus*

Christus

Christus proscriptus. Ergo unica tam celeris perversionis causa divinæ præsentiæ absentia est, ex qua pariter ortum traxerat extrema Judæorum malitia & immanissimus in Christum furor: velantes enim faciem ejus dixêre Lucæ 22. *Prophetiza, quis est, qui te percussit?* in quæ Verba Simon de Cassia lib. 13. scribit; hæ sententiæ se versâ vice respiciunt, cùm dicitur: *Non videbit Dominus*, Psal. 26. *& Prophetiza nobis.* Et quid modernô tempore Atheistis ad absurdissima quæque crimina habenas laxat: nisi vesana illa persuasio de nullius Dei intuentis existentia? *dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Psal. 13. & quid inde secutum? pergit Psaltes v. 2. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Vide ergo Christiane Lector, ut præsentia Dei nunquam tuo excidat à corde. Illius frequens memoria erit tibi instar Josue, ductura te per viam mandatorum Dei ad cœlestem Chanaan. Non permittet te servire Diis passionum & brutalium appetituum. Scribet in pectore tuo juxta imperium Dei carmen divinarum legum. Confortaberis, & eris instar Josue vir robustus, nil passurus adversi ab hostibus Inferni, qui iter ad patriam tibi remorari conantur: sed teste S. Bonaventurâ l. 2. opusc. de perfect. relig. c. 20. Beatitudinem cœlestem quodammodo in hac vita auspicaberis, familiarem tibi habens divinam præsentiam. Ut enim Angeli ad nostram custodiam deputati, ita se ministeriis istis impendunt, ut tamen beatô Dei conspectu neutiquam priventur: *Angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*, Matth. 18. Ita ubique locorum in tuis occupationibus distineris, ut semper mentis oculum in Deum figens illud prægustes in ænigmate, quô frueris aliquando facie ad faciem, cum regio Vate gravissimis Aulæ & belli curîs occupato valens testari Psal. 15. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Et hinc certus esto; nullum temporis momentum à te fore òtioſè transigendum, nullam occasionem meriti negligendam, nullam gratiam in vanum abituram, si non ore tantùm, sed corde exclames: *Vivit Dominus in cujus conspectu sto.* 4. Reg. 3.

Considera 2. Quanta sit surditas peccatoris per inveteratam con- *N.* 197.
suetudinem obdurati. Videbatur Moyses citiùs insensibiles cœlos instar æris solidos, quàm homines, peccatis per pessimam consuetudinem immersos, ad auditum moturus. Hinc non asserit in Cantico suo: *Audite homines*, sed *audite cœli, quæ loquor* v. 1. cap. 32. Etsi paternam Dei Bonitatem pietatemque eis summè deprædices cum Moyse

v. 6. capitis cit. tamen non eris exaudiendus ab illis. Etsi providentissimam ejus demonstres curam, vî cujus homines custodit, *ut pupillam oculi sui* v. 10. cit. cap. occlusas tamen reperies aures. Etsi vigilantissimam ejus custodiam *instar aquilæ super pullos suos volitantis*, extollas cum eo v. 11. clamabis in vanum. Etsi liberalitatem ejus, quâ *melle, butyrô & lacte omnigenisque terræ fructibûs* omnes reficit v. 13. & 14. cum eo summîs laudibûs efferas, actum tamen ages. Etsi demum rigorosam Dei Justitiam, quâ rebelles aggregatîs malîs obruere solet v. 23. ad vivum cum ipso depingas, marmori tamen locutum te esse deprehendes. Quare ò Christiane! si peccatum in tua deprehenderis conscientia, ocius per pœnitentiam illud expelle, ne firmam in te radicem agens, parem in auribus tuis surditatem pariat, qualem pepererat in auribus illius juvenis, de quo præsentem historiam narrat clarissimæ memoriæ Missionarius R. P. Segneri in Hom. Christ. p. 2. d. 9. n. 10. Quam pro usitatâ hactenùs brevitate nonnihil contractam sic propono. Vivebat in illa Angliæ Provincia, quæ Lancastria nominatur, Juvenis, qui à parente optimo educatus, totô cœlô ab illius moribus aberraverat. Inter alia autem vitia totum se dederat lasciviæ, ausus etiam de spurcitiis suis publicè gloriari, & domi alere fœminam meretricem; à parentibus, à confessariis sæpè admonitus, surdas semper opposuit aures. Interea Deus Parenti ejus jam vitâ defuncto impertitur licentiam, adeundi filium: ut quem viventes ad frugem reducere non possent, reduceret mortuus. Quare filio dormienti apparens, verbîs suavibûs & paternîs, sed maximam emphasim spirantibûs hortatur, ut ocius resipiscat. At surdo canit fabulam, quin potiùs risum ei movet. Hinc denuò adest Pater, & vultu ad severitatem compositô, celerem inculcat pœnitentiam, finiens admonitionem suam hîsce verbîs: Hæc ultima est admonitio tibi à Deo facta terminusque peremtorius, aut vitam mutato, aut die S. Martino dicato, vitam & animam simul perdes, mortem improvisam subiturus. ò horrendam peccatoris inveterati surditatem! verba tam tremenda somnii instar inanissimi habentur à perdito juvene, qui ut stimulum conscientiæ, qui etiam invitis oblatrare solet, sopiret: S. Martini Festivum diem insigni convivio destinat, quam etiam cum amicis festivè inter pocula transegerat eò hilarior, quòd nocte imminente crederet, se magnum prudentiæ specimen dedisse, fidem importunis somniis denegandô. Sed nesciebat miser, diem S. Martino Martyri

sacrum

sacrum suæ ruinæ præfixum esse, opinione suâ deceptus. Quare instar bestiæ ad macellum ductæ exultat, & ecce! sub meridiem duodecimi Novembris, Festô videlicet præfati Martyris & Papæ, dum securè effrenatis cupiditatibus suis indulget, improvisô malô obrutus, inter meretricis suæ amplexus animam exhalat. Hôc exemplô deterritus ociùs resipisce Christiane Lector: Verba Christi Lucæ 7. ad mortuum dicta, tibi quoque seriò dicta credens: *Adolescens surge*, ne senescens in vitio, dum moras nectis pœnitendô, moriaris differendô, periturus cum surdastris impœnitentibus. Sicut lapis projectus in flumen format circulum, ex quo dein alii & alii nascuntur, donec ille ad scopulum vel terram illius quiescat: ita peccatum unum animæ immissum, & non citò per pœnitentiam ex illa ejectum generat aliud & aliud, donec peccator habituatus, ad terram & sepulchrum allisus mergatur in profundo Inferni, auditurus horrendos Dæmonum clamores, qui exaudire noluit blanda admonentis Dei verba.

Pro coronide totius Pentateucon perpende: quomodo anima *N.*198. Deo devota Benedictiones, quas in sensu litterali acceptas Moyses direxit ad Tribus Israël, in sensu morali in se completas experiatur: Ipsa enim instar *Ruben vivit* vitâ gratiæ. *Pugnat instar Judæ*, erectîs ad Cœlum manibûs fundendô preces *pro populo*, *& adjutor ejus contra adversarios est.* Probatur cum *Levi* per tentationes Habitat tanquam alter *Benjamin amantissimus Domini* confidenter in Deo, & in eo quasi in Thalamo per assiduam contemplationem totâ die moratur. Instar *Joseph de Benedictione Domini terra ejus est*, *de pomis Cœli &c.* in exitu de hac mortali vita *lætabitur cum Zabulon.* Habitaturus cum *Isachar in Tabernaculis æternis*: eò quòd tanquam Gad *fecerit Justitias Domini*, & contra vitia velut *catulus Leonis fortissimus* pugnaverit sicut *Dan*, abundans sicut *Nephtali* virtutibûs, *placensque* sicut *Aser fratribus suis*, à quibus vivus & mortuus laudabitur. Miraberis porrò brevissimum Moysis tanti viri vitâ functi Epitaphium, ultimô capite descriptum hîs verbis: *Mortuusque est Moyses servus Domini.* v. 5. Quis enim non isthæc, aut illis similia exspectâsset Encomia? *Hic jacet electi Populi supremus Ductor, Deus Pharaonis, Salvator Hebræorum, Legislator Rituum, immanium Hostium Domitor, Miraculorum patrator &c.* Hæc verò omnia tacens S. Scriptura solummodo servum Dei Moysen deprædicat. Sed hoc ipsum cæterorum silentium summum Moysis Encomium est; enim verò illorum omnium Pompa cum unicô *Servi Dei* tirulô comparata

instar fumi evanescit. Nam teste S. Hieronym, *Grandis Dignitatis & meriti est esse servum Dei.* Et S. Ambros. lib. de vid. asserit: *Nulla est major Dignitas, quàm servire Deo.* Quare Christiana anima, Dignitates & grandes Honorum titulos si appetis, en! præstò tibi est unus, tam facilî obtinendus labore, quàm facile est portare jugum Christi suave & leve, huic ergo colla submitte spretô Mundi servitiô, cui pro vano titulo tamdiu incassum impendisti vires.

FASCICULUS XXX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Josue, in quibus describitur promissa à Populo obedientia Duci Josue. Ablegatio exploratorum in Jericho, quos Rahab abscondit, salvata per funiculum è fenestra suspensum &c.

N.199. *Considera* 1. ISraëlitas Duce Josue promissam sibi terram imgressuros non absque mysterio eidem spopondisse exactam obedientiam: ut enim noverant, tam frequentem inobedientiam illos ab ingressu terræ ejus retardâsse, ita credidêre, se per obedientiam ocius ad eam venturos. Haud aliter sanè obedientia, divinis præstita Præceptis, omni Christiano accessum ad cœlestem Chanaan præparat, maturatque, quem inobedientia solet præcludere. Salvator noster Regnum Cœlorum à nobis obtinendum comparat validissimo cuidam fortalitio, asserens Matth. 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* In quæ verba mellifluus Doctor ait: *Porrò violenti sunt, qui abnegantes propriam voluntatem se ipsos cogunt, aliis obedire. Felix talis coactio, quæ cœlestis Regni acquisitio est.* Eôdem tempore, quos Salvator nos docuit, à Patre æterno Regnum cœleste petere, dicendô: *adveniat Regnum tuum.* Imediatè subnexuit: *Fiat Voluntas tua,* per hoc innuens: voluntatis nostræ submissionem sternere viam ad Regnum, à Patre petitum. Potuisset haud dubiè Salvator noster vel supra pinnaculum Templi, vel in monte Thabor Cœlum empyreum scande-

re,

re, sed elegit Montem Oliveti in Bethania, quia teste Seraphicô Bonav. in Diæt. Sal. tit. 3. *Bethania domus obedientiæ dicitur, in figura hujus Dominus ascendit in Cœlum de Bethania.* Quare Richardus Victorinus me & te Christiane hortatur, dicens: *Si volumus ad Jerusalem tendere, & pacem veram obtinere, oportet ab obedientia incipere, & iter pacis à Bethania inchoare: nam Bethania interpretatur Domus obedientiæ.* Hanc viam Christus in Bethania completam, totâ trivit vitâ factus obediens usque ad mortem. In hac se insequi jussit Petrum, totius Ecclesiæ militantis caput, illi prædicens: *Cùm senueris, alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.* Utquè fideles omnes probè scirent; nullum aliud supereſse iter, quô pertingatur ad Patriam; hinc eos vocavit *oves*, quas constat, animalia esse, tota à pastorum ductu dependentia, haud dubiè erratura, si pastoris imperia non observent. S. Aichardus cùm aliquandô Superiorum jussu opus perquàm sibi difficile & arduum constanter ac fortius exsequeretur, allabentem suis de Cœlo auribus hanc vocem sensit, quæ suavissimê accinebat: *Ibunt sancti de virtute in virtutem*, ceù nempe diceret: unica obedientia ò Aicharde! est, quæ rectissimam ad virtutem, & inde ad gloriam viam demonstrat, quam tu coluisti. Hæc neminem aberrare sinit neminem labi patitur in Tartarum: hanc si semper sequeris, assequeris Cœlum. Meritò itaque aiebat senior quispiam in vitis PP. lib. 3. *Obedientia salus est omnium fidelium. Obedientia genitrix omnium virtutum. Obedientia Regni Cœlorum inventrix est. Obedientia Cœlos aperiens, & homines de terra elevans est &c.* Confortemur itaque Christiane Lector, & simus instar Josue *viri robusti*: Non tantum urbes, sed quod fortius est, proprias voluntates per obedientiæ arma devincendô. Terra, quam, *pes noster* ad imperium Superioris motus, *calcaverit*, erit *nostra*: non quidem, ut ejus deliciis fruamur, sed ut de ea feliciter triumphemus, futuri aliquando Incolæ cœlestis Chanaan.

Considera 2. Bona opera, à Christiano homine peracta instar exploratorum esse, quos Josue capite 2. miserat in Jericho. Promittunt illa nobis ingentia præmia, à Josue Christo tunc danda, quando ille adveniet, universum Mundum instar Jericho succensurus. Verùm necesse est, ad obtinenda hæc præmia priùs impleri conditionem, quam præfati exploratores mulieri Rahab appoſuêre, dicentes v. 14. citati cap. *si non prodideris nos.* Christus ipse gloriam, sibi ab æterno paratam, assecuturus, voluit opera sua abscondi, & nullatenùs à discipulis prodi *visionem* inquiens, *quam vidistis, nemini dixeritis,* *N.200.*

tis, donec filius hominis à mortuis resurgat. Non in publica via, sed intra domum cæco visum præstitit, ut Boezâ teste fideles doceret: virtutis splendentis decora obumbrare. Cùm Sol occidisset, curabat ægrotos teste Lucâ c. 4. ut tanta miracula oculis hominum subtrahens, subtraheret etiam vanis eorum laudibus. Evchariſtiam quoque post Solis occasum instituit, ut manus non viderentur tam munifici Largitoris: unde etiam Manna tanti Mysterii celeberrima figura, non luce clarâ diei, sed intempestâ nocte in circuitu Castrorum diffundebatur, atque Arca continens Manna semper remanebat tecta. Jubet adhæc Christus Lucæ 12. lucernas ardentes in manibus teneamus. At hoc quô aliô fine? quàm, ut pia opera à vento vanæ gloriæ tueamur: lucernîs enim ea de causa utimur, ut lumen à vento conservetur. Sacræ paginæ mirîs extollunt laudibùs Noë Genes. 6. testatæ de illo: *Noë vir justus atque perfectus in generationibus suis.* Quæ verba ultima sic legit Hebraicus textus teste Novarinô: *Perfectus in sua habitatione.* Sed quis ambigat: Noë in omni loco virtutibus studuisse? reponit citatus Doctor in adagiis excursu 141. ea de causa Noë deprædicari justum in habitatione sua, eò quòd Justitiam suam non Hypocritarum more in foro & compitis propalare, sed intra secretos domûs suæ angulos tegere voluerit, à solo Deo aspiciendam. Spiritus Sanctus Salomonis calamô descripturus animæ virtuti deditæ pulchritudinem Proverb. 31. hîs utitur verbîs. *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Textus est planè primâ fronte difficilis intellectu, ut advertit Gilbertus Abbas Serm. 34. in cantic. indicat enim excellentiam virtutis in exterioribus sitam esse, quemadmodum pretiosus vestitus & ornatus exterior elegantem reddit mulierem. Verùm quis nescit: divinum oculum recreari potiùs internîs, quàm externîs animæ piæ elegantiîs? quare peracutè hoc dubium resolvit Pater Sanctus, dum ait: animam Deo devotam, & hinc summô ejus amore dignam, omnem suam pulchritudinem deferre in meris vestibus, non ut videndum, sed quemadmodum vestes illæ corpus obtegunt, ita virtutibus suis tegumentum objiciat, quô oculis hominum sicut corpus ipsum subducatur. Et sicut funiculus ille, quem Rahab è sua domo suspendit, eam morti & spolio surripuit citatò capite 2. Ita velùm, quô ab oculis hominum anima abscondit virtutes & opera, vitam & merita ipsi conservat.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. Josue, in quibus describitur Motio Castrorum, Transitus per Jordanem, Erectio duodecim lapidum, Refluxus aquarum, Terror Chananæi, Desitio Man, Circumcisio facta per cultros lapideos.

Considera 1. CHristianos hujus Mundi Jordanem victricî pede tran- *N.*201.
situros, debere Arcam Sanctissimæ Crucis semper oculis suis præferre, tanquam certum futuræ victoriæ signum, Arcæ fœderis in morem, olim à Sacerdotibus Hebræis ante exercitum portatæ. *Non enim est* teste Thoma Kempensi p. 3. Serm. 1. *Aliqua armatura tam fortis, nec sagitta tam acuta & terribilis contra Diaboli potentiam & sævitiam, quam sic timet, sicut Signum Sanctæ Crucis.* Baudemundus in vita S. Amandi apud Surium 6. Feb. refert. Dæmonem aliquando unum præfati Antistitis famulum apprehensâ manu traxisse in mare, ocius submergendum: Sed hunc voce, quâ posset maximâ, illicò clamâsse: *Christe adjuva me! Christe adjuva me!* crudelis raptor juveni non factô tantùm, sed & verbô insultans reponit: *Qualis Christus?* terrore nimiô perculsus homo, dum non haberet, quod responderet, audit acclamantem sibi Antistitem suum: *Dic illi fili: Christus filius Dei vivi crucifixus.* Et ecce! vix verba hæc audierat inimicus crucis raptor, relictâ prædâ in auram fumi instar non ultrâ visus abiit. Addam exemplum aliud memoratu pariter dignissimum, quod in vita S. Mariæ Magdalenæ legitur. Stygius Venator hanc sibi per Christum ereptam è faucibus prædam, dum ad antiquos vitiorum casses revocare non posset, variîs insequi molestiîs cœpit, ut ad impatientiam saltem inflecteret, quam ad vitia jam penitùs mutatam inflectere non poterat. Opposuit illa firmissimum Nominis Jesu scutum, quô pronuntiatô adfuit Sanctus Michaël, Dæmonum larvas quasi jactô in eos fulmine abigens, simulque contra futuros incursus crucem in ore speluncæ erigens, per quod factum testari voluit: plus armaturæ contra hostiles Dæmonum assultus in *Jesu crucifixo*, quam nudo Jesu nomine positum esse: nec hoc Paradoxum dixeris; cùm constet ex S. Paginis, plures nudum Jesu nomen ex veteris Testamenti Patribus tulisse, nullum tamen per crucem insultâsse Dæmoni præter Jesum Christum, exinde Salvatorem dictum. Quis ista audiens

non exclamet cum S. Martiali Epist. 1. ad Burdegal. *Crux Christi invicta armatura est contra Sathanam, & galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens.* Hunc clypeum, si aquis variarum tentationum, quas contra nos objicit Orcus, opponimus, stabunt illæ instar Jordanis immotæ, & transibimus cum Israëlitis *per arentem alveum.* v. 17. cap. citati. *magnificabit nos Dominus* ut timeant nos infernales hostes, instar Israëlitarum timentium Josue & Moysen. Erigemus non tantùm *duodecim*, sed centena Victoriæ contra tartareos Jerochontinos obtentæ signa. Historici referunt; Ranas Ægyptiacas rarâ arte eludere hostem suum, Nili fluminis alumnum, quem Hydrum nominant; talem enim ut sibi insidiantem conspiciunt, subitò frustum aliquod arundinis mordent, & eô obliquè retentô sese mordicùs opponunt hydro. quæ cùm tam ampli oris non sit, ut ranam cum ligno deglutiat, cogitur intactam relinquere, relinquendô illi cum vita Victoriam. Christiane Lector! in Mundi Nilo nos ranas agimus, nullum valentiorem & magis timendum habentes hostem, quàm stygiam illam Hydrum: quid ergo ages, ut cum rana Ægyptiaca Victoriam reportes? quàm ut arundinem illam ore tuô apprehendas, in qua salus mundi pèpendit, in qua mors mortem superavit. Exclama igitur juxta S. Amandi præsulis monitum: *Christus filius Dei vivi crucifixus adjuvet me!*

N.202. *Considera* 2. Quòd sicut Manna capite 5. dicitur defeciſſe, postquam Israëlitæ refecti sint fructibus terræ: ita supernæ consolationes, deliciæ & Spiritus dulcedines à pia recedant anima, quamprimum illa incipit refici illecebris mundi. Quare optimè discurrit mellifluus Bernardus Serm. 6. de Ascens. dicens: *Errat omninò, si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa spiritûs misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur.* Jeremias Propheta animam quandam sequentibus depingit lineamentis Thren. 4. dicens: *Deposita est vehementer, non habens consolationem.* At edissere Propheta, quæ tantæ desolationis origo? reponit ille: *sordes ejus in pedibus ejus.* Innuens per isthæc verba: animæ hujus pedes, affectus videlicet immundis mundi deliciis adeò infici infectasque ligari, ut illa ad captandum de Cœlis solatium levare se neutiquam possit, coacta versari in mœrore, quem mundi voluptates, sibi semper commixtum habent, nunquam solitæ, nunquam puræ. Necesse fuit in Cana Galilææ priùs omnî vinô pro carnalibus Nuptiis allato destitui vasa, àntequam re-

ple-

plerentur vinô, miraculosè productô vel unica profani gaudii stilla sufficit turpandis omnibus Cœli lætitiis, sicut unica atramenti gutta limpidissimam obfuscat aquam. Christus ipse sciens, discipulos suos nimiô sacratissimæ suæ Humanitatis amore inescatos ait Joan. 6. *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclytus non veniet ad vos.* O Christiane! si ipsa Christi Humanitas, & sine minima labe concepta vivensque caro, visa est impedimento esse discipulis, spirituales delicias & consolationes sensuris: quomodo putas stare posse impuras mundi delicias cum supernis? quare cum regio vate protesteris Psal. 76. canente: *renuit consolari anima mea*, à te videlicet munde immunde recuso omne solamen. Quô factô poteris pariter cum eo profiteri: *consolatus sum*, sentiendô videlicet cœlestes delicias rejectîs terrenîs. Fac ergò tibi cum Jesue juxta imperium Dei *cultros lapideos*, quibûs circumcidas omne præputium appetitûs inordinati terræque affixi. Solve cum eo calceamenta passionum & effectuum de pedibus tuis: *Terra enim in qua stas*, fruiturus supernîs solatiîs, *sancta est*, nil compatiens immundi.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 6. 7. & 8. lib. Josue, in quibus describitur miraculosa occupatio urbis Jericho, civium & urbis excidium, furtum Acham, populi terror atque cædes. Civitatis Hai per insidias occupatio.

Considera 1. QUam ingentem & longaninem Misericordiam Deus exerçeat erga peccatores: dum vindictam noluit sumere de civitate peccatrice Jericho, antequam prævîis minîs ad pœnitendum eam instigâsset, jubens sex diebûs armatum Israëlitarum exercitum circuire prius civitatem, & die septimâ septies, ut tam tremendô aspectu territi resipiscerent cives. *Qui totam Mundi machinam*, ait hîc Glossa, *sex diebûs perfecit, lentè ad unius Civitatis eversionem bonitate impeditus aggreditur.* Isaias Deum suum Populo summè iratum, ferrumque jam in ejus perniciem vibrantem caput 29. producit: ita tamen dispositum, ut priusquam laxet in vindictam, jam actu præparatam, sollicitô circumspiciat oculô, visurus: an non sit, qui brachium inhibere conetur? & dum nullum conspicit, conqueritur: *Se aporiarî*: h. e. *affligi.* Quasi verò afflictio Deo accidat, quòd nullum reperire sit, qui per preces ejus manum retineat, quam Justi- *N.* 203.

tiæ æquitus in Vindictam scelerum armaverit. Jerosolymam olim Deus ob innumera peccata in debitam civium pœnam destructurus Thren. 4. detendit funiculum. At cur hoc? nunquid enim funiculus detentus non magis ædificandæ, quàm destruendæ servis civitati? Sed hoc ipsum divinæ misericordiæ aperit insigne spectaculum, dum puniturus Jerosolymam, ædificationem ejus vitæ videlicet emendationem potiùs, quàm ejus ruinam pro scopo habuit. Christus Dominus cernens Templum profanari ab ementibus & vendentibus: ut honorem Patris æterni ulciscereturt, propriâ manu sacrilegos invadit. Verùm etiam hîc locorum raræ dedit Misericordiæ judicium, si exactiùs perpendamus instrumentum illud, quô usus est: nam teste Joan. c. 2. *Fecit quasi flagellum*, non arripiens flagella, nodosîs funibûs & ferreîs aculeîs instructa, quibûs innocens ipse pro nocentibus fuerat crudeliter lacerandus, sed funiculîs tantummodo armavit manus teste Psalmistâ: *Continens in ira sua misericordias suas.* Hinc non est, quod admirer ampliùs: Deum apud Ezechielem per vitam suam jurare, nolle se mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, in quæ verba Hieronymus scribit: *jurare se dicit, ut si non credimus promittenti Deo, credamus saltem pro salute nostra juranti.* Ego inquit certos vos redditurus de mea Clementia, juro: ut firmam in vobis accendam fiduciam Misericordiæ meæ, quam pondus criminum vestrorum extinguere nititur: adeoque si non creditis promittenti, credatis saltem juranti. At verò ò Deus infinitæ bonitatis! Quid juramentô opus, quando tam manifesta nobis misericordiæ tuæ exhibes signa, ut nec ullus dubitandi de ea locus superesse videatur. Quæ uspiam reperiri potuit major clementia, quàm ut in forma peccatoris Vnigenitum mitteres Filium, nullô alterô negotiô, nisi salute hominum occupatum? nec occupatum tantummodò, sed hac de causa labore & dolore penitùs obrutum. Prout ipsius nomine tastatur Isaias c. 43. dicens: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* q. d. eheu! quantô labore mihi constitit homo, quando relictô cœlô ingressus sum hanc miseriæ vallem, ab infernali lupo jam abreptum liberaturus. Quantum sudorem fundi necessum fuit, ut illum velut perditam ovem ad gregem reducerem? quæ & quanta asperitas non fuit sufferenda, ut à servitute Dæmonis, emancipatus, libertatem filiorum Dei assequeretur. Creatio hominis unicô perfecta est verbulô *fiat*! at recreatio ejus infinitô propemodum labore comparata.

rata. Non enim hæc verbis, sed etiam sudore & sanguine obtineri debuit. Tam luculentô igitur Misericordiæ divinæ testimoniô convictus ò Christiane ! non cessa clamare cum Vate regio, & milliès ingeminare : *Quoniam in æternum misericordia ejus !* hoc tamen insuper age; ne instar Urbis Jericho, Misericordiâ Dei ad pœnitendum non permotæ pereas, non temerè præsumas de ea, tempus ad agendam pœnitentiam tibi concessum elabi patiens: *fert enim Deus patienter*, ut asserit Origenes ad Rom. 2. *& exspectat uniuscujusque pœnitentiam, sed hoc non dissolvat, & tardos ad conversionem faciat: quia pœnitentiæ ejus & sustentationis mensura est.* Unica mulier ex tot millenis civibus Jericho pœnitentiam suam differentibus, gratiam reperit cum familia sua citatô capite, cæteris omnibus victorum manu necatis. Monitis ergò Apostoli morem geras, ad celerem pœnitentiam te adhortantibus, dum 2. Corinth. 6. ait: *Ecce ! nunc tempus acceptabile ! ecce nunc dies salutis. &c.*

Considera 2. Quomodo Populus Hebræorum tot Victoriis in- *N.*204.
clitus à civibus Hai robore virium & peritiâ bellandi longè impar ribus, in turpissimam abigatur fugam, tantoque impleatur metu, ut S. Scriptura dicat v. 5. cap. 7. *pertimuit cor populi & instar aquæ liquefactum est &c.* Quis quæso tam formidando exercitui tam grandem potuit formidinem incuttere? author hujus in propatulo est; unicus avarus ille Acham tanquam modicum fermentum totam massam corrupit. Peccavit Israël, asserit S. Textus v. 11, *Et prævaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati sunt, atque mentiti.* Ita sanè unius perversi exemplum sufficit plurimis pervertendis, sicut una ovis morbida totam inficit gregem. Genes. 1. Deus volatilibus & piscibus à se quinta die creatis benedixit dicens : *Crescite, & multiplicamini* v. 22. Animalibus verò sextà die creatis non benedixit. Cur hoc contigerit, curiosâ indagine quæres ? respondet Anastasius Synaita, inquiens: *Terrena privata sunt benedictione, quoniam in eis erat serpens Evæ hostis &c.* Voluit ergo Deus ab ipso Mundi exordio docere, quanti damni integræ communitati immineat ab unius impietate. Confirmant hoc verba Isaiæ Abbatis Orat. 22 scribentis. *Nec Dominus Jesus priùs ascendit in Crucem, quam Judam expulisset è medio discipulorum*, prævidens enim quantum subesset periculi, Judâ inter discipulos post mortem Christi commorante, cujus impietatem, ne cum eorum scandalo in publicum prodiret, Humanitatis suæ præsentiâ cùi frenô fortissimô coercuit. S. Ephrem de recta vivendi ratione n. 22. ait:

quamprimùm capta fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, ut voluntati inimici obsequantur, sicuti perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt: circa illam enim auceps laqueos figit, ut voce sua perdix reliquas circumvolitantes ad eosdem pelliceat, & sic decepta decipit omnes; quæso, unde in familiis quibusdam tanta lascivia inter proles, tanta dissolutio inter servos & ancillas, nisi ex unius impudici lingua ortum traxit? ò quàm multæ integerrimæ vitæ Virgines unius proci petulantia in casses devenêre, irreparabilî castimoniæ damnô. ò quàm innumeri adolescentes in templo seduli, in oratione frequentes, in obedientia celeres, in moribus compositi, unius perversi contubernio in gloacam vitiorum omnium demersi sunt! vide ergo Christiane Lector! si Superiorem agis, quales patiaris in tua communitate aut familia homines? aut si inferior es, vide: quibus te jungas sociis. Superior, qui vel unum patitur impium, audiet ociùs à Deo v. 13. cit. capitis: *Anathema in medio tui est Israël, non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te &c.* & si talis vixerit in communitate, qui instar *Achan* furtum suum abscondentis, nequitiam suam palliô pietatis tegere noverit; ut tu Superior in ejus notitiam devenias, pone ei cum Israëlitis insidias: non tantùm ad publica ejus dicta & facta, sed etiam ad secretiora vigilem habens oculum. Brevì continget, ut eum capias cum civibus *Hai.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 9. 10. & 11. lib. Josue, in quibus describitur Astus Gabaonitarum, pacem dolosè impetrantium à Josue. Obsessa Gabaonitarum civitas à Josue liberata, Sol stare jussus, quinque Reges capti &c.

N.205. *Considera* 1. ADulatores imitari Gabaonitas: ut enim illorum hominum, quos fallere quærunt, amicitiam impetrent, cum Gabaonitis munera illis offerunt, laudes & præconia congeminant, servos profitentur se esse, ad *fœdera* paratissimos, olei naturam induunt, quod illis rebus, quibus affunditur, se accommodans, cum frigidis frigidum, cum calidis calidum verba Apostoli inversô sensu accepta sibi appropriat, Rom. 12. testantis: *omnibus omnia factus sum &c.* Hoc oleum clarissimè cognitum habens, sed summè detestans regius Vates

Vates exclamat: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Noverat ille pessimô aliorum exemplô doctus, quanta Regibus inferat damna tartareus iste liquor, quô tamen proh dolor! omnes propemodum Aulæ & Palatia Magnatum abundant. Quare fateri cogimur cum S. Hieron. ad Cellant. scribente: *Istô maximè tempore regnat adulatio: quodque est gravissimum, quia humilitatis ac benevolentiæ locô ducitur. Ita fit: ut qui adulari nescit, aut invidus aut superbus reputetur.* Christus Dominus Matth. 9. vocatus ad resuscitandam Principis Jairi filiam, circa demortuæ corpus reperit tibicines. Sed quid isti hîc locorum agant, cùm Musica in luctu sit importuna narratio? ocius ergo à Christo abesse jubentur, non antea vitam mortuæ daturo, quàm domus fuisset à talibus musicis vacuata. Rabanus factum hoc expendens asserit: *Tibicines sunt adulatores, qui fovent mortuam.* Neque enim adulatio solùm culpâ mediante mortem animæ conciliat, sed & nutrit, & fovet. *Et cum ejecta esset turba*, pergit S. Textus: *intravit & tenuit manum ejus, & surrexit*, ut intelligamus: tunc animam in peccatis mortuam ad vitam gratiæ redituram, quando nullum circa se senserit tibicinem, adulantem videlicet linguam; talem enim qui patitur, non vivet amplius vitâ gratiæ, non ultrà surget è somno vitiorum. Accidet illi, quod incautis evenire solet nautis, hi dum avidam aurem præbent Sirenum cantibus, indormiunt sopore tam gravi, ut eò usque non evigilent, donec fallacissimarum hostium rapidos dentes suæ cuti infixos sentiant. Accidet pariter illis, quod evenire solet infantibus ab ancillis infantariis, istæ dum agitant cunas, tamdiu adhibent cantum, donec infantes sopiant, & sopore obrutos alligare queant cunis. Hinc S. August. ait in sententiis sentent. 137. *Adulantium linguæ alligant animas: delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.* Sic Necesias Alexandri Magni Assentator superbiam ejus alligavit. Qui cernens Regem sumptô medicamine tormentis cruciari, Athenæô teste lib. 6. dixit: *Quid ò Rex nobis fiet, quando vos Deos hæc tormenta premunt?* sic Anaxarchus præfati Regis crudelitatem alligavit, quando illum de nece inclyto Clyto à se illatam contristatum videns, in hæc verba prorupit: *Nescis, jus esse & fas adsidere Jovi, ut quidquid Rex facit, id justum fasque sit?* sic immanem Dionysii Tyranni barbariem alligaverunt adulatores, qui illam compellavêre Justitiam. Sic (ut plura alia silentio involvam exempla) Tribonianus Jurisconsultus Justiniani, cæteroquin sagaciissimi Imperatoris, arrrogantiam

gantiam alligavit, quando ausus est dicere: illum neutiquam aliorum hominum more moriturum, sed unà cum corpore à cœlo assumendum fore. Tali oratione Imperator in sua Jurisprudentia & dignitate turgidior effectus, à veritate Catholica deflexit, & in hæresim prælapsus, corpore & animâ periit. Quare Christiane Lector te verbis S. Hieron. jam semel citati adhortor, ad Celant. scribentis: *gulosos & palpantes adulatores quasi hostes fuge.* Et ne tu ipsemet adulatorem agas, cogita frequenter, quas pœnas Deo & hominibus dare soleant adulatores Gabaonitarum assecla, *sub maledicto* cum ipsis futuri v. 23. cit. capitis. Adolescens narrans Davidi mortem Saulis, pro mercede adulationis suæ hastam visceribus infixam sensit 2. Reg. 1. duo siccarii, qui caput Isbosethi eidem Regi attulerant, hôc factô adulaturi, proprium perdidere caput 2. Reg. 4. Pharisæi Christo fallacissimis linguis adulantes, asserendô: *Magister scimus quia verax es &c.* Matth. 22. pluriès de Hypochrisi & aliis vitiis fuêre ab illo verbis verissimis castigati? Achatius Zenoni Imperatori adulatus, ipsemet cum Zenone in hæresim & interitum incidit. Baronius in annal. an. 485.

N. 206. *Considera* 2. Quanta sit vis virtusque orationis fervidæ: tanta planè, ut non tantùm grandines, sed etiam ingentes lapides è cœlo delapsi sint super hostes Josue, devotissimè orantis: atque hinc asserit S. Chrysost. Tom. 1. Homil. 67. *telum est acerrimum Regibus deprecatio*, & regius Vates cantat Psal. 149. *exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.* Cùmque Rex iste jam ætate confectus, fixum ratumque haberet, bello interesse 2. Reg. 18. à suis tamen prohiberetur, rogatus, manere domi, longè majorem hostibus intulit stragem, domesticos inter lares fervidè orandô, quàm patentibus in campis propriâ manu bellandô. Quod confirmat Abulensis q. 12. in lib. Reg. hæc verba scribens de illo: *Quia ipse manens in urbe tantùm fecit orandô, sicut decem millia de euntibus ad prælium pugnandô.* S. Gregorius M. probè sciens, quantum in expugnandis urbibus & profligandis exercitibus hostium, valeant Dei servorum preces, Mauritium Imperatorem gravissimi erroris redarguit, dum legem promulgavit contra milites, qui depositô cingulô militiæ sæcularis transîêre ad cingulum militiæ religiosæ, veritus: ne numerô militum sic decrescente decrescerent vires exercitûs sui. Hanc ergò legem Pontifex istâ ratione impugnavit, asserens: *Tunc magis Dominorum exercitus contra hostes crescit, quando Dei exercitus ad orationem creverit.* His verbis forsan jam præ-

luserat

Iuserat cœlestis Sponsus, cùm martialî animô præditam Sponsam sic collaudare auditus est, dicens Cant. 7. *Quid videbis in Sunamitide, nisi choros castrorum?* quem locum nonnisi attonitô oculô legens Theodoretus, miratur: quid hæc sibi velit dissimilium rerum connexio? quam concordiam conficere valeat hæc discordia armorum & chori? nonne arma in manibus militum, in linguis Monachorum preces & vota? apud hos nonnisi strictum reperies silentium, apud illos nonnisi strepitum & clamores exaudies? verbô: *Quid chori cùm castris? neque enim castris conveniunt chori: pax enim bello contraria est.* Ita ille, in cantica. Verùm respondet ociùs, inquiens: *Nimirum animæ orantis naturæ per hoc nobis exprimitur: etenim dum apud altissimum preces fundit, & Musici officium fecit & militis - Musici quidem dum placat iram, militis verò dum vincit invincibilem.* Ingens clades exstitit illa, quam suo in exercitu passus est Amalech Exodi 17. Sed quibûs armîs, nisi precibûs Moysis illata fuit? horrendam sensêre stragem Samuelis tempore Philisthini, Judæorum terram invadere, & omnia ferrô igneque depopulare ausi: at quis eos hâc strage affecit, nisi Samuelis fervida oratio? quis illo in conflictu pugnavit, in quo nemine è castris Honorii Imperatoris cæsô, imò nec vulneratô ducenta Gothorum millia cecidêre, Orosiô teste lib. 7. c. 37. nisi calidissimæ preces? & quid Carolum V. Imperatorem invictissimum tot urbium triumphatorem, tot exercituum victorem, tot gentium domitorem effecit, nisi frequens illud, & devotum orandi studium, ratione cujus de eo dictum est: *Carolum cum Deo sapiùs, quàm cum hominibus agere?* de hac fortissima precum armatura, & obtentis per eas victoriis non ambigens Carolus VI. modernus Imperator piissimus, ut pares Victoriæ Lauros de Turca immanissimo Christiani nominis hoste, qui Superatâ Moreâ Romanum Imperium susque deque versurus, ingentes exercitus coire jusserat, colligeret: id primò inter negotia sua locô habuit, ut ubique gentium suarum publicæ fierent preces, per singulas Dominicas & feriatas dies continuandæ. Et hem! tam felicî successu hôc annô supra millesimum septingentesimum decimô sextô pugnatum est, ut prostratô apud Peterwardinum campestrî exercitu, ex ducentis & ultra millibus Turcarum constante: tribûs ante hac vicibus à Christianis oppugnata, sed nunquam expugnata Urbs Themesvvar, brevî temporis spatiô subacta sit; ipsîs Ducibûs, quibûs de obedientiâ ibidem immortali gloriâ nihil hîc dempsero, fateri coactîs: Victorias has non sine mi-

raculo partas esse. Ut nihil memorem de pannico illo timore, quô tota propemodum Turcia nunc afficitur, communî votô exclamans: *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.* Dum econtra subditi Domûs Austriacæ preces suas duplicant, & cum Victore Josue non quidem alloquendô materialem Cœli Solem, sed Solem Justitiæ Christum orandô, dicunt: *ne movearis - donec ulciscatur se gens nostra de inimicis nostris.* v. 13. citati capitis. Cùmque teste Job *militia sit vita hominis super terram:* adeoque non tantùm hostibûs externîs, sed vel maximê domesticîs impugnemur, quos inter velut Reges præsideant quinque sensus externi. Hinc de talibus quinque hostibus cum Josue triumphum reportaturi, ad sola orationis arma confugiamus, animati verbîs S. Gregorii Nyssæni, qui orat. 1. de Orat. Dominicâ ait: *Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est. Oratio Virginitatis sigillum, matrimonii fides, viatoribus scutum.* Hâc armaturâ pudicitiam suam strenuissimè defendit contra Holofernem Judith. Hoc scutô Susanna impudicissimos duorum Senum assultus excussit. Hôc ense quasi flammineô Chrysanthus adolescens omnes sibi à parente pessimo objectas delicias confodit. Is enim cùm ob susceptum Baptisma à Polemio patre in carcerem detrusus, & pejore consiliô ad delicias exinde eductus, inter puellas pulcherrimas fuisset constitutus, longâ oratione ad Deum se convertit, cujus epilogum pro coronide hujus Doctrinæ annecto. *Nunc ego* (orabat ille) *te supplex convenio, ut mihi adversus istas feras opituleris, ut quemadmodum serpentes dormiunt, ad vocem incantantium, sic ipsæ me precante dormiant: ne mihi libidinis bellum inferre queant. Quoniam agnosco te verum Deum, qui homines in te credentes defendis, & invictam illis virtutem elargiris.* Hæc cum dixisset, tam ingenti Virgines somnô sunt oppressæ, ut nisi ex triclinio exportarentur, excitari non possent &c. Baron. apud Surium 25. Octob.

(o)

FASCI-

FASCICULUS XXXI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 12. & 13. lib. Josue, in quibus describitur Mandatum Dei de equis hostium subnervandis, & de distribuenda Israëlitis terrâ nullâ certâ possessione Levitis assignatâ, sed jussis vivere de Sacrificiis.

Considera 1. NOn sine Mysterio singulari Deum Josue Duci imperâsse, equos ab hostibus in prædam obtentos subnervet dicendô v. 6. cap. 12. *equos eorum subnervabis.* Ne videlicet equi illi ab Amorrhæis iterum acquisiti, novo bello contra Israëlitas movendo prodessent. Taliter agit Deus cum Electis, qui membris corporum suorum aut bonis fortunæ ceu malis equis *& fallacibus ad salutem* teste David abusi, pugnârunt contra ipsum, transgrediendô sanctissimas ejus leges. Hi ergò mediante pœnitentiâ in prædam ducti, ne ultra homini serviant ad repetendum bellum, subnervantur per immissas tribulationes. Testatur hoc Jerosolyma sibi eveniisse Thren. 1. exclamans *de excelso misit ignem in ossibus meis*, hujusque effectum illicò subjungens ait: *& erudivit me.* Conversio S. Augustini etsi à potiori debeatur hortatibus S. Ambrosii, & S. Monicæ lacrymis, attamen illô ipsô teste in lib. confess. magna ex parte adscribenda est tribulationibus à Deo illatis, inquit enim: *Tu semper aderas, misericorditer sæviens, amarissimis successibus aspergens omnes illicitas immunditias, ut in te quærerem sine offensione jucundari.* Fuerant olim regio Vati tot populorum Homagia, tot thesaurorum æraria, tot vocum applausus, tot victoriarum coronæ instar equorum fallacium, quorum auxiliô ad inferendum Deo bellum per crimen adulterii & homicidii stimulabatur: verùm rebellans filius & plures aliæ calamitates illi immissæ, ad pacem perpetuam cum Deo stabiliendam eum compellârunt. Saulus ex persecutore in Apostolum mutatus, ut nunquam ampliùs conscenderet equum, quô Damascum vectus, tantam Ecclesiæ nitebatur inferre perniciem, quotidianis cruciabatur tribulationibus, quarum tamen virtutem agnoscens, exclamare auditus est; *libenter gloriabor* *N.207.*

viabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Planè sicut aves sylvestres cicurantur caveis, equi indomiti frenis, canes lorîs, ita homines in vitia effusi, & per pœnitentiam ad frugem reversi, tribulationibûs ceù caveis, ceù frenis, ceù lorîs intra limites religiosæ vitæ retinentur. *Sicut cera*, pulchrè ait B. Antiochus Homil. 78. *Nisi recalescat, aut præmolliatur non facile in se recipit sigilli impressionem: ita homo nisi laborum & multifariæ infirmitatis probetur exercitiô, neutiquam sinet insigniri se signaculô divinæ gratiæ.* Solis æstus facile denudat viatorem, suô palliô privans illum: sed non item frigidus aquilo; hôc enim afflante totum sese palliô involvere solet. Ita prosperi hujus vitæ dies facillimô conatu divinâ nos spoliant gratiâ, & ad sectanda trahunt vitia; adversitas verò quasi victos tenet intra virtutis limites, ut eas transgredi non nisi ægerrimè valeamus. Quare ò Christiane! si vel jacturam in bonis fortunæ, vel graves in corpore dolores perpeti cogaris, utere verbis, quibûs usus est regius Vates Psal. 118. exclamans: *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Signum hoc est amoris paterni certissimum: quem Deus tenerè diligit, flagellat, ut ultrà non degeneret. Imitatur Deus Ducem Josue, in devictis hostibus v. 11. cit. capitis nil relinquentem, quod ampliùs obesse possit. Nulli sensui, qui Regem animæ tuæ perversô imperiô hactenùs egerat, parcit, sed gladiô tribulationis mactat omnes, ut contra spiritum nil hostile moveant imposterum.

N. 208. *Considera* 2. Deum non antea præcepisse Duci Josue ut terram Israëlitis divideret, antequam ei mortîs memoriam proposuisset, dicendô: *senuisti & longævus &c.* v. 1. c. 13. hoc est: cogita, te proximum esse morti, cujus memoria tibi instar regulæ serviat, quâ ductrice ad æquissimam divisionem progrediaris, Justitiæ adamusim satisfacturus. Mors enim se æquissimam erga omnes comprobat, nullô respectu inter personas habitô sternit cum divite pauperem, & terræ inserit. Pari forsan de causa olim Patriarchæ in horam mortis distulêre paternas benedictiones, quæ filiis patrimonii instar dividebantur. Et quemadmodum Sagittarius artis suæ peritus, telum ad scopum taliter dirigit, ut neque excessu, neque defectu, neque ulla in partem inclinatione feratur: ita homo Justitiam exactè observaturus se gerere debet. Hæc centro simillima est, quod in medio circuli positum, toties non tangitur telô justæ sententiæ, quoties respectus ad personam vel munera præponderat. Virga Moysis intemeratæ Justitiæ signum, quoties in terram projecta est, toties tortuosum induit serpentem,

indi-

indicans moraliter: illos Judices ferre tortuosas sententias, & rectæ æquitatis liniæ contrarias, qui terrenos affectus amoris, favoris, aut munerum æquitati prævalere permiserint, immediate oppositi Christo, qui à Patre constitutus est Judex vivorum & mortuorum. Hic dum inter homines ageret ab ipsis etiam Judæis audiit: *non respicis personam hominis*, erga inopes æquè ac divites, doctos æquè ac indoctos, nobiles æquè ac plebejos æqualem te demonstrans, ut satisfaceret mandato Patris sui, Israëlitis Deut. 1. per Moysen dicentis: *nulla erit distantia personarum. Ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis personam cujusque, quia judicium Domini est.* Etsi hoc judicium Domini ignoraret Idololatra Alexander M. tamen eidem strenuè videbatur obsecutus, à quo dum Olympia mater necem innocentis extorquere vellet, partûs sui doloribûs pro argumento, ut credebat efficacissimô, usa, inflectere tamen filii animum in tam iniquam sententiam minimè valuit, responsum ferens ab illo: aliam mater mercedem pete, hominis salus nullò pretiô compensatur. Zeleucus Locrensium Rex legem sanciverat, ut adulteri perderent oculos. Dum ecce! filius amore cæcô in legem impingit. Quid agit Pater? Justitiæ ut morem gereret, unum oculum filio, alterum sibi erui imperat. Exodi 32. Moyses acriter puniturus sacrilegam illam indomiti populi Apostasiam, qui negans Deo debitum Cultum & Reverentiam, prolapsus est vesanô impetu in abominandam illam vituli adorationem, promulgat notissimum mandatum: *si quis est Domini, jungatur mihi.* Voce hâc vix auditâ filii Levi coëunt, generosô æquitatis pietatisque igne stimulati evaginant vindices gladios, & sepositô omnî consanguinitatis amitiæque respectu, in ipsa viscera parentum, fratrum, propinquorumque eos intorquent. Talia exempla tuis præfige oculis Christiane, si Judicem agis, & discès talem agere, qualem requirit Deus, qualem postulant jura, cæcum videlicet & impartialem.

Porrò supereſt in hoc capite punctum aliquod à personis Ecclesiasticis diligentissimè notandum. Testatur enim S. textus v. 14. cit. capitis Tribui Levi non assignatam esse certam Possessionem, sed jussum esse vivere de Sacrificiis & Victimis, ut inde discant Ecclesiastici, pessimè eos agere, si terrenis bonis inordinatô affectu inhæreant. Quare etiam S. Mater Ecclesia ordinavit, ut clericali militiæ nomen daturi, dum primam recipiunt Tonsuram, audiant verba Vatis Regii Psal. 15. cantantis: *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* dixi *Domino Deus meus es tu.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 14. 15. & 16. lib. Josue, in quibus describitur Josue fortitudo in decrepita Ætate, diviso terræ Othonielis & Axæ conjugium. Conservatio Jebusæi & occupatio Chananæorum Tributariorum.

N.209. *Considera* 1. & admirare verba Josue v. 11. capitis 14. de se testantis: *Hodie octuaginta quinque annorum sum, sic valens, ut eô valebam tempore, quando ad explorandum missus sum.* Quæres autem, quô venerit: illum in tam decrepita ætate tam insignî excelluisse robore & fortitudine? respondet S. textus v. 14. *Quia secutus est Dominum Deum Israël.* Dicam è contrario: homines Mundum sequentes vel non assequi canos, vel illos non nisi meras inter debilitates infirmitatesque deferre. Qui enim mundi legibus obtemperat, ea sectatur vitia, quæ corporis vires absumunt. Quis quæso ebrietati studens longos duxit sanosque vitæ dies? *Non sic terræ natura vexata aquarum superabundantiâ, continuo dissolvitur*, ait S. Chrysost. homil. 1. ad popul. *Ut corporis vis mollescit, diffluit, & exilis redditur vini potu continuò ingurgitata.* Experientia utique luculenter probat, in agris aquâ diu oppletis nil frugum crescere, aut quod crevit mergi, & suffocari. Alexander M. ipsum ætatis florem temulentiâ extinxit. Proposuit is aliquando certamen præmiumque bibulis, ex quibus Promachus, qui præmium tulerat, triduô tantùm superstes mansit, è cæteris unus & quadraginta ingurgitatione nimiâ periêre, adeoque hoc unicum vini naufragium Majolô teste tom. 2. coll. 7. quadraginta duos juvenes, viribûs corporis & optimâ sanitate præditos tumulavit. S. Chrysost. homil. 9. in Genes. corpus humanum navi comparat, ebrietatem fluctibus: quis autem nescit, mergi naves oppressas fluctibus? exclamat ergò sapiens, hoc ipsum clarissimè perspectum habens: *noli esse in conviviis potatorum, & in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum afferunt, quia vacantes potibus, & symbola dantes consumentur.* Proverb. 23. Alterum vitium mundi sectatoribus frequentissimum, sanitati corporis perquam pestiferum est Luxuria, ut probant argumenta Fasciculo XXII. Considerat. 1. adducta ibidem legenda, & inferiùs in libro Judicum cap. 16. Consid. 1. Tertium vitium accelerans mortem Sectatoribus mundi, Iracundia est, testante illud Jobô cap. 5. qui asserit: *virum stultum interficiet iracundia.* Confirmat hoc ipsum Eccles. cap. 30. dicens: *Zelus & iracundia minu-*

minuunt dies, & ante tempora adducunt senectutem. Augustus Imperator longiorem habiturus vitam, semper annulum digito insertum gestare consueverat, in quo cancer marinus papilionem præcipitantiæ typum præferens, ipsum admonebat, ne præceps rueret in iram. S. Ambrosius iracundiæ deditos febricitantibus comparat, dum ait: *Febris nostra iracundia est*, dicam ego: hanc febrim esse malignam, quæ cùm frequentî calore præcordia accendat, tandem accelerat frigora mortis, juxta illud S. Bonaventuræ de pugna Spirit. ubi ait de iracundia: *virus mortiferum, animam interficiens, & spiritum expellens.* Quartum denique vitium, & morbos & mortem mundi affeclis inferens est otium, quod Seneca Epist. 83. vocat *vivi hominis sepulchrum.* Samson tot hostium fortissimus domitor omne robur perdidit, omnes amisit vires cubans in sinu Dalilæ, abinde tractus ad ludibrium & celerem mortem. Populus Hebraicus otiô torpescere incipiens exclamavit Num. 21. *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*, sed ab ignitis serpentibus sauciatus in corpore, multos perdidit, celerî nece abreptos. Quare ò Christiane Lector relictô mundô Deum sequere, Josuen imitans. Conjunget tibi Deus uxoris Axæ locô longitudinem dierum cum *irriguo superiori & inferiori* optatæ sanitatis & virium.

Considera 2. Grande Mysterium latere sub hoc, quod Josue tot *N.210.* Gentium Domitor *Jebusæum* delere non valuerit testante id S. Scripturâ cap. 15. his verbis: *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Israël delere: habitavitque Jebusæus cum filiis Israël usque in præsentem diem.* Hoc autem Mysterium declarari videtur per celeberrimam illam liberalitatem & misericordiam, quam Genesis 20. Rex Abimeleck erga Abrahamum exercuit, dandô illi oves & boves & ancillas, reddendô uxorem, offerendô terram ad placitum inhabitandam &c. Tanta servo Dei exhibita Beneficentia Jebusæos de stirpe Abimeleck descendentes communi cæterorum omni ruinæ surripuit. Recte igitur regius cantat Vates Psal. 40. *beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat in terra.* Inter alias promissiones, quas viro misericordi in pauperes Isaias legitur fecisse, non postremum locum occupat illa, quâ inquit. cap. 58. *orietur in tenebris lux tua &c.* Quæ verba ad nostrum propositum sic explicat Dionys. Carthus. *à periculis custodieris, in omnibus prosperè ages. & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, id est: adversa & aspera convertentur tibi in prospera & mala in bona.* Tobias Senior, sepeliendîs defunctorum cadaveribûs occu-

occupatus: cùm sæpè ab amicis audiret, ille à Tyranno, hæc misericordiæ opera severissimè prohibente, aut fore necandum, aut in Bonis fortunæ gravissimam jacturam passurum, inde absterreri nullatenùs potuit, certus: homines misericordiæ operibus deditos divinâ ope omnibus periculis subduci. Hæc exactiùs contemplans Christiane Lector, qui tam multa quotidie mala pertimescis, ab inimicis hominibus, aut à Dæmone ipso inferenda: en! monstratur tibi scutum inexpugnabile, quô contra hæc omnia securum te reddas. Sola Misericordiæ opera sufficiunt, millenis malis à te avertendis. *Habitabis* illæsus in medio hostium tuorum instar Chananæi c. 16. dummodo tributum Beneficentiæ pauperibus jubente Deô præstandum, lubens exsolvas, solve illud pro qualitate mediorum tuorum, & solutus eris ab omni periculo talium malorum.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 17. & 18. lib. Josue, in quibus describitur Portio Tribûs Manasse, decem funiculis absque terra Galaad, cadentibûs. Populi objurgatio cunctantis terram possidere descriptam.

N. 211. *Considera* 1. PEr decem funiculos Tribûs Manasse, qui ceciderunt absque terra Galaad, &c. cap. 18. v. 5. denotari homines illos, quos bonîs fortunæ destitutos, quotidiè cernimus victum & amictum mendicare. His verò Christus Cœlorum Regnum Possessionis ditissimæ locô designavit: *nonne enim*, ait S. Jacobus 2. cap. Epist. v. 5. *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, hæredes Regni?* Quare Sanctus Bernardus paupertatem *pennam* vocat, metaphorâ sanè utens aptissimâ: *magna quædam penna est*, inquit ille, *quâ tam citò volatur ad Regnum Cœlorum.* Ea de causa S. Petrus, quamprimùm auditus est coram Christo solemniter testari: *ecce nos reliquimus omnia &c.* Matth. 19. Ab illo ocius vocari meruit *Bariona*, id est filius *columbæ.* Nulla autem avis celeriorî volatu, & expeditiorî pennâ Cœlos petit columbâ. De Petro igitur *Bariona* appellato meritò hæc scribit S. Hierony. *quia omnibûs nudus velocior columbâ volare poteris ad me: nudus & levis ad Cœlum evola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.* Elementa enim queîs natura grave pondus indidit, deorsum semper tendunt. S. Archangelus Gabriel Deiparæ Virgini præsagiit: Chri-

Christum ejus filium fore regnaturum in Domo Jacob, at verô ubi pauperrimus iste ditissimi Parentis filius triginta tribûs annîs ullum habuit spatium, cui imperaret? aut cujus viveret de Bonis? nonne Pilato, de Regno ejus quærenti reposuit? *Regnum meum non est de hoc mundo?* verùm si consideremus: per domum Jacob nil aliud designari, quàm ipsum triumphantis Ecclesiæ Regnum, Cœlum videlicet, quod exstaticus Jacob olim inspexerat, tunc utique fateri cogimur: Regnum Christi, nostri causâ pauperis effecti, nullum aliud esse, nisi Cœlum. Docuêre verô præcedentia Apostoli Jacobi verba: pauperes hujus mundi fore electos Hæredes Regni; ergo sequelæ locô remanet: quòd Pauperibus locô Regni terreni designatum sit cœleste, cum Christo possidendum. Interim tamen sicut non quælibet paupertas Deo grata est, ita non quælibet digna est Regnô Cœlorum: & hinc Christus pauperes *beatos* proclamans, signatè addidit: *Pauperes spiritu:* ut à beatitudine excluderet eos pauperes, qui ægrè ferunt animô, quam corpore patiuntur paupertatem, & bona temporalia, queîs carent effectu, possident saltem affectu. Tales cùm retrospiciant ad aratrum, nec violentiam inordinato appetitui referant, non sunt apti Regno Dei. Si illi non cum *Ephraim* & *Manasse* juxta mandatum Josue v. 18. cit. capitis succidant, & purgent silvas talium passionum, nunquam acquirent habitaculum in terra, veris pauperibus promissa. Etsi magnam patiantur rerum omnium penuriam, respectu tamen pauperis Christi, divites reputandi sunt, cui pro lecto dura crux, pro cibo fel, pro potu acetum, pro amictu probrosa nuditas fuit. Æneas Princeps, postquam audivit, Alcidem pro Deo habitum, non horruisse ingredi miserum Evandri hospitium, mox illuc pedes intulit Virgiliô teste l. 8. Æneid. Quantò magis Christiane pauper abdicatô omnî terrenarum rerum affectu, te oportet veri Dei sequi viam, lubenti animô tuam ferendô paupertatem. Sic strenuè secutos cogita Apostolos, de quibus audis 1. Corinth. 2. *usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.*

Considera 2. Innumeris penè Christianis obiici posse eadem ver- *N.* 212.
ba, quibûs cap. 18. v. 3. usus est Josue segnes Hebræos alloquens: *usquequò marcetis ignaviâ, & non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus Patrum vestrorum dabit vobis?* est hêrcle ingens ignavia eò jam devenisse, ut ad quietum Regni cujusdam usum sola adhuc requiratur pedum positio, aliîs inpedimentîs jam penitùs sublatîs, &

tamen in hac sola deesse, vel longiores adhuc moras nectere. Constat autem nos homines Duce Christô tanquam secundô Josue eò pertigisse, ut cœlestis Palestina, à nobis æternùm possidenda, nil ultra videatur requirere, quàm præfatam positionem pedum. Imò Propheta Isaias testatur c. 2. v. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domûs Domini in Vertice montium, & elevabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Ubi specialî notamine digna censeo verba hæc: *& fluent ad eum omnes gentes.* Quasi diceret Propheta; tam facilem futurum temporibûs nostrîs accessum cœlestis Regni, ut homines non ultra laboriosô pedum suorum obsequiô illud Regnum consequi debeant, sed instar æquæ, ad centrum suum facillimè labentis, illud obtinere valeant. Salvator noster per orationem nobis traditam verum orandi modum docturus, non voluit, ut oremus: *Veniamus in Regnum tuum*, sed *adveniat Regnum tuum.* Quasi verô Regnum hoc majorî desiderio flagret ad nos veniendi, quàm nos illud intrandi. Quare apocalypticus Joan. c. 21. Jerosolymam cœlestem sponsalitiô ornatu indutam descendere conspexit, nobis adventantem. Quid? quod Christus ipse Lucæ 17. testatur: *ecce enim! Regnum Dei intra vos est.* O quàm ingens ergo Christianorum vecordia est, si nimiô terrenarum rerum amore decepti, Cœlum assequi negligunt: aut (ut veriùs loquar) non tantùm negligunt, sed recusant. Fortissimi in Romanis olim theatris spectandi delicias omnes abjecêre, ne redderentur effœminati, & ad digladiandum inepti. Nullos labores licèt gravissimos non susceperê, vitam ipsam in apertum discrimen conjicientes, quod ea tantùm de causa fecère, ut per vulnera plausum, per mille pericula futilem consequerentur coronam; & Christiani ad æternas Cœlitum laudes, ad Laurum immarcessibilem vocati, è domo vix efferre pedem, vix nullum subire laborem, aut pati dolorem velint?

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 19. 20. & 21. lib. Josue, in quibus describitur Sors Simeon, Zabulon &c. designatio urbium pro fugitivis & immunitas eorum. Pax Israëlitis concessa.

N.213. Considera 1. TRibum Simeon, qui numerosissima Ægyptum exierat, ad tam pauca capita redactam apparuisse, postquam

quam ad Jordanem deventa ut teste S. Scripturâ fuerit ei Hæreditas data in medio Possessionis filiorum Judæ: adeoque eidem locandæ sufficere videbatur parvum aliquod spatium terræ. Causam hujus si inquiras? respondebit Liber Numeri capite 25. describens pudendum illud Zambri Ducis de cognatione & Tribu Simeon nati peccatum, cum Muliere Madianitide commissum, quod plures alios ejusdem Tribûs viros teste Abulensi suum sequentes Ducem ad parem culpam & pœnam traxit. Ita sanè consuevit divina Nemesis, Principum peccata, quia plerumque scandalosa sunt, non tantùm in propria ipsorum, sed etiam in subditorum suorum personis punire. Licèt David à culpa adulterii & homicidii absolutus audiisset à Propheta 1. Reg. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Attamen quia hæc peccata fuerant à Superiore commissa; hinc pœna ipsis gravissima remansit, etiam in subditos fulminata. Elias scelestem Achab Regis vitam conspicatus, toti populo ruinam præsagiebat 3. Reg. 18. inquiens: *tu conturbas Populum Israël & domus Patris tui &c.* De Nebuchodonosore pessimi exempli Rege asserit Isaias c. 14. *tu terram tuum dispersisti, tu populum tuum occidisti.* Ælianus lib. 13. var. hist. cap. 2. de Macareo sacrificulo gentili impiissimo refert: quòd is depositæ in Templo pecuniæ potiturus, hominem mactaverit, eum clam terræ mandans. Parente Macareô Templum post perpetratum facinus egressô, filii impia Sacrificia imitaturi, accessêre Aram, & juniore collum præbente adultior ei ensem intorsit, vitamque extorquendô, victimam mactavit. Familia compertô facinore in clamores resolvitur, quos ut audiit mater exiliit, cernensque trucidatum filium, esse recenti sanguine conspersô alterum confodit. Allatus est hujus rei nuntius ad Macareum, qui furibundus in ædes insilit, & hastâ seu thyrsô, quem tenebat, necem quoque intulit uxori: ipse verò evulgato scelere tormentis subjectus, in quæstionibus vitam amisit. En! quanta ex unius Superioris in totum domum aut communitatem redundant mala & pœnæ. Tremendîs ergo verbîs hortatur Superiores omnes S. Greg. M. pastor p. 3. c. 1. scribens: *scire Prælati debent, qui si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

Si juxta imperium Dei cap. 20. expressum etiam involuntarius homicida stans ante Judicium, tam exactam rationem facti sui reddere debuit, non dimittendus ante mortem summi Pontificis; qua-

lem rationem aliquando reddent in extremo Judicio illi, qui non corporum tantùm, sed & animarum quoque cædes saltem interpretativè (ut loquuntur Scholæ) voluntarias perpetrârunt, dum Superiores agendô peccârunt, & peccandô pessima reliquerunt subditis exempla?

N.214. *Considera* 2. Israëlitis non tantùm datum esse universam terram, Patribus eorum olim à Deo promissam, sed datam quoque esse pacem: hâc enim negatâ, etsi totum possedissent Mundum, felices se profiteri minimè valuissent. Nam S. August. Serm. 2. ad frat. exclamat: *O Pax! sine te Reges non regunt, sine te Regna non valent.* Quando Loth exortâ inter suos & Abrahæ pastores discordiâ, à sancto se divisit sene, de pace parum solicitus, ab hostili manu in captivitatem ductus est cum tota familia. Abraham econtra pacis studiosissimus cum suis vernaculis irruens in Reges eisdemque in turpem fugam abactîs Lothum reduxit sospitem. Ecclesiæ primitivæ Regnum primorum fidelium paci & Apostolorum concordiæ ceù fortissimo fundamento inædificari voluit Christus testante Lucâ: *multitudinis credentiũ erat cor unum & anima una.* Ut taliter roborato Regnô portæ inferi non prævalerent: & hinc Salomon effigiem sponsæ, Ecclesiæ videlicet militantis, delineaturus, hîs utitur verbîs Cantic. 4. dicens: *sicut fragmen mali punici ita gena tua.* At quænam inter malum punicum & inter fideles, per genas significatos, proportio? respondeo: Quòd sicut sub eadem cortice & superficie hujus pomi omnia grana uniuntur, ita primorum fidelium corda sub una pacis cortice fuerint tunc temporis conjuncta. Testatur autem ulterius Salomon de Ecclesia, sic in pace constituta: illam ut castrorum aciem formidabilem esse hostibus suis. Linguarum unio stupendum illum Babylonicæ turris opus exstruxit, divisio destruxit: Hinc Pharao Israëlitas in servitute diu retenturus divisit illos à se mutuò, dispergens per Ægyptum ad colligendas paleas Exodi 5. Euphrates nobilis ille fluvius tamdiu inexpugnabilem fecit Babylonem, quamdiu fuerat unitus, sed à Cyro vix divisus, eidem facilem capiendæ hujus urbis viam præbuit. Agesilaus à quodam perconctatus: qua de causa urbs Spartha muris careret? quærenti ocius ostendit cives unanimes, asserens: *hi sunt Spartæ civitatis mœnia*, dicens inde: Rempublicam nullô munimentô tutiorem ab hostibus fore, quàm Incolarum pace & concordiâ. Rectè igitur Veget. lib. 3. ait: *nulla quantumvis minima natio potest ab adversariis dele-*

deleri, nisi propriis discordiis seipsam consumserit. His verbis te subscribere non ambigo Christiane, & tamen vel amore proprii interesse, vel ardore tenendæ tuæ sententiæ in tam frequentes rixas & discordias dissolveris?

FASCICULUS XXXII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex residuis capitibus lib. Josue, in quibus describitur acris censura Tribuum Ruben, Gad & mediæ Manassis ob erectum altare Testimonii. Exhortatio Josue ad Populum pro levandis mandatis Dei & repetitio Beneficiorum Dei atque mors Josue.

Considera 1. PAcem piorum, quâ fruuntur in terra, per contradictiones acquiri & conservari debere. Vix enim tempore Pacis, hebraico Populo concessæ, Tribus Ruben, Gad & media Manasse *Altare Testimonii* erexerant: illicò surrexerunt cæteræ Tribus, rigidissimis verbis cap. 22. in eos invectæ. Salvator noster in primo hujus mundi ingressu *Regis pacifici* nomen assumpsit: sed ne videretur pacem secum tulisse ab omni contradictione liberam, ocius ab Herode ad necem quæsitus, fugere in Ægyptum coactus est, etiam audiens à Simeone sene: positum se esse in signum, *cui contradicetur* Lucæ 2. Quod triginta trium annorum spatiô eventus luculentô testimoniô comprobavit. Atque hinc Isaias Propheta non absque Mysterio de illo prædixerat; *vocabitur nomen ejus Deus fortis*, subnectens *Princeps Pacis.* Docturus per hæc verba: Christum dimicandô fortiter, & vincendô viriliter, veram pacem assequi. Eôdem porrò tempore, quô ipse glorioſè surrexit, & apparens discipulis dixit Joan. 20. *Pax vobis* ostendit eis manus & pedes, vulnerum cicatricibus notatas, monstraturus hoc spectaculô: pacem illam, quam annunciaret, vulneribus livore & sanguine comparatam esse; & *N.* 215.

hinc si discipuli cuperent hujus pacis reddi participes, ad bellum se quoque redderent paratos. Sponsum suum, Sponsa Ecclesia : ut in obtinenda & conservanda per bellum pace imitaretur, exclamat Cantic. 8. *Ego murus & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram illo, quasi pacem reperiens.* Et verò tunc vel maximè verâ pace fruitur Ecclesia, quando instar fortissimorum turrium & murorum horrendis persecutionum tormentîs quatitur, nam Christus ei prædixerat : *non quomodo mundus dat* (pacem) *ego do vobis.* Pacem videlicet do vobis non à persecutionibus, crucibus & miseriis liberam, qualî Mundus suos recreat amatores, sed talem, quæ durîs hîsce mediîs obtineri, & obtenta foveri debet. *Proprium est Ecclesiæ* ait S. Hilarius lib. 6. *de Trinitate : ut tunc vivat, cùm cæditur, tunc intelligat, cùm arguitur, tunc obtineat, cùm deseritur.* Dum sentit in corpore bellum, fruitur pace in anima. Dum cruciatur exteriùs, recreatur interiùs, dum perdit facultates, gratiîs ditatur, dum terrenîs exuitur, impletur cœlestibûs. Quare pulcherrimæ illi constellationi assimillimatur, quam Astrologi *arcturum* vocant : hæc nunquam mergitur, nunquam occidit. Ac proin cum regio Vate testari poterit : *sæpè expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi.* Psal. 128. *Expugnârunt me*, segregandô parentes à liberis, liberos à parentibus, sed à Christo sejungere illos *non potuerunt. Expugnarunt me*, Martyres horrendîs afficiendô tormentîs, sed eorum constantiam in tormentis frangere *non potuerunt. Expugnaverunt me*, expellendô fideles in exilium, sed æternæ patriæ amorem illis adimere *non potuerunt. Expugnaverunt me*, compingendô filios meos in carceres, onerandô catenis, sed libertatem ipsis, quâ perfrui solent filii Dei aufferre nullatenùs *potuerunt.* Pulcherrimè igitur de Ecclesia ait S. Ambros. lib. 4. Hexam. c. 4. *Videtur sicut luna deficere, & non deficit : obumbrari enim potest, deficere non potest. Quin aliquorum quidem persecutionibûs minuitur, ut Martyrum confessionibus impleatur, & effusi pro Christo sanguinis glorificata victoriis majus devotionis suæ & fidei totô orbe lumen diffundat.* Ergo ô Christiane ! monitis Prophetæ obtemperaturus, quibûs tibi Psal. 33. suadet : *inquire pacem, & persequere eam.* Talem appete, quæ stat cum bello, pro gloria Dei suscepto, & quæ compatitur, inquietudinem continuam illatam ab hostibus in-vel externis. Verbô : pacem quære, quæ consistit in constanti patientia eorum omnium, quæ tibi venerint adversa.

N. 216. *Considera* 2. Quòd sicut Justis omnia cooperentur in bonum, ita malis & reprobis omnia cooperentur in malum ; prout Josue hîc cap. 23. v. 12.

23. v. 12. & 13. teste Nezarâ clarissimîs videtur demonstrare verbîs. Olim Moyses parvulus aquis immergebatur: sed jussu Dei fluvius parcebat infanti, ut inde Pharaoni reprobo tristis casus emergeret, unde electus ille Moyses salutem suam consequebatur. Licet gallina munda avis mille immunditias in sterquilinio manducet in optimam tamen substantiam transeunt: econtra etsi purissima columbarum pectuscula comedat accipiter immundus, in pessimam tamen aliti convertuntur carnem: malos ergò & reprobos alloquitur S. Bonaventura in Psal. 118. scribens: *ò infelices exspectatores! nescitis, quid exspectetis. Exspectant claritatem, suavitatem, tranquillitatem: sed invenient pro temporali claritate aternam caliginem, pro suavitate amaritudinem, pro tranquillitate turbinem.* Hinc ò Christiane! ut tibi omnia cooperentur in bonum, & tranquillitatem exspectatam invenias: esto bonus, esto pius, morem gerens verbîs Josue hîc v. 14. cap. 24. dicentis ad Hebræos: *nunc ergo timete Dominum, & servite ei corde perfectò.* Cogita: quomodo Abraham credentium Pater Deum vocantem secutus, dum ejus amore omnia reliquit, tam amplum invenerit semen, quod stellas numerô æquabat teste Josue citati capitis v. 3. Cerne: quomodo Hebræi ad mandatum Dei Ægyptum egressi, siccum repererint iter in mari rubro, salvati per illud ipsum Elementum, quod Ægyptiorum ruina & tumulus fuit v. 7. citati cap. Perpende: quomodo eîsdem armîs, quæ tot barbaræ gentes strinxerant in capita Hebræorum, aut interfectæ sint, aut in turpissimam fugam abactæ à victoribus Hebræis v. 9. & seqq. hujus capit. planè innumera sunt, quæ afferri possent exempla, clarissimè probantia: omnia cooperari in bonum diligentibus Deum teste Apostolô Rom. 8.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Judicum, in quibus describitur Solicitudo Israëlitarum de Duce locô demortui Josue obtinendo. Victoria de Adonibezec, pœnâ Talionis punito. Petitum Axæ à Patre suo. Israëlitarum fletus, crebra defectio, & pœna.

Considera 1. ISraëlitas mortuô Josue novum habituros Ducem, ut omni invidiæ in electionibus frequenter occurrenti præcluderent viam, ipsum Deum accessisse, talibûs usos verbîs v. 2. cap. 1. *N.* 217.

quia

quis ascendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli? Invidiæ inquam, ut sic præcluderent viam: hæc enim non perversos tantùm, & Mundo addictos homines, sed electum quoque Populum Spiritualesque viros persæpè impetit. Quis enim nescit, ipsos Christi discipulos, futuros aliquando omnium virtutum Magistros, ab hac Tyrannide impugnatos, quin imò turpiter victos esse? Protoparentes nostri in ipso statu Innocentiæ & originalis Justitiæ positi Deo invidebant scientiam, & hic erat pessimus ille scopulus, ad quem allisi tantam bonorum omnium subiêre ruinam. Erat Saul haud dubiè vir virtutis probatæ, quando regium conscendit Thronum, adeò humilis, ut à Samuele in Regem ungendus lateret absconditus; attamen stimulante invidiâ, & de illo triumphante eò devenit, ut teste S. Antoninô p. 2. tit. 8. c. 1. §. 4. *pessimus factus sit.* Tametsi discipuli præcursoris Joannis Baptistæ eum adeò ab honoribus & dignitatibus humanis alienum esse scirent, ut etiam altissimam dignitatem Messiatûs repudiârit, sibi tamen invidiam adeò prædominari patiebantur, videntes: Christum majores consequi honores Joanne, ut id æquô animô ferre non possent. Quare nil magis cavendum est homini Christiano, quàm ne capiatur livore aut invidiâ, aliàs unicô quasi momentô grande virtutum ædificium, quod forsan multô construxit tempore, destruet. Illa est hostis Chananæus & Pherezæus, quem instar Judæ & Simeonis Victorum nos superare oportet. *Hostis est intestinus*, inquit S. Chrysolog. Serm. 4. *quia non carnis quatit muros, non elidit septa membrorum, sed ipsam cordis arietat arcem. Et antequam viscera sentiant, ipsam Dominam corporis animam prædo capit, & adducit incluſam.* Graviora nunquam vidit orbis mala, quàm Angelorum ruinam, & necem Christi per Judæos illatam; sed hæc à nullo fonte, quàm sola ab invidia ortum traxêre. Quod primum concernit, scholasticorum Bernardô Duce opinio est: Lucifero & aliis Angelis propositam fuisse divini verbi Incarnationem, ab illis tanquam à creaturis adorandam; at invidiâ excæcatos hunc actum detractâsse, non enim poterant obsequiosîs intueri oculîs, humanam naturam ad tantum dignitatis gradum evectam. De Christi acerbissima morte Matthæus asserit c. 27. *Sciebat enim* (Pilatus) *quòd per invidiam tradidissent eum.* Est autem indubitata res, nonnullos ex abjectis de cœlo Angelis in aere collocatos; hoc namquid luculenter probant verba Apostoli dicentis; *contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Sed quæret aliquis, quid ergo

in

in aëre patiantur illi, quos constat, nunquam non pati? reponit mox citatus mellifluus Doctor Serm. 54. in Cant. Diabolus in pœnam suam locum in aëre medium inter cœlum & terram sortitus est, ut videat, & invideat, ipsaque invidiâ torqueatur: ut videat hominum mortuorum animas cœlum, quod ille coactus est relinquere, scandentes, & has videndô ab ipsa invidia magis puniatur, quàm ab ipsis Tartari flammis. Hinc S. Antoninus non veretur dicere de Pass. Dom. Fer. 4. quòd magnâ Deus afficeret pœnâ invidum, si ipsum etiam in gloria Paradisî poneret, eò quòd talis gloriam proximorum sustinere non posset, habiturus tot carnifices, quot aspiceret Angelos & beatorum animas, aut parî aut majorî adhuc gloriâ donatos. Dicam igitur cum Laurentiô Presbyt. *Hoc solùm invidus benè agit, quod se cruciat; cætera peccata in futurum servantur, invidia ob magnitudinem sceleris in præsenti digna accipit. Invidia quod malum hosti optat, sibi ita facit: quia igne, quô urit, uritur.* Pati cogitur cum victo *Adonibezec* v. 7. hujus capitis exclamante: *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Anima ejus, instar *Axæ* corpori ceu jumento insidens, quia nimiô calore alienæ sortis torquetur, irriguum petet; verùm non obtinebit aliud, quàm illud, de quo canit regius Vates Psal. 68. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia.*

Considera 2. Quantî Deus æstimet lacrymas, quas dolor contriti *N.* 218. pectoris extorquet, & quales fuderant Judæi cap. 2. v. 5. Hæ enim locô Sacrificii videntur à Deo recipi testante id regiô Vate Psal. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*; & hinc S. August. illas appetens exclamat: *Succende mentem meam igne illô, quem misisti in terram, & voluisti vehementer accendi: ut Sacrificium Spiritûs contribulati & cordis contriti obortîs lacrymîs quotidiè offeram tibi.* In Purificatione Virginis Deiparæ, ipsô sole millies purioris, legimus oblatos esse duos turtures in Sacrificium. Quæso: cur tot regalibûs donîs Orientalium thesaurorum provisa Mater non divitum instar obtulit Agnum, quem utique facilî levique pretiô comparâsset? at noverat paupertatis simul & pœnitentiæ amantissima Virgo, pretiosius Deo non offerri Sacrificium, quàm illud, quod figurâ suâ lacrymas & gemitus adumbrat, turtures videlicet, quorum *cantus gemitus* est. Nullus hêrcle denegabit mihi: Martyrium esse Sacrificium Deo acceptissimum; & hinc admonet Apostolus Rom. 12. *obsecro itaque vos fratres per Misericordiam Dei: ut exhibeatis corpora vestra Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem &c.* lacrymas verò

non dispares esse Martyriô testatur S. Chrysost. Homil. 2. in Psal. 50. dicens: *Martyres fundendô sanguinem aperiunt venas: contrita pectora effundendô lacrymas pandunt oculos.* Salvator noster in morte sua perfectissimum Patri æterno Holocaustum oblaturus, non tam sanguinem, quàm lacrymas fudit asserente Apostolô ad Hebræ. 5. *cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Ex ejus sacratissimo latere non tantùm sanguis, sed & aqua prodiit: & quod summè mirandum, prodiit ex latere, ob gravissimam sitim exsiccato, quô grandî Mysteriô indicare voluit: cruentum ejus Sacrificium non solius sanguinis, sed etiam lacrymarum profluviô consummatum esse. ò peccator! qui instar rebellium Israëlitarum ab Angelo tutelari admoneris tam frequentium defectionum & defectuum, audiens ab illo, quod auditum ab Israëlitis v. 3. citati cap. *Cur hoc feciſtis? &c.* Quæso tandem resipisse cum illis: *elevans vocem & flens.* Dominus infinitæ Misericordiæ, nunquam despiciens cor contritum & humiliatum, exaudiet lacrymas tuas, sicut v. 18. hujus cap. dicitur exaudîsse lacrymas pœnitentium Israëlitarum: *liberans eos de cæde vastantium &c.* criminum videlicet omnium, quæ tanquam atrocissimi conscientiæ tuæ hostes eam horrendum in modum cruciant. Hujus luculentum accipe testimonium in sequenti exemplo, quod ab Henrico Sommalio in annotat. fusiùs describitur. Vixerat in Thracia infamis quidam Latro, quin & Latronum Princeps, qui cassô labore à multis ad compedes & carcerem quæsitus, ultrô tandem, vel potiùs conscientiâ stimulîs agitatus, se ad pedes Imperatoris Mauritii abjecit. Paucos pòst dies in febrim & ipsam quoque phrenesim incidit, sed tandem sibi redditus, in tam copiosas lacrymas peccatorum suorum causâ resolvit oculos, ut expletô aliquot horarum spatiô, inter hos pœnitentiæ fletus tandem exspirârit. Medicus quidam primarius, hospitalem domum, in qua jacuerat pœnitens, visitare solitus, hac ipsâ horâ domi suæ vidit Æthiopes plurimos, latronis lectum accedentes cum chartis, quæ horrenda ejus peccata ferebant descripta. Vidit pariter Angelos duos mirâ claritate præfulgidos lecto propinquos. Æthiopes cùm sumptâ quantociùs trutinâ in unam lancis partem immisissent sua chirographa, mox ea depressa est, vacuâ alterâ parte in altum sublatâ. Angeli, qui tunc aderant, tenerrimâ compassione erga miserum commoti, exclamant: siccinè nihil relictum est nobis, quod imponamus? sed dum unus hæc verba loquitur, alter strophiolum, quô latro

tro pœnitentiæ suæ lacrymas absterserat, in alteram lancem ponit: & ecce! deprimitur vacua lanx dissipatîs omnibûs atque dispersîs chirographîs. Inter divinas deinde laudes & gratias animam mortui fugatîs Dæmonibûs in cœlum deferunt. Hæc omnia ut conspexit Medicus, quamprimùm evigilans ad Hospitale currit, reperit ibidem calens quidem latronis corpus, sed vitâ destitutum, strophiolô super oculos jacente, quod lacrymîs madidum Imperatori Mauritio offert, narrans omnia, quæ sibi in somnis obvenerant, de extincto latrone objecta. Hæc, ut memini fusiùs describit cit. author, in annot. in c. 24. paradis. ani.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Judicum, in quibus describitur Victoriæ Eglon Regis obtenta de Israëlitis ter deficientibus à Deo, captorum liberatio per Aod, Eglon transfodientem. Electio Deboræ in Caput Israëlitarum. Mors Siſaræ à Jahel illata.

Considera 1. PEr Eglon Regem, quem citatô capite S. Scriptura asse- *N.*219.
rit exstitisse *crassum nimis*, rectè adumbrari Bacchanalium tempora. Hæc proh dolor! Christianos à se turpiter subactos velut mancipia despoticè subjecta tenent, haud aliter, quàm subditos habuit olim Eglon Israëlitas, à se superatos. Estque ista servitus eò crudelior, quô homines Christianos non tantùm libertate corporum, sed etiam rationis usu privat. Enim verò si ipsum nomen Bacchanalia perpendamus, reperimus illud *à bacchari* derivatum, idem significans, quod indicat: *furere, insanire, stulteſcere.* Optimè id describens ait Caspar. Manzi. decis. Pal. q. 50. *fit, ut impii illis diebûs sese ingurgitent, furentes & insanientes in publicum prodeant, stultos ex professo agant, deridendæ faciant, & loquantur. Deo ingrati, naturæ injurii, hominibus molesti, Diabolo devoti, fatuos & momos repræsentent.* De Cajo Caligula referunt Historici: quòd sumptuoso quondam convivio assidens, effusè cœperit ridere, convivîs verò causam risûs quærentibûs responderit: rideo vestram insaniam, dum video vos jocari, garrire, ludere omnes, quorum tamen capita unicô nutu à me monitus satelles detruncabit. Ridenda adhuc magis est illorum Christianorum insania, qui præfatîs Bacchanalium diebûs tanto cum jubilo & tripudiis non temporali tantùm,

sed æternæ occurrunt morti, de his enim clarè testatur S. Scriptura: *ducunt in bonis dies suos & in puncto ad Inferna descendunt.* Quid habent pisces post devoratum vermem hamo affixum, cui tanto appetitu involant, quid? nisi uncum eos retinentem, intestina lacerantem, & ad necem eos extrahentem? *sicut pisces capiuntur hamo, sic capiuntur homines in tempore malo* Ecclesiast. c. 9. Et quodnam aliud tempus malum, nisi dies illos dixeris, in quibus homines velut pisces in aquis ludunt, & in omnes delicias carnis effusi, quaquaversum vagantur sine lege, sine rege? Mare Tiberiadis olim vocabatur mare *Cenereth.* Hoc ipsum mare per Jordanis amœnissimi amnis fluxum desinit in mare mortuum, perdens omnem, quâ pollebat ante, dulcedinem. Haud secus evenit voluptatibus, quibus tempore Bacchanalium fruuntur deceptæ Christianorum animæ: hæ enim omnes in mare illud mortuum aquarum infernalium desinunt, nihil ultrà per totam æternitatem dulcedinis habituræ. Sardonica herba, ut naturalistæ referunt, id raræ qualitatis habet, quòd tales in illam gustante Spasmos causet, ut morientis os sic aperiat, & expandat, ut ridere videatur. Clarissimam planè figuram hujus herbæ deprehendes in deliciis bacchanalibus, quibus pasti homines ora in risus componunt, sed mortuâ per peccatum animâ sine omni vitæ spiritualis sensu jacent in terra, brevî forsan abinde tempore in Tartaro sepeliendi. Quare ò Christiane Lector! sapias tandem, tot insipientium miserrimô interitu perterritus. Præbe aures salutis tuæ cupido *Aod*, qui gladiô verbi divini Tyrannum *Eglon*, inordinatum videlicet ad Bacchanalia appetitum transfodere ex cathedra nititur, ut sic animam tuam à despotica hac servitute liberet. Deterreat te unum quod ex mille aliis clausulæ locô tibi subnecto exemplum. Carolus VI. Rex Galliæ in Nuptiis Nobilis cujusdam, leonis vestem & larvam cum aliis quinque indutus, dum saltibus spectante Aulâ perjucundè vacaret, Ludovicus ejus frater clariùs Regem visurus facem admovit, quô Regem & socios celerrimè conceptus ignis adeò inflammavit, ut quatuor miserè pereuntibûs, unus in cellam properans, & aquæ vinoque se immergens servaretur. Rex verò ipse uxoris Biturigis caudata veste involutus, non nisi ægrè evaderet ruinam. Hoc fatale incendium inter *opera tenebrarum exortum* intuens, dic cum gentium Doctore Rom. 13. *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut* in diebus illis *honestè ambulemus &c.* fruendô deliciis, quæ tantis ruinarum periculis non sunt obnoxiæ.

Consi-

Considera 2. Et admirare: Mulierem à tot prudentibus viris ad universale totius Populi Hebraici Regimen assumi. Quæso: unde ortum traxit tam excellens prærogativa, innumeris aliis non concessa? S. Scriptura citatô cap. 4. v. 5. Vocat mulierem illam *uxorem Lapidoth*, h. e. mulierem *Lampadum*, quasi quôdam præsagiô tunc alludat & lampades illas, quibus Virgines prudentes cœlesti Sponso occurrisse dicuntur Matth. 25. erat ergò mulieri *Debora*, ex tot millenis in Caput Populi assumptæ, insignis Castitas Prærogativæ hujus origo. Hæc enim Virtus Sapientiæ & Scientiæ, ad omne Regimen requisitæ, *Mater* dicitur *& divinorum arcanorum Inspectrix.* Sic teste S. Hieron. lib. 1. ad Jovin. Ezechiel Propheta mortuâ uxore elevatus est à Domino, visurus arcana cœlestia, quæ non viderat illâ vivente. Sic inter duodecim Apostolos solus Virgo Joannes (ut asserit S. Ambros. super c. 2. Epist. 1. ad Corinth.) raptus est ad intuendum divina secreta. Sic Thomas Aquinas à puritate angelica celebris, angelici Doctoris Nomen ab hac virtute adeptus legitur. Et Sybillæ, etsi crassis Gentilium erroribûs tenerentur. Castitate tamen, quâ pollebant, Prophetiæ Donum promeruêre. *Gratia super gratiam*, meritò exclamem cum Eccles. cap. 26. *Mulier sancta & pudica.* Apostolus quoque castitatem *sanctitatem* vocat, & vicissim sanctitatis nomine *castitatem* significat id observante S. Bernardô. Christus verò in S. Evangelio cœlestem & angelicam virtutem eam indigitat, eò quod homines in angelos transmutet: *in resurrectione*, inquit, *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Quare Cyprianus Virgines alloquens scribit: quod estis habituræ in gloria, jam nunc in hac vita incipitis. Quin imò Vates regius castitati addictos homines Deos nominare non veretur, de illis enim cantat Psal. 76. *Vos Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Pater Abraham à S. Clara vir clarissimæ memoriæ ingeniosè advertit: Prophetam de castis hominibus tanquam Diis locutum, loqui de talibus Diis, de quibus Psal. 112. testetur: *Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt, manus habent, & non palpabunt.* Ex quo disces Christiane Lector, si mediante castitate, laudatâ hactenùs virtute, non tantùm in Angelum, sed etiam in aliquem Deum transire appetas, in sensibus externis mortificationi in tantum studere debeas, ut de te dici possit: *oculos habet*, & *non videt* quidquid vel à longè castitati officit. *Aures habet*, & *non audit*, quidquid vel per verba vel per cantus minùs honestos pudicas aures offende-

N.220.

fendere solet &c. Insignæ adhæc tuendæ conservandæque hujus virtutis Medium tibi suggerit *Debora*, de qua in citatô capite ait Scriptura, quòd sederit sub *Palma*, indicans per hoc: conservandæ castitatis tutissimum esse asylum amorem solitudinis, nam velle videre, frequenter vagandô foras, prostitutio est pudicitiæ, ut eventu nimiùm infelicî docuit alibi memorata Dina. Dæmon imitatur astutam Jahelem, de qua hoc quoque tractatur in capite. Ille ergo homines è solitudine fugitivos blanditiîs velut Sisaram ad sua trahit Tentoria, & tandem somno carnalium deliciarum captos, clavô affigit pessimæ consuetudini. Hac in re ab apibus vespæ differunt, quod istæ non metuant laborantes aspici: at apes adeò videri nolunt, dum huic negotio vacant, ut nunquam mel nisi in abdito elaborent. Hinc factum, ut quondam casulæ alveari pellucido, quô earum artificium in melle conficiendo à curiosis quibusdam observaretur, priusquam operi se accingerent, totum intus vitrum cereo tegumento obduxerint, sicque absconditæ & latentes operi faciendo sese impenderint. Non dispar sanè discrimen reperire est inter homines conservandæ castitatis studiosos, & eos inter qui huic negotio parum intendunt. Illi apum instar cupiunt procul aliorum oculis, aliorum alloquio, præsertim disparis sexûs, vivere certi; securissimum castitatis custodem esse solitudinem, *ubi* enim *non est sepes, diripietur possessio* Eccles. 36. at hi, qui (ut memini) de tuenda castitate parum curant, instar vesparum prodire in publicum amant, multò minùs hanc virtutem conservaturi, quam ille conservabit pecunias, qui eas publicæ exponit viæ. *Sede* ergò sub *Palmæ* Christiane Lector, solitudini studendô, si Palmam, castitati illibatæ debitam, consequi cupis in Regno Gloriæ.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 5. 6. & 7. lib. Judicum, in quibus describitur Canticum Deboræ. Gedeonis Vocatio. Ejus Confirmatio per Signum Velleris. Militum selectus ad pugnandum. Stratagema & Victoria de Madian obtenta.

N.221. *Considera* 1. NOn absque Mysterio *Deboram* laudatæ castitatis & sapientiæ fœminam in suo Cantico maledicere *Terræ Meroz*, cujus habitatores teste Rabanô carnalibus immersi voluptatibus, *non venerint in auxilium Domini* cit. cap. Hêrcle sicut castitas hominem

minem Deo conjungere, & divinîs scientiîs (ut præcedentia docuête) illustrare solet: ita carnis vitium omnem in eo de supernis rebus scientiam obnubilare, eumque à Deo penitùs sejungere consuevit. *non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Genes. 6. *quis enim consensus spiritûs*, ait S. Thomas Villanov. Serm. de S. Doroth. *cum libidine? aut quæ convenientia sapientiæ ad illecebram? non immittet Deus pretiosissimum purissimumque spiritûs sui liquorem in vas inquinatum. Atras nubes radius solaris non penetrat.* Hebræi olim Nomen *Israëlitarum* (quod videntes Deum indicat) sibi vendicaverant: verùm quis nescit, quantum hoc vitiô à rerum divinarum notitia & ipsa Dei memoria declinârint? loquatur Isaias, qui in principio Prophetiæ suæ enormî hâc metamorphosî obstupefactus, cœlum & terram in admirationem invitat. *Deus Judaicum Populum*, inquit Zeno lib. 3. Serm. 35. *luxuriæ æstu exuberante correptum publicâ increpatione confutat. Cœlum terramque testes citat, ut exaggeret crimen. Filios appellat, ut abdicatos intelligas. Exaltatos, ut ruina timeatur, spretores sui, ut impios monstret.* Cur quæso sonora illa Eremi Tuba Joannes Baptista, qui in prædicatione suâ etiam aspides surdas in cœlestes videbatur transmutâsse Angelos, in deserto potiùs, quàm in celeberrima auditus est Jerosolyma? noverat ille, ad Regis impurissimi exemplum totam quoque componi Urbem, inquè turpissimas carnis illecebras effundi; & hinc prorsus inhabilem esse rerum divinarum & cœlestium, instar terræ illius, quæ spinîs obsita, in se projectum suffocat semen *teste Christô Dominô*, nullum referens fructum. Quare ò Christiana anima! si vel parvam saltem supernæ sapientiæ & scientiæ particulam unionemque cum Deo habere desideras, vitium carnis ante omnia fuge. *Res creata est* teste S. Bernardinô tom. 4. serm. 21. de lux. *Per luxuriam hominem impediri à reditu ad Deum: quia anima non potest redire & amare sine cognitione*, juxta illud Augustini: *invisa diligere possumus, incognita nequaquam; sed luxuria carnalis destruit cognitionem.* Ita ille: imiteris ergo moraliter loquendô *benedictam illam fœminam*, quæ ut triumpharet de *Sisara*, teste S. Scripturâ v. 26. citati cap. *Sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos.* Clavus & malleus tibi sit sensuum externorum custodia, & frequens mortificationis studium. Utque eò securiùs cum *Jahele* vincas, juxta illius exemplum quære *in capite vulneri locum*, principiis tentationum & motuum resistendô.

Considera 2. Hominem Christianum Virgâ mortificationis utentem, ut in *torculari* corporis & animæ suæ *triticum à paleis*, hoc est virtutes *N.222.*

à vi-

à vitiis segreget, imitari Gedeonem *virum fortissimum*, cui taliter occupato statim Angelus custos in mente præsagit insignes de Madianitis, inordinatis videlicet Passionibus, Victorias, & libertatem à vitiis præsertim carnalibus. Sic discretè mortificatas carnes ociùs flamma charitatis & dilectionis, de Petra Christo prorumpens, comprehendet; quidquid mali fomitis residuum repererit, consumptura. Fiet inde: ut dum corpus instar *Aræ Gadeonis* rore suô, id est humore libidinis vacuatur, anima instar Velleris cœlestì gratiâ & supernarum rerum scientiâ reddatur plena, jure meritô sibi vindicans illa Apocalypseos 14. à castissimo Joanne prolata verba: *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.*

N. 223. Porrò, sicut Gedeon dependenter ab hactenùs dictis insignem videtur nobis Doctrinam reliquisse in cap. 6. ad vincendos carnis appetitus, & obtinendam rerum supernarum scientiam, unionemque cum Deo. Haud secus in cap. 7. Doctrinam optimam nobis subministrat, quâ adjuti triumphemus de inordinato temporalium bonorum amore, dum juxta Dei Imperium eos tantùm milites ad obtinendam Victoriam habiles esse credidit, qui *canum instar* lambebant aquas, Lyrano teste significare volens: Illos tantùm fideles capaces reddi vincendæ avaritiæ, & possidendi cœlestis Jerosolymæ thesauri, qui verbis citati authoris utor) *de bonis hujus mundi accipiunt, quantum sufficit ad necessitatem.* Talem militem se olim probaverat Vates regius exclamans: *Paupertatem & divitias ne dederis mihi, sed victui meo tantùm tribue necessaria.* Atque hinc hortatur nos omnes Psal. 61. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Debemus ergò superfluô aurô uti, sicut Gedeon suis dicitur *lampadibus* hîc usus, abscondendô videlicet lucida illa metalla in *Vasis victilibus*, quæ levi pauperum prece frangantur, & liberaliter effusa in eorum manibus niteant.

(o)

FASCI-

FASCICULUS XXXIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 8. lib. Judicum, in quibus describitur gratitudo Gedeonis ob Victoriam ab Israëlitis exhibita, vindicta de viris Socon sumpta.

COnsidera, & admirare: quòd in illo conflictu, in quo Gedeon, *N.224* nec minimam quidem guttulam sanguinis dicitur effudisse, nec vulnus ullum, aut ictum accepisse: Israëlitas tamen adeò sibi obstrinxerit, ut summâ gratitudine exstimulati exclamarint capite cit. *Dominare nostri tu & filius tuus, & filii tui, quia liberâsti nos de manu Madian.* Deus bone; quanta econtrariò est ingratitudo Christianorum erga Christum Salvatorem suum, qui in conflictu contra mundum, carnem & Dæmonem, pro eorum libertate inito, tanta perpessus est, ut ipsum etiam pugnæ initium, quod ei in horto Gezemani obtigit, nomen cruenti profluvii meruerit. Tot deinde vulnera in sacratissimo suo corpore accepit, quot penè numerabat venulas & arterias. Quin imò vitam ipsam turpissimâ morte Redemptionis nostræ causâ prodigè perdidit, & tamen ò lapidea Christianorum pectora! exclamant innumeri, si non verbis saltem factis; *nolumus hunc regnare super nos.* Sed regnet super nos superbia, avaritia, luxuria, intemperantia &c. Christiane Lector nonne & tu in paria erumpis verba? nonne Christus contra te conqueri potest, exclamans illud Jeremiæ 2. *Confregisti jugum meum: rupisti vincula mea, & dixisti: non serviam?* Si enim regnaret super te Christus, non fores in res terrenas tam effusus, explendisque tuis passionibus tam addictus. Si regnaret super oculos tuos Christus, non fores tam lascivus vel curiosus in aspiciendo. Si regnaret Christus super linguam tuam, non fores tam procax & inconsideratus in loquendo, non effutires tot verba detractoria, charitati fraternæ læsiva, pusillos scandalizantia. Si regnaret in manibus tuis Christus, nunquam eas extenderes ad palpandum objecta illicita, ad rapiendum aliena bona. Si regnaret in corde tuo Christus, non sic inordinatô amore fores alligatus personis disparis

sexûs, non tot impuras cogitationes foveres, non tot mala desideria in eo nutrires. Vociferatur interim Rex iste à te excluſus: *vide homo, quæ pro te patior, ad te clamo, qui pro te morior. Vide plagas, quibus afficior, vide clavos, quibûs confodior, & cùm sit tantus dolor exterior, & interior, plus tamen crucior, quod te ingratum experior.* S. Antonin. in Parte 2. Summæ tit. 3. c. 9.

Dum doloriſſimum hoc bellum, quod Chriſtus amore hominum ſuſcepit Iſaias Propheta deſcribit, his utitur verbis: *oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit.* Et verò tam ſtupendum tenuit ſilentium, ut ad omnia verbera & verba ne ingemiſceret quidem, ipſô Præſide in admirationem raptô, dicente Matth. 27. non audis: *Quanta adverſum te dicunt teſtimonia? & non reſpondit ei verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer.* Sed licèt ad falſiſſimas delationes, ad horrendos flagellorum ictus, ad auctiſſimos ſpinarum aculeos, ad mille alia tormenta altiſſimum teneret ſilentium, ad unicam tamen Malchi alapam auditus eſt conqueri. Cauſam hujus ſi quæras? alia aſſignari non poterit, niſi temerarii & impiiſſimi hujus ſervi ingratitudo, paulò ante à ſe miraculoſè ſanati. Si ergò ò Chriſtiane ſola ingratitudo tantum Chriſto affert tormentum, ut quærulas ei voces extorqueat, cogita: qualia olim in extremo judicio ſis verba ab eo auditurus? non mirandum ſanè ſi cum indignabundo & vindictam Sichimitis minitante Gedeone exclamet v. 8. hujus cap. *conteram carnes veſtras cum tribulis & ſpinis deſerti.* Hanc ab ingratis Chriſtianis exſpectandam ſententiam ut effugias, dic hodie adhuc pœnitens cum S. Bernardô homil. 4. ſuper Miſſus: *non habeo Regem, niſi Dominum Regem. Veni ergo Domine diſperge illos (nempe vitia & inordinatas paſſiones meas) in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Jacob.* Conclament alii perditæ vitæ Chriſtiani: non habemus Regem, niſi appetitum carnalem & ſenſualem; non habemus Regem niſi mundi legem, Rationem ſtatûs &c. dicas tu: ego alium non habeo, non ſequor niſi Jeſum, & hunc amore mei tam acerba paſſum. Quare in ſignum debitæ & gratæ ſubjectionis totum me illius imperiis dico, & dedico totum reſigno: hinc perinde mihi erit, impoſterum, eſſe pauperem vel divitem, ſanum vel infirmum, æſtimatum vel abjectum, triſtem vel hilarem. Modò ſervus ſim illius, qui pro me ſervus eſſe, & horrenda morte defungi dignatus eſt.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 9. & 10. lib. Judicum, in quibus describitur Parabola Joatham proposita viris Sichem. Abimelech ambitiosi fratricidium, ejus cædes illata à muliere. Crimina Israëlitarum, eorumque pœnitentia.

Considera 1. RHamnum in Regem cæterarum arborum parabolicè hîc electam, cùm petiissent: ut *sub umbra illius* omnes requiescerent, symbolum esse illorum hominum, qui ad altas Dignitates assumpti, aliis felicitatem & quietem sub suo Præsidio inveniendam promittunt, quâ tamen ipsi vel maximè carent: non enim tot tribulîs & spinîs abundat Rhamnus, quot illi curîs, laboribûs & miseriîs punguntur. Quare Moysi ad supremum Populi Regimen olim vocato, Deus se spectandum dedit non in Throno Aureo, vel eburneo, sed in *Rubo*, & quidem ardenti: ut disceret inde, Thronos Principum, in quibus residen̄t, spinîs quaquaversum rigere, & ardere igne curarum, qui quo diutiùs eos affligere possit, eò minùs consumat spinas. Christus etiamnum Infantulus, Rex tamen universæ terræ à tribus Magis salutatus, curvatô poplite adoratus, & regalibus donîs ditatus, vix hæc debitæ subjectionis tributa à subditis istis acceperat, jam alterâ nocte patriam linquere, in barbaras oras fugere coactus est. Ut teste Paulô de Pallat. in cap. 2. Matth. *nôrint, qui adorantur ut Reges, non se adorari, ut pacem & delicias habeant, sed ut peregrini sint, ut nunquam quiescant, ut nunquam dent oculis somnum, eô etiam tempore, quô maximè capiendus est.* Hinc Salvator in ætate virili positus, noluit divinam suam Majestatem, à Petro satìs agnitam, Mundo proclamari, vel unquam regalî nomine, quod tamen ei propriissimum fuerat, compellari; donec in Crucem actus est, patiens ibidem super caput affigi nomen regium, tribûs linguis scriptum: ut sic Magnates doceret: grandes titulos crucibus propinquos esse. O quantum igitur desipiunt mortales, qui compertîs tot Principum & Regum spinîs, Dignitates & Honores non tantùm ultrò sibi oblatos acceptant, sed quandoque per nefas, per crudeles innocentium neces cum *Abimelech fratricida* eos quærunt: ab una fœmina, quæ *ambitionem* se vocat, turpissimè victi. Noverat *Oliva*, omnî sensu carens creatura, quàm quietum & dulce sit subesse, & quàm remotum à cruce: atque hinc delatam sibi dignitatem regiam recusat capite citatô, ut eò magìs confundat homines, ratione & sen-

N.225.

su præditos, qui stolidè nimis grandes Dignitatum Titulos ambiunt, quas meritò *Umbras montium* diceris v. 36. capitis cit. quibûs visis mortales miserè falluntur: nam umbra se insequentem fugit, fugientem sequitur.

N.226. *Considera* 2. Quomodo peccator depositiô semel timore Dei, & abjectâ verecundiâ ab uno in aliud ruat peccatum, nova veteribus accumulans, quod pessimô comprobârunt exemplô Israëlitæ c. 10. v. 6. dicente S. Scripturâ: *filii Israël peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini.* Celeberrimum, & nostro proposito peraccomodum est illud Regii Vatis oraculum Psal. 41. cantantis: *abyssus abyssum invocat*, hoc est Interprete Lyranô: *culpa culpam parit.* Regiô parenti regius consentit filius, asserens Prov. 13. v. 6. *Impietas peccatorem supplantat.* q. d. eam esse peccati vim, ut pedes, quibûs via Mandatorum Dei terenda est, enervet: hîs verò enervatîs, & suô robore destitutîs necesse esse: hominem frequenter labi, vel ad quoslibet gressus titubare; Pulcherrimè ait Veneb. Beda Serm. de Nativit. ut ferri annulus magneti adhærens alium levat, & hic alium, donec catena fiat, sic peccata alia ex aliis pendent. Matth. 8. legitur: ejectos ê Dæmoniacis spiritus rogâsse Christum dicendô: *mitte nos in gregem porcorum.* Quæso: cur Spiritus isti, à natura sua tam nobiles adeò sibi vilescunt, ut optent immundissimorum animalium corpora inhabitare? respondet ingeniosè S. Chrysolog. Serm. 16. obsessos à Dæmonibus *exeuntes de sepulchris* præfigurâsse peccatores, qui in potestate Dæmonis constituti, peccatorum suorum stercore habituati, ipsos quoque Dæmones assuefecerant ad inhabitandam fœditatem: *nequitia enim* (verbîs loquar citati Doct.) *nescit fœtores amittere, sed mutare.* Quare ò Christiane Lector! ne in barathrum tantæ fœditatis præceps agaris, quasi à facie colubri fuge peccatum. Aut aliquoties jam lapsus, ocius cum pœnitentibus Israëlitis exclama v. 15. citati cap. *peccavimus! redde tu nobis quidquid placet, tantùm nunc libera nos.* Non solùm dictô, sed & factô Israëlitas imitaturus, omnia de finibus peccatoris tui Idola passionem projice, serviens Domino Deo tuo v. 16. capitis cit. cogita: quomodo Absolom de superbia in homicidium, de homicidio in ambitionem, indeque in rebellionem sit præceps actus, ut observat S. Chrysost. homil. de Absolome: *semper* inquiens, *scelera dum non resecantur, increscunt, & in augmentum facinoris profilitur, quoties impunita securitate peccatur. Dum enim in Absolom fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium patris recidivum facinus*

facinus iteratur. Is meritò capillîs suîs arbori implexus hæsit: quia peccatîs suîs quasi capillîs funem sibi texuerat, peccata peccatis addendô. Judam cogita, qui avaritiâ non statim è pectore abjecta in furem evasit, inde in proditorem Dei, & propriæ personæ crudelissimum carnificem. Regem Achab cogita, qui dum impiæ Reginæ & Pseudoprophetarum consiliis aures præbunt, ad rapienda aliorum bona, ad colenda Idola, ad necem innocenti Naboth inferendam, ad concitandum iniquum bellum, ad persequendos & in carcerem tradendos Prophetas prolapsus est. Quam ob causam dicitur 3. Reg. 22. *venundatus sub peccato.* Fit ergò peccator simillimus illi asino, cui quondam insederat Salvator noster, qui non unius, sed plurium dicitur exstitisse Dominorum Lucæ 19. & quemadmodum de Roma gentili olim disertè ajebat S. Leo Serm. 1. in Natali SS. Apost. Petri & Pauli: *cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, magnamque sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Ita inveteratus peccator, etsi toti dominaretur orbi, omnibus tamen peccatis subjectus, despoticam ageret servitutem, & hanc non deploraret: donec æternis ignibus alligatum se sentiet, instar piscium glacie concretorum se gerens, qui nec sentiunt, nec motum habent, priusquam in patinas calidas conjecti elixentur.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 11. 12. & 13. lib. Judicum, in quibus describitur Electio Jephte, Victoria, tristis casus ob votum temerè emissum. Ephraim in Jephte seditio. Oraculum de ortu & vita Samsonis.

Considera 1. OMnia fermè hujus mundi tripudia, applausus & festivos Jubilos eundem sortiri finem, qualem sortitus est Triumphus Victoris Jephte, quem SS. Paginæ cap. 11. describunt hîs verbîs: *Occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis & choris, quâ visâ scidit vestimenta sua & ait: Heu me! filia mea decepisti me, & ipsa decepta es.* Obstrinxerat enim se votô: primum, quem sibi obvium haberet, in sacrificium pro obtenta victoria se Deo oblaturum. Et en! ô infortunatum in summa belli fortuna parentem! prima omnium unigenita ejus filia, tripudiantium & cantantium chorô stipata occurrit victori, suô exemplô testata verborum illorum veritatem, quibûs sa- *N.* 227.

piens stultitiam jubilantis mundi arguit, dicens Proverb. 14. *Risus dolore miscebitur &c.* Senserè hoc ipsum Principes Philistinorum, quos refert S. Scriptura cap. 16. hujus libri convenisse: *ut immolarent Hostias magnificas Dagon suo, & epularentur, lætantes per convivia. Sumptis jam epulis præceperunt, ut vocaretur Samson, & luderet ante eos &c.* Sed secum ludentibus strenuè illudens Samson, domûs columnas convulsit, quo facto: ut collapsa domus festivos jubilos & cantus solemnes unicô momento in luctum converteret, communî sepulchrô omnium corpora contegens. Expertus quoque testimonium deponit Holofernes, qui à gentibus in servitutem redactis, ingentî applausu & accentu exceptus, paulò pòst ab ipsa Judith, quam perdite amaverat, dum nil nisi meras voluptates somniaret, in hilari lecto triste lethum invenit, ex triumphali tam immensi exercitû capite in abjectissimum truncum conversus. Pulchrè ad propositum alludit mellifluus Doctor Serm. 1. asserens: *sicut flammæ novissima fumus occupat & caligo, sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur.* Sic videmus, symposia desinere in dolores capitum, in catarrhos, in febres & morbos, quandoque in mortem repentinam: libidinem desinere in luem veneream, vomicas &c. Laudes & accentus in opprobria, in risus, in contumelias. Hinc Christus hortatur Lucæ 6. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Momentô unô delectatur piscis hamô, & hoc ipsum delectationis momentum morte luit. O quantum igitur desipis Christiane Lector! si tot exemplis & rationibus nondum sat perterritus, fallacibus hujus mundi gaudiis, tripudiis, choreis & lusibus inordinatè adhæres, & non potiùs cum filia Jephte solitudinem quæris, pedibus affectuum bonorum circuiturus *montes*, quos regius vates vocat *montes æternos*, quibus insidet Jerosolyma cœlestis, ut plangas *virginitatem* animæ tuæ, quæ quidem jam pridem Christo per baptismum fuerat conjuncta, sed à vanis mundi deliciis seducta, dum gratiæ millies oblatæ cooperari noluit, in virtute virgo permansit, effecta in gigendis vitiis fœcundissima mater.

N. 228. *Considera* 2. In verbis istis, quibus mater Samsonis cap. 13. Marito suo futurum denunciavit partum, inquiens, sibi ab Angelo dictum: *Ecce concipies, & paries filium, erit puer Nazaræus Dei ab infantia sua &c.* Latere doctrinale Mysterium perquàm conforme proverbio illi sapientis, quô ait: *adolescens juxta viam suam ambulans, etiam cùm senuerit non recedet ab ea.* Ex hoc enim mater filium suum Nazaræum ad mortem usque futurum præsagiebat, quòd audîsset ab Angelo, illum talem

talem fore *ab infantia sua.* Quare S. Hieron. hortaturus S. Lætam, ut filium suum teneræ ætatis adolescentem strenuè educaret dixit: difficulter eraditur, quod rudes animi inbiberunt. Lanarum conhylia quis in pristinum candorem revocat? recens testa diu & saporem retinet & odorem, quô priùs imbuta est. Regius Vates sat gnarus quantum adultæ ætati interfit, primos juventutis annos virtutis & pietatis studiô impendisse Psal. 91. cantat: *plantati in domo Dominus in Atriis Domûs Dei nostri florebunt, adhuc multiplicabuntur in senecta uberi.* S. Augustinus ut consuleret juventuti ritè educandæ, in ista verba acuit calamum tom. 4. exqq. vet. test. *est nativitas quasi arbor, quæ inseritur, qui si bono surculo miscetur, melior fiet: si malo, deterior. Ita & nativitas, si bona accedat Doctrina, bonos faciet fructus, si mala, malos.* Sicut illud, quod in tennellula ætate ossa pueri ingreditur, & cum iisdem crescit, adeo tandem induratur, ut ossium naturam diceres induisse: ita vitia & mali mores in juventute acquisiti, adeò firmas agunt in anima & corpore hominis radices, ut eum in seram usque senectutem, ac si forent adnata comitentur, id testante Jobô c. 20. *ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Coguntur ergò parentes de filiis ritè educandis parum solliciti, in filiis suis experiri, quod expertus est in virga sua Moyses, quam toties in colubrum commutatam vidit, quoties abiecit in terram. Sicut ursus informes catulos gignens, eos lambendô efformat, ita juventutem ex corrupta natura natam, & ad omnia vitia multum inclinatam, tum verbô tum verbere oportet ad pulchram morum speciem efformare. Hinc ò Christiane Lector! si aut parentem aut juventutis moderatorem âgis, Samsonis parentes imitare, rogans imprimìs cum illis Deum, ut per S. inspirationem, tanquam per bonum Angelum te doceat: quid facere in hoc negotio te oporteat? dein vide: ne filius aut juvenis tuæ curæ crediturus malis se jungat sociis, nec vino immoderatiùs hauriendo assuescat & quidquid carnalem redolet immunditiem cane pejus & angue fugiat. Attende etiam ne quorundam parentum more filiis lapidem pro pane porrigas, aut serpentem pro pisce, juxta illud Christi effatum Lucæ 11. legendum. Videberis autem tum lapidem panis locô porrexisse, quando severè nimìs & rigidè te erga eos gesseris contra Apostoli monitum, quô ait Coloss. 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ne pusillô fiant animô.* Oportet discretô uti modô, & præsertim ingenui monitis potiùs vel munusculis, quàm metu, clamoribus, minis

minîs & verberibûs ad officium inducendi sunt. Buccephalus cùm duriùs tractaretur, eò sævitiæ venit, ut nec sessorem admitteret, nec vocem cujusquam pateretur. Videns id Alexander, indignari cœpit moderatorum inclementiæ, & accedens equum, habenâ eum comprehendit, dein cùm adverteret: illum metu umbræ consternari, protinùs contra solem stare fecit. Tunc eô demulctô saltum arripiens insedit, eumque ad nutum vertit, & ad cursum incitavit, adeoque obsequentem reddidit, ut etiam in genua sese demitteret, quando vehendum excipere debebat Herum. Curt. lib. 6. ita ingenui filii & adolescentes destruuntur nimiâ severitate, qui discretè habiti ad omnia redduntur obsequiosi, instar argillæ, quæ dum est uda, non vî, sed lenî digitorum attactu ad pulchram à fingente imaginem disponitur.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 14. & 15. lib. Judicum, in quibus describuntur Samsonis Sponsalia, Victoriæ de Leone, incendium segetum, strages Philistinorum, sitis Samsonis &c.

N.229. *Considera* 1. SAmsonem ex utero matris Nazaræum tantâ fortitudine prædituм, ut unicâ asini maxillâ armatus integrum prostraverit, aut fugaverit exercitum Philistinorum, divinô adhæc repletum spiritu, testante id S. Scripturâ v. 6. cap. 14. *Spiritus Domini irruit in Samsonem.* Unicô tamen oculi obtutu in mulierem, & quidem alienigenam infamemque conjectô, adeò deceptum captumquè esse, ut licèt reclamarent Leges Hebraicæ, contradicerent parentes, nequaquam inde permotus dixerit: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* v. 3. cit. cap. sic planè res certa est: oculîs laboranti nullam posse medicinam parari. Extrudetur Venus, si venerit per aures, repelletur illa, si venerit per munera. At si vidisti, periisti. Arcem sibi struxit in oculis libido, unde dejici nullîs poterit machinîs. Salvianus lib. 3. de provid. oculos vocat: *naturales quosdam animæ cuniculos.* At quis nescit: Summo vitæ periculo exponi hominem, qui inter cuniculos subterraneos, pulvere nitricô instructos incautè versatur & licèt ignis tali cuniculo applicitus, non unicô momentô incendium excitet, serpit tamen, etiam minimâ pabuli portione nutritus, donec derepente in amplum materiam dilapsus, arces & mœnia in sublimè efferat.

Haud

Haud secus agitur cum illis, qui suis nimium fidunt oculis, in aspiciendo pulchram alienæ facici speciem; etsi enim non primô aut secundô obtutu nascatur incendium, serpit tamen latenter ignis, pravis cogitationibûs ceù pulvere nutritus, donec in fornacem concupiscentiæ illapsus, arcem pudicitiæ penitùs evertat. O quot viros sanctitate celebres reperire fuit, qui triginta, quadraginta aut pluribûs quandoque annîs tam austeram duxêre vitam, ut vix ossibûs hærerent, paucîs tamen oculorum jactibûs eò devenêre, ut de se fateri coacti sint: *oculus meus deprædatus est animam meam.* Thren. 3. in quæ verba S. Anton. Paduan. Dom. 2. quadragesi. ait: *latrunculi sunt oculi, qui furantur animam.* Fieri enim assolet, ut ubi fures latronesque in ampliores ædes ob corporis grandioris molem penetrare nequeunt, parvum latrunculum per crates & cancellos immittant, qui pessulîs amotîs ostium aperiat, & per apertum eos intromittat. Ita quos Dæmon suîs virtutibûs spoliare non potuit objiciendô magnas Dignitates Mundi, aut grandes divitias, hos per parvas libidinis scintillas, quæ oculos ceù crates & cancellos latrunculorum more transierant, deprædavit. Referunt Historici de Democrito Philosopho, quod cùm in bello contra propriam carnem gesto, de obtinenda pace desperaret, arma in oculos converterit, eos providè crudelis eruens. Facti autem hujus causam quæsitus, responderit: se sæpiùs expertum esse, de oculis cæcum quendam puerum egredi, sibi summè injurium; ne ergò propago ista sibi ulteriùs foret nociva, statuisse radicem ejus penitùs tollere. *Sicque eum cæcus vincere spero*, aiebat ille, *à quo cum oculatus essem animum defendere nequaquam valui.* Concupiscentia oculorum est instar indomiti Leonis Samsonici, qui patulô semper ore vias nostras obsidet, quærens; quem devoret: huic dilacerando, ut pares simus, necesse est: irruere in nos sicut in Samsonem, Leonis Victorem, *Spiritum Domini.* Quô roborati, si vicerimus hunc obvium hostem, inveniemus paulo pòst *mel* magni apud Deum meriti, quô enim rarior victoria, eò majus inde nascitur præmium. Oculîs si lubet uti, utamur illîs ad videndas & cognoscendas Dæmonis fallacias, vî quarum se erga miseros voluptatum amatores gerit ut *Dalila* erga Samsonem, privandô eos virtutibûs, & ipsâ tandem vitâ.

Considera 2. Injustos astutos & dolosos hujus mundi homines instar vulpium Samsonis ad se invicem conjungi, damna piis & simplicibus illaturos. At verò tales eô ipsô igne, quô nocent aliis, sibi ipsis *N.* 230.

damno plerumque sunt, ut experientia probat: qui enim Justitiam commutativam offendit, proximo suo grave damnum inferendo, is se ipsum damnificat damno duplici, utpote animam suam per peccatum obligando Dæmoni & pœnis infernalibus, æternùm sufferendis bona verò obligando restitutioni, quandoque cum gravissimo incommodo faciendæ. Rectè igitur de talibus cantat Vates regius Psal. 35. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso.* Fiunt enim similes navibus incendiariis: hæ flammis, quas applicant aliis incendendis, comburuntur ipsæ. Testatur hoc sibi evenisse Achitophel 2. Reg. 17. Qui rebellionem & bellum filio contra Patrem suadens, propriis manibus sibi restim texisse visus est, quo suspensus interiit. Testabitur id ipsum Aman regius ille minister, qui patibulum, quod Mardochæo & Judæis erexerat, ipse primus conscendit. *Lacum aperuit, & effodit eum*, canit citatus Psaltes Psal. 7. *& incidit in foveam, quam fecit.* In hanc inciderunt Philistæi, qui modis omnibus Samsonis neci procurandæ intenti, mille viros teste S. Scripturâ citato cap. perdiderunt, maxillâ asinæ contusos à Samsone. In hanc quoque incidit Nobilis quidam, de quo Fincelius lib. 2. sequentem refert historiam. Hic annò 1532. imperaverat austeris verbis rustico, ut junctò ad currum equo suo ingentis molis quercum è nemore ad ædes veheret, gravissimam subiturus pœnam, ni illicò obtemperaret. Rusticus id factu impossibile ratus, altum suspirat, & inter suspiria pergit ad nemus, ubi obvium habet Dæmonem, in humana specie visibilem, qui causam suspiriorum quærens, eâ ocius à rustico intellectâ, spondet: sequenti die se quercum ad Heri ædes advecturum; & rusticum hâc optimâ spe pastum jubet redire domum. Tum Dæmon densissimam ramis quercum ante ædes Nobilis transversam projicit. Cumque illa adamantinam quasi duritiem induisset, nullâ vi aut arte amoveri, aut in fusta discendi valens, omnem egrediendi è domo exitum præclusit iniquissimo Hero. Quare is coactus est perfringere ex altera parte murum, ni mallet perpetuo carceri inclusus manere. Hæc exempla perpendens Christiane, ut proprium refugias damnum, fuge pariter damna proximorum, ad quæ referenda te passio instigat, viam tibi dolo & fallacia monstrantibus.

Cùm porrò in hoc capite v. 19. legis: Deum apperuisse molarem dentem maxillæ asinæ, ut fluentes ex ea aquæ sitim restinguerent Samsonis, adora divinam Providentiam, pro servis suis adeò vigilem & sollicitam, ut citiùs operetur miracula, quam longiori tempore ipsis

ipsis necessaria deesse patiatur. Quare si verum Dei servum & Nazaræum agis, noli quærere: quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quô operiemur &c.? scit enim Pater & Herus tuus cœlestis, quô indigeas, & sciens nunquam suô tibi deerit auxiliô.

FASCICULUS XXXIV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 16. 17. & 18. lib. Judicum, in quibus describitur jactura fortitudinis Samsonicæ ex septem crinibus abscissis orta & secuta mors. Idolum Michæ ablatum à Danitis. Expugnatio Urbis Lais.

Considera 1. LIbidinem carnalem non tantùm spiritui (ut præceden- *N.* 231.
tia docêre) sed ipsi quoque corpori & carni esse summè nocivam. Testatur enim S. Scriptura c. 16. Samsonem stupendæ fortitudinis hominem, dum cubaret in sinu Dalilæ, quam perdite amaverat, adeò suîs defeciisse viribûs, ut ad mortem usque lassatus esse videretur. Et hinc S. Ambros. lib. 6. Epist. 47. ad Sabin. Voluptatem serpenti comparans cit: *venenum in dentibus habet, quibus unusquisque sese eviscerat luxuriosus.* S. Cyrillus his deliciis addictos viperis assimilat, hunc ingeniosum afferens apologum. Furibundæ Viperæ ad coitum properanti castus elephas obviam factus quæsivit ex ea dicens: quô sic effrenatô passu properas? cui illa: anhelo ad venereæ suavitatis gaudium. Hôc auditô elephas ejus lethiferæ fallaciæ compassus dixit. scio certè, quòd furibunda luxuria oculîs careat, non valens videre, quô ruat, nempe ad occasum amarissimæ vitæ tendis: quid enim coitus, nisi delicioſa pernicies, mors latens venenositas blandiens? & hêrcle aptiorî similitudine, quàm hâc ad propositum alludere non potuisset ingeniosus iste Doctor; Voluptatem enim, quam vipera in concipiendo fœtu accipit, in pariendo occisa luit, dum ruptîs visceribûs proles oritur, & mater moritur. Ecclesia catholica sollicita filiorum suorum parens ad coërcendam fatalem libidi-

bidinem, quæ maximè Bacchanalium tempore ardet, dum Baccho & Cereri immoderatiùs litari à Christianis solet, cineres capitibus jubet imponi, sub præscripta hac formula: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ut sic doceat: carnales homines præ cunctis aliis velocius ad mortem & cineres, in quos resolvendi sunt, properare. Quare etiam de quibusdam libidinosis Hæreticis 2. Epist. c. 2. v. 1. asserit S. Petrus: *superinducentes, sibi celerem perditionem &c.* Diabolus namque instar Philistinorum se gerit erga illos, utens luxuriâ tanquam *Dalilâ*, quæ corporis vires ceù capillos Samsonis abscindat, & in malo penitùs excæcatos peccatorum funibus trahat maturè ad carcerem sepulchri, animæ æternîs pœnîs illusurus. Quare ò Christiane Lector! si longioris vitæ amore teneris, summô odiô prosequere brevissimam illam & fœdissimam carnis voluptatem.

N. 232. *Considera* 2. Omnes Christianos iisdem verbîs, quibûs cap. 19. v. 9. & 10. Quinque exploratores in terram *Lais* præmissi, & inde reduces socios suos excitârunt, ab Angelis custodibus per Sanctas inspirationes excitati. *Surgite*, inquiunt illi, *& ascendemus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam & uberem nolite negligere, nolite cessare. eamus & possideamus eam. Intrabimus ad securos in Regionem latissimam, tradetque Dominus locum, in quo nullius rei erit penuria &c.* Ipse gentium Apostolus exploratoris instar admirabilî raptu in hunc locum missus, retulit 1. Corinth. 3. *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Mater Virginea, de qua cantic. 4. dicitur: *emissiones tuæ Paradisus &c.* & quæ juncta magni nominis Doctores revelatâ facie vidit Deum, non parum se credidit explicandæ satis beatitudini, istîs tantùm usa verbîs Lucæ 1. *esurientes implevit bonîs*; quæ verba expendens Hugo Card. ait: *non dicitur, quibûs bonîs, ut intelligatur omnibus bonîs gratiæ & gloriæ & spiritualis intelligentiæ &c.* fuêre nonnulli, qui cœlestem gloriam adumbraturi, pingebant corpus, cœlum referens radiantibûs stellîs, Sole, Lunâ & innumeris ornamentîs instructum, annexô lemate: *pulchriora latent.* Latet sanè illa civitas, quam apocalypticus Joannes vidit in quadro positam, cujus structura muri ex lapide Jaspide, ipsa verò aurum mundum &c. latet tanta Voluptas, quæ omnem exsuperat intellectum hominis, sermonem omnem infinitiés transcendit: adeò, ut stupore attonitus exclamet Vates regius: *ò quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te*, & hæc dulcedo excludit omnem

mnem rerum vicissitudinem, omnes inimicorum insidias, omnem mali timorem. latet satietas sine ullo fastidio in beatis reperienda, prout sanctus testatur Greg. M. lib. 18. moral. c. 28. scribens: *desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine fastidio quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Regina Saba ad Salomonis regiam profecta, vidit rara, audivit stupenda, quibûs tamen omnibûs non adeò fuit inescata, ut Aulam illam in perpetuam sibi eligeret sedem: sed quasi ad nauseam satura deliciis Salomonicîs, domum cum servis suis rediit. At in cœlo invenire est eam rerum mirabilium varietatem, quæ dum satiare nequit, suas incolas sibi quasi agglutinat, ut nec velnit, nec possint aliò migrare. Latet stabilis felicitas, & hinc S. Joannes Apoc. 7. vidit beatos *stantes ante Thronum Dei & in conspectu agni.* S. Rombertus Bremensis Episcopus cùm insignem Victoriam contra Nortmannos precibûs suîs velut alter Moyses impetrâsset, id effecit, ut deinceps locus ille, in quo preces fuderat, semper vernaret, cespite virentî ridens. Ita Sur. 4. Febr. in vita talis terra Cœlum est, semper virens, stabiliqúe felicitate beata. Prout Sancta Virgo & Martyr Dorothea objecit Tyranno dicens: *Sponsus meus me invitat: imus enim per hasce pœnas breves & exiles ad Paradisum deliciarum, ubi sunt poma miræ pulchritudinis, rosæ, lilia & flores innumeri, qui nunquam marcescunt*, idque comprobavit miraculô, mittens derisori suo Theophilo Scribæ per Angelum flores & poma speciosissima, recentissima mediâ ferè hyeme. Latens demum ea omnia, quæ pulcherrimîs verbîs S. Anselmus in suo prosologio c. 25. detegit scribens: *ibi est, ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis.* Si delectat pulchritudo? fulgebant Justi sicut sol. Si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit? erunt similes Angelis Dei: quia seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale, potestate utique non naturâ. Si longa & salubris vita? ibi sana est æternitas & æterna sanitas: quia Justi in perpetuum vivent, & salus Justorum à Domino. Si sacietas? satiabuntur, cùm apparuerit gloria Dei. Si melodia? ibi Angelorum Chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet munda non immunda Voluptas? torrente Voluptatis potabit eos Deus. Si sapientia? ipsa Dei sapientia ostendit eis se ipsam. Si amicitia? diligent Deum plusquam se ipsos, & invicem tanquam se ipsos, & Deus illos plusquam illi se ipsos: quia illi illum, & invicem per illum & ille se, & illos per se ipsum. Hæc & pluraper longũ Apsel. Ego verò ò Christ. Lector coronidis locô

exclamo: eamus & possideamus terram hanc, auferamus cum *Danitis sculptilia, Idola, & conflatilia* pectoris nostri, inordinatum videlicet ad bona terrena amorem. Non acquiescamus carni nostræ, quæ v. 24. citati capit. cum *Micha* post nos vociferatur: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis.* Sed cum sexcentis illis fortissimis Judæorum viris currentes per viam Mandatorum Dei ascendamus cœlestem *Lais*, ibi ut refert S. Scriptura v. 27. capitis cit. venturi *ad Populum quiescentem & securum.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 19. lib. Judicum, in quo describitur Iter Levitæ cum uxore sua, Gabaonitarum in eos duritia & nefanda libido exercita in uxorem Levitæ.

N. 233. *Considera:* QUòd Dæmon homines, è domo peccati per veram pœnitentiam ad Deum profecturos, iisdem verbîs alloquatur, quibûs utitur S. Scriptura capite v. 6. *Quæso te, ut hodie hîc maneas,* & v. 9. *mane apud me etiam hodiè, & duc lætum diem, & cras proficiscéris*, de mercatore quodam legitur: quòd Tabernæ suæ majusculîs litterîs inscribi jusserit: *Hodiè in loco hoc nil creditò venditur, sed cras.* Factum inde, nunquam tempus adventâsse, quô emptores aliquid creditò acceperint, eandem Scripturam singulîs diebûs videre jussi. Pari prôh dolor! astutiâ miseris peccatoribus illudit Diabolus hodiernum tantummodo diem sibi impendi petit, crastinum pœnitentiæ dari concedens. Verùm cùm eadem verba quotidiè repetat, oritur inde: nunquam illucescere illum pœnitentiæ locandum diem, ut quô eos diutiùs remoretur, eò majorî jure eos possideat; crescunt enim catenæ, de quibus asserit Ecclesia: delictorum catena constringitur. Quod ipsum pulchrô simili declarat S. Bonav. tom. 6. in Diæt. salut. tit. 1. c. 2. inquiens: *Peccatum est sicut rete, & sicut Virga inviscata: nam sicut piscis in retibus se agitandô amplius involvit, & avis plus ambulans per Virgam inviscatam fortiùs se capit, sic peccator magis elongatur à Deo, & strictius illaqueatur à Diabolo, quia de tali dicitur: tenebitur planta ejus laqueis.* Joannes de Villa nova refert: exstitisse quendam fœneratorem, crebrò à confessario suo admonitum, ageret Pœnitentiam injustè retenta suis redditurus Dominis. Ad quæ verba identidem respondere auditus sit: *benè, faciam adhuc.* Sed hîs nondum satur Sacerdos, dum monitum dupli-

duplicat, videt ocius peccatorem quasi mortuum ante se corruere, & nonnihil sibi denuò redditum, dum iterum ad pœnitentiam disponere nititur, clamat æger: *ò pœnitentia ubi es? pœnitere non valeo hoc judicante justò Judice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui.* Aliud non minùs horrendum in vita Thomæ Mori legitur exemplum. Rogabant amici peramicè hominem, gravissimis peccatis obnoxium, ut maturâ pœnitentiâ saluti consuleret. Sed responsô tulêre; se tribûs unicis verbulis clementiam Dei eô tempore expugnaturum, quô instare sibi mortem sentiret. Sed ò vesana peccatoris fiducia! quàm aleâ inversâ sors cadit: cùm enim equo insidens transit pontem, equus improvidum pedem saxo impingens cadit, & una secum sessorem Herum aquis immergit. Tam miserandô lapsu præceps actus peccator, ubi extremum cernit vitæ periculum, & mortem certò certiùs subeundam, omnî conatu in tria verba resolvit linguam. Sed quænam ista? nunquid cum regio auditus Vate suspirare. *Miserere mei Deus?* vel *tibi soli peccavi?* aut cum publicano: *Deus propitius esto?* ò quàm longè à talibus diversa maledicô ore spumat, nil aliud auditus clamare: quàm: *rapiat omnia Dæmon.* Ita miserrimum homuncionem in fatali versantem lucta destituit memoria. *Justô Dei judiciô fit*, meritò dicam cum Innocentio III. Serm. 2. de advent. *ut quia cùm potest homo converti & non vult: cùm fortè converti non possit: tunc enim securum est homini pœnitere, cùm potest ipse peccare.* Hinc ò Christiane Lector! si per lethalem culpam è domo gratiæ abiisti, ocius ad eandem per pœnitentiæ ostium redeas. en! Christus instar *Senis* illius, Levitam in platea publica divertentem alloquentis, te quoque alloquitur dicens: *Pax tecum. Ego præbebo omnia, quæ necessaria sunt, tantùm quæso, ne maneas in platea.* v. 20. hujus cap. Diabolus enim animâ peccatoris haud aliter abutitur, quàm *Gabaonitæ filii Belial* abusi fuerant uxore Levitæ: utpote non antea desistens ab explenda sua libidine, donec ante *ostium domûs* æternitatis illa cadat mortua, gladiô infernalium pœnarum non tantùm in duodecim, sed in millenas partes scindenda.

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus libri Judicum, in quibus describitur Israëlitarum bina cædes, antequam vincerent Tribum Benjamin. Luctus Israël super strage Benjamin.

N.234. *Considera* 1. ET obstupesce: quòd Israëlitæ ex motivo Justitiæ, nempe ad vindicandum enorme crimen Gabaonitarum egressi, binâ priùs acie victi sint permittente Deô, antequam vincendô malefactores triumpharent. Et verò hoc ipsum jam pridem admiratus est S. Greg. M. qui à S. Bernardinô citatus ait: *quid est, quòd in ultione sceleris inflammatione zeli populus ardet, & tamen priùs ipse prosternitur?* sed dubium, quod sibi moverat, soluturus pergit asserendô: *priùs purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, ut ipsi jam mundi propter ultionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant.* Licèt Thomas Didymas in sua persistens sententia negaret fidem resurrectioni Salvatoris, nullus tamen Apostolorum intra totius octidui spatium criminis hujus eum arguere est ausus; id planè ea de causa factum est, quòd non dispar incredulitas eorum mentes tenuerit tèstante S. Lucâ c. 24. dum ibidem dicit: *& visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* Propheta regius asserit, audivisse se quondam Deum, hæc verba peccatori objicientem: *Quare tu enarras Justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam &c.* Psal. 49. q. d. Tunè alios de lege non servata arguas, & castiges, qui tam frequenter peccas in legem? mundari vis alios, ipse millenîs sordibûs conspurcatus? quare etiam æterna Patris sapientiâ, dum audiret Pharisæorum quærelas, super muliere in adulterio deprehensa motas, aliud non respondit, quàm cujus meminit Joannes cap. 8. dicens: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* ò Christiane! quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem, in oculo tuo non vides? quoties alios reprehendis nunc de hoc, nunc de alio vitio, & tamen si conscientiæ tuæ latebras exactiùs perscruteris, deprehendes: te paribûs, aut etiam majoribûs vitiîs affectum esse: ejice ergò priùs trabem de oculo tuo, & tunc primum, si îd Justitia vel charitas proximi exigit, progredere ad correctionem ejus. Cum filiis Israël venias in *Domum Dei*, & ibidem *fleas* coram Domino super propria peccata, ante-

antequam ultrà exeas ad pugnam correctionis contra fratres tuos; utque correctio majori cum fructu contingat: hinc pariter cum Israëlitis utere *insidiis*, sequens Doctrinam divi Pauli, in hoc Bello strenuissimi & expertissimi Ducis: nunc arguendô, nunc obsecrandô, nunc increpandô in omni patientia & Doctrina &c. misce temporibus tempora, terroribus blandimenta. Dirum Magistri, pium Patris ostende affectum, ut admonet sanctiss. Legislator meus Pater Benedictus S. regulæ cap. 2.

Considera 2. Quàm grandis fuerit luctus Israëlitarum super corporea clade filiorum de Tribu Benjamin: adeò, ut teste S. Scripturâ cap. 21. v. 3. *Magnô ululatu ceperint flere, dicentes: quare Domine Deus Israël factum est hoc malum in Populo tuo, ut hodie una Tribus auferetur à nobis &c.* N. 235. econtra perpende: quàm parum doleas: tot hominum millia quotidiè æternum perire. Flebat olim Christus Dominus Lucæ 19. videns Civitatem Jerusalem prævidensque vindictam, quam esset aliquot abinde annis subitura. Flebat inquam, & amarè deflebat ruinam hujus Urbis Ille, qui tamen tam graviter offensus ab ea, meritò ridere poterat. Et tu Christiane siccis oculis aspicias tot amicorum, tot benefactorum, à virtutis Christianæque pietatis via aberrantium exitia? copiosis lacrymis Propheta regius mortem Saulis juratissimi sui hostis deploravit: & tu nec guttulam unam profundas, audiens tam frequentia cognatorum tuorum peccata, quibus illi animarum suarum mortem incurrunt? nonne in belluam degenerâsse crederes illum hominem, qui stans in littore maris, cernensque oneratas hominibus naves submergi, ad compassionem non moveretur? ah! quot millia Christianorum hôc ipsô momentô jacent in undis vitiorum, & quis nostrûm est, qui ratione hujus vel unicum de corde trahat suspirium? quot milliones hominum aguntur præcipites in Tartarei maris flammas, & quis nostrûm est, qui tam grandi miseriâ commotus unicam horæ minutam compassivô fletu consumat? si domus una vel stabulum conceptô igne ruinam minatur, non compatimur tantùm affectu, aut verbis, sed & factis. Quare si spes supersit extinguendi incendii, integræ civitates convolant, laboratur, sudatur in affundenda aqua. Sed quando integra Regna hæreticâ pravitate infecta, ad stygios transeunt rogos, nemo est, qui compassionis debitæ causâ lacrymulam profundat unam. Non ergò mirandum, si nobis adversa patientibus nemo sit, qui compatiatur, *quâ enim mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

FASCICULUS XXXV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. Libelli Ruth, in quo describitur Planctus Noëmi.

N.236. *Considera:* QUomodo Ecclesia Dei, cui jure meritissimô debetur Nomen *Noëmi*, id est *pulchra*, aspiciens tam gravia & frequentia Christianorum peccata, perditosque eorum mores exclamet: *Non vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valdè me replevit &c.* Fuerat olim Ecclesia teste S. Bernardô *amara*, quando crudelibûs Tyrannorum tormentîs ubique vexata, nullibi tuta latere potuit, tot penè fidelium corpora gladiis, ignibus, rotisque offerens, quot in Veteri Testamento animalia imolabantur. Fuit adhuc eôdem teste *amarior*, quando à tot falsorum dogmatum Magistris Veritas Catholica est impugnata. At tandem *amarissima* fuit, estque proh dolor! nostrô vel maximè ævô, quô experiri cogitur deperditos Christianorum mores, & crescentia quotidiè eorundem delicta; atque hinc utitur verbîs Prophetæ, ejulans: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*, Isaiæ 1. Quinam autem sit ille contemptus, quô piissimæ Matri suæ insultent Christiani, declarat mellifluus Doctor Serm. 33. in Cantic. hæc verba scribens: *Spreverunt, & maculaverunt me à turpi vita, à turpi quæstu, à turpi commercio, à negotio perambulante in tenebris.* Est civitas in Africa, quæ in locum destructæ Carthaginis successit, vulgarî linguâ *Tuneès* appellata, quod interpretatur; *Tu non es*, supple, *quod olim eras*, hoc est tam nobilis, tam pulchra &c. Ecclesia Catholica modernam filiorum suorum vitam intuens, idem de se cum gemitu profitetur: *tu non es* inquiens, quæ olim eras pulchra ut luna, electa ut sol, sed crescentibûs in dies sceleribûs penitûs obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Hinc Salvianus lib. 6. de provid. nomine ipsius, statum suum deplorantis Ecclesiæ, exclamat: *ô miseriam lacrymabilem! ô miseriam luctuosam! quàm dissimilis est à seipso Populus Christianus: id est ab eo, qui quondam fuit. Ecce! in quid redacti sumus, ut beatam fore Ecclesiam judicaremus, si*

vel

vel tantum in se boni habeat, quantum mali. Nam quomodo beatam non arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam, quàm penè totam nunc plangimus criminosam. Christiane Lector! examina mores vitamque tuam: nonne deprehendis in te aliquid reperiri, quod talis querelæ causa existat? quot juramenta & blasphemiæ fluunt de ore tuo? quàm sæpè avaritiâ victus denegas misericordiæ opera pauperibus? nonne crebrò audiris cum pusillorum scandalo verba obscœna loqui? & quàm exigua tibi in Templis devotio atque reverentia? quàm frequenter durantibûs sacrîs ibidem garris, rides, circumspicis, impertinentia legis, animô tuô nullibi minùs, quàm in loco sacro versans? Nummi coronati Regni Portugalliæ licèt in se contineant sculptam Crucem & figuram Vulnerum Christi, non tamen ideò plus valoris habent, quin potiùs omnî monetâ viliores sunt, utpote metalli vilissimi. Sic etsi te signes in Templo signô Crucis, etsi deferas Rosarium, & alia exerceas Christiani indicia, non inde devotus bonusque haberis. Metuendum planè: Ecclesiam, quæ tam amarîs lacrymîs tuos aliorumque filiorum suorum perditos deflet mores, cum Sponso suo Christo in interitu vestro aliquando risuram esse. Quare ne id cum irreparabili damno cogaris experiri, dole, & emenda.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. libelli Ruth, in quo describitur: quomodo Ruth ad imperium Booz relictas à messoribus collegerit spicas, & ab eo perhumaniter habita sit.

Considera: ADolescentem aut puellam Christianam, quæ à vanis mundi deliciis ad statum religiosæ vitæ inspirante Deo vocata, vocanti obsequi nititur, residuas vitæ suæ spicas cum fructu collectura, & repositura in horreum æternitatis, idem experiri à Christo, quod Ruth Moabitis experta est à Booz: Illam enim per sanctas Inspirationes Christus alloquitur verbîs Scripturæ v. 8. citati cap. *Audi filia, ne vadas ad alterum agrum*, h. e. licèt caro, Mundus & Dæmon per blanditias suas avertere te moliantur à sacro proposito, ne acquiescas eis, sed constans permansura, *jungere puellis meis, & ubi messuerunt sequere.* v. 9. *ut reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas.* v. 12. & 13. *N.* 237.

citati cap. Sique contigerit: puellam talem vel adolescentem gravium tentationum æstu initi Noviatûs tempore vexari, aderit ei pariter Christus, cum Booz asserens v. 14. ejusdem cap. *Comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Hoc est: offero tibi præsentissimum inter furentes concupiscentiæ ardores remedium, *Panis Eucharisti* buccellam, cum memoria passionis meæ sumendam. Manna, ut docuêre præcedentia, exstitit figura Sacramenti Eucharistiæ, sed Manna speciem referebat Coriandri albi, habentis hanc proprietatem teste Plinio lib. 2. quod comminutum acetoque impositum in summo æstatis calore carnem præservet à putredine. Haud secus divinum illud Manna, quod Christus æstuanti animæ porrigit, aceto amarissimæ passionis intinctum, ipsam à putredine consensûs in tentationem Diaboli & carnis præservat. Hoc optimè perspectum habens S. Bonavent. in cap. 6. Joan. ait: *si quis æstum patitur, ad hunc veniat fontem, & refrigeret æstum; etenim incentiva omnia mitigat.* Id ipsum Chrysost. confirmare volens, ad effectus, quos fons aquæ gelidæ in extremis Phæbi ardoribus viatori affert, sese reflectit, atque hoc Altaris Sacramentum vivo & frigido fonti assimilans, ait homil. 45. in Joan. *si quis æstuat ad hunc fontem se conferat, & recreabitur, mundat squalores & sordes, æstus mitigat non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt:* ô quàm felices igitur sunt homines illi, erga quos divinus Booz se tam sollicitum & beneficum exhibet. Si eorum de numero es Christiane Lector, refer debitas illi grates tantisque gratiis per conformem tuæ Regulæ vitam cooperari stude.

Doctrina 3.

Desumpta ex capitibus residuis hujus libelli, in quibus describitur liberalitas Booz erga Ruth, & initum Matrimonium.

N. 238. *Considera*, & admirare: quòd Booz erga Ruth Moabitidem se tam benevolum demonstrans, ut eam noluerit vacuam redire domum, plus tamen teste S. Scripturâ cap. 3. v. 15. *mensus non sit, & posuerit super eam, quàm sex modios horrdei.* Videtur plane hôc factô parsimoniam suam, magis, quàm liberalitatem probasse. Verum dubio nostro occurrit Abulensis, responso ad moralem Doctrinam peraccommodô, dicens q. 32. ea de causa illi plus non obtulisse, quòd credi-

crediderit, illam plus ferre non posse, quam sex modios. Haud secus erga animas fideles se gerit cœlestis Booz Christus Dominus: licèt enim in conferendis gratiis liberalissimum se profiteatur, plus tamen singulis non offert, quàm cujuslibet subjecti dispositio requirat: hinc optimè ad propositum asserit S. Thomas in psal. 1. *sicut in naturalibus formæ infunduntur secundùm dispositionem materiæ, ita Deus gratuita Dona largitur.* In Nuptiis Canæ Galileæ tantum hausérunt vini miraculosè producti, quantum infuderant aquæ, & 4. Reg. 4. imperatum est: *pete vasa vacua.* Si vis ergo Christiane, ut in magna quantitate Deus oleum gratiæ suæ tibi infundat, potentias omnes animæ tuæ à Mundi amore vacuatas ei offer; *crede mihi*, ait Didacus Stella p. 1. c. 1. *si tibi Deus non largitur gratias, quas magis suis donavit amicis, id non fieri: quòd non sit liberalis sicut tunc, sed quòd tu voluntatem tuam non disponis, sicut illi disponebant.* Hinc non priùs animam tuam Christiane Lector sibi in Sponsam copulabit Christus, antequam sensualem affectum ad res terrenas abjiciens, cum proximo cognato Ruth dicas v. 6. c. 4. *cedo juri &c. tu meô utere Privilegiô, quô me libenter cedere profiteor.* Ita se gessit Seraphicus Pater Franciscus, qui Christo intimè copulandus, coram Assisinate Episcopo omnibus renunciavit, ad quæ jus se habere noverat. Imò rejectis etiam vestibûs parenti in terris omnia relinquens, vilissimum induit saccum. Ita se gessit S. Alexius, qui in ipsa nuptiarum nocte è domo profugus, in manibus Sponsæ & parentum suorum omnia deseruit, & lacerâ amictus tunicâ ad paternas ædes reversus, pauperrimam ibidem egit vitam. Ita se gessit S. Elisabetha, quæ lubens libensque honoribûs divitiîsque spoliata, non tantùm pauperem viduam, sed pauperum ancillam egit, ad omnia eorum servitia promptissimam. Ita te geras, si non effectu, saltem affectu: & anima tua Christo per spirituale matrimonium unita audiet Benedictionem hisce scripturæ verbîs expressam v. 11. hujus capit. *faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam.* Ut sicut illæ Domum Israël ædificarunt, corporales generandô proles, ita anima tua ædificet Ecclesiam, generandô virtutes mediante divinâ gratiâ.

FASCICULUS XXXVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. libri primi Regum, in quo describitur mira patientia sterilis Annæ.

N.239. *Considera.* QUòd etsi Anna conjux Elcanæ gravissimas injurias & opprobria cogeretur perpeti ratione sterilitatis suæ, nunquam tamen (ò admirabilem & inauditam in fœmina patientiam) in verbulum, aliquam indignationem redolens, eruperit, quin potiùs gaudiô & lætitiâ omnes injurias concoxerit, testata in suo cantico: *exultavit cor meum in Domino, & dilatatum est cor meum super inimicos meos &c.* Habet hoc anima virtutis studiosa, ut nullam prætereat occasionem, quâ patiendô mereatur & proficiat in spiritu: atque hinc injurias beneficiorum locô accipit, in se exprimens illud Jeremiæ Vaticinium Thren. 3. dicentis: *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Ut enim homo cibi avidus atque vorax ex illis saturatur epulis, quæ majoris sunt substantiæ, ita famem animæ, virtutum & meritorum avidæ, eò magis sedant injuriæ, quô fuerint graviores. Gulosi igitur similitudine utitur ad propositum nostrum Propheta, cujus verba Carthusianus exponens ait: *plurima sustinebit, & in ipsis, quasi in epulis lætus erit.* Silex quantumvis durus sit, fornaci tamen impositus in calcem albam transmutatur, quæ quantò magis madefit, tantò magis bullit, & ignescit, quantoque magis extinguitur, tantò ampliùs accenditur. Ita homo divinâ prædituς charitate, quantò majoribus injuriis impetitur, tantò majorî incrementô crescit in amore divino & aliis virtutibus. Hinc de illo verissimè canit Sponsa Cantic. 8. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, sed potiùs instar calcis vivæ, quò plus de aqua tribulationum bibit, plus inardescit in charitate Dei & virtutum moralium studio. Totus propemodum orbis videbatur in contumelias & opprobria S. Athanasii conjurâsse, ut nullibi tutò lateret. Accusabatur de hæresi, de adulterio, Magia &c. quæ tamen omnia infractô excepiens animô, ad supremum usque virtu-

virtutum & amoris divini apicem pervenit. Marina Virgo, cùm veste virilî inducta, Monachum egisset, accusata à muliere, quòd eam imprægnâsset, pœnam & infamiam è Monasterio expulsa patientissimè tulit, donec secutâ morte ejus innocentia, & per patientiam obtenta sanctitas apparuit: *Surius 8. Febr.* Nicolaa Piccardensis dicta, 50. annîs dolores & morbos eâ patientia sufferebat, ut quô magis cruciaretur, eò magis cruciari exoptaret, & sic quotidiè crescens in patientia, crescret quoque in perfectione: Nadas. in an. *Euch. hebd.* 37. Quid (ad exempla veteris testamenti reflectens) dicam de admiranda Davidis patientia, quâ cachinnos uxoris suæ Michol, & servi sui Semei sustulit, maximum inde sanctitatis gradum haud dubiè adeptus? quid de Jobi patientia referam, quæ tam stupenda est, ut omnibus speculi locô proponi soleat? O Christiane Lector! quàm longè abes à talibus viris & fœminis, qui unicô etiam verbulô tam graviter offenderis? *digere* paulisper *vinum* proprii amoris, *quô mades.* v. 14. capitis cit. & disce amore Dei & Salutis causâ amaram bibere aquam, memor illorum verborum Apostoli: *non sunt condignæ passiones, hujus temporis ad futuram gloriam &c.* tuam autem imbecilitatem agnoscens, cum *Anna* Deô identidem supplica pro sexu virili, nempe pro generosô virilique animô, quô adjutus, quidquid adversi impostetum tibi obvenerit, patienter sufferas.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. 1. Regum, in quo describitur canticum Annæ, ejus Votum &c.

Considera: QUòd etsi de fide certum sit: nullum in Inferno Redemptioni supereſſe locum; tamen Anna in suo testatur Cantico v. 6. cit. cap. *Dominus deducit ad Inferos, & reducit.* Quare hæc verba in sensu spirituali intelligenda, hoc solùm indicant teste S. Greg. M. *Omnipotenti Deo ad Inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere, ei quoque ab Inferis reducere, est territas pœnitentium atque commissa lugentium mentes spe vitæ indeficientis attollere &c.* Non absque speciali Mysterio Evangelicus Paterfamilias: Zizania, ab igne tartareo cremanda, noluit eradicare, sed voluit usque ad plenam messem crescere, ut homines per frequentem Inferni meditationem virtuosis *N.* 240.

tuosis operibus ad mortem usque insisterent. *O verè decoram Inferni pyram!* exclamat S. Thomas à Villa nova Conc. 1. de Sup. Jud. *Pyram decoram* vocat: eò quòd rigor infernalium pœnarum sæpè cogitatus, animas hominum purificet, & reddat venustas. Enim verò si quæras, unde regius Propheta duplicî crimine pestimè conspurcatus, tam insignem iterum consecutus sit puritatem? respondebit ille Psal. 17. v. 23. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo*, videlicet Hugone teste: omnia præmia Justorum, & pœnas damnandorum revolvi. Si dives ille Epulo, qui ad utramque aurem cœno mundanarum voluptatum jacebat immersus, pœnarum infernalium habuisset memoriam, ab ea fœce depurgatus splenderet inter cœlestes stellas, qui modò instar carbonis teterrimi in æterna mortis umbra sedet. Quare id ipsum serò nimis agnoscens exclamat Lucæ 16. v. 27. *Rogo te Pater, ut mittas eum in Domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Quæ verba S. Chrysost. in Psal. 11. scribens sic explicat ad nostrum propositum: sermo de gehenna nunquam factus est in Domo patris mei; ideò ego has pœnas incurri, quia nunquam mente cogitavi, nec differentem de illis audivi. Rogo ergo: ut mittas Lazarum, qui multa de Inferno fratribus intonet; sic enim impietate positâ ad meliorem frugem se recipient. Redîssent etiam ad frugem *filii Heli*, nunquam ultrà ausi, Deo in Sacris esse injurii, si frequenter à patre ipsis inculcata esset Inferni memoria: nunc verò in sua impietate uterque unâ die mortuus (ut fuerat hôc capite eis prædictum) æternùm fortè sentiunt, quas rarò, aut nunquam mente recogitaverant pœnas. Quare ò Christiane! gehennam cogita, & non incides in eam: sed à vitiis purgatus proficies, & cresces in virtute ut *puer Samuel*, placens Deo & hominibus v. 26. & 27. citati cap. Pausanias in Photicis Græcorum meminit: in Templo Apollinis appensas esse Tabulas, quæ ignem & horrenda supplicia, damnatis apud Inferos destinata referebant, ut illîs inspectîs à peccando deterrerentur flagitiosi, & ad virtutis redirent tramitem. O chare Lector! si ignis merè fictus & pictus tot roboris habuisse credebatur apud infideles, ut spurcitiis carnalibus pecorum more addictos in homines transmutaret, virtutibus studentes, quid aget ignis ille tartareus nil fictionis admittens, sed tantò verior, quô acerbior, tantoque acerbior, quô activitate suâ infinitiès quasi nostrum transcendit ignem? effatum S. Augustini est Serm. 109. de temp: *Quæ quisque gravia patitur*

in

in hac vita, in comparatione æterni ignis non parva sunt, sed nulla sunt. Imagineris tibi, quidquid terræ hujus immanissimi Tyranni crudelitatis unquam excogitârunt in Christicolas, quidquid barbarici furoris Diaboli ab Inferis vocati in lucem extulerunt, id omne nihil est in comparatione tartarei ignis. Tametsi omnia civitatum incendia, inundationes Regionum, pestilentias populorum, naufragia marium, ægritudines corporum, animorum timores omnes in mente revolvas, hæc tamen omnia nihil sunt, adeò quidem, ut S. Hieronymus obiter tantùm pœnas infernales animô intuitus, dicat in cap. 2. Isa. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Væ mihi! hoc est, non possum enarrare, quæ cerno, hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur &c.* Hæc ergò seriò cogitans expelles cogitatus omnes, ab objectis turpibus & illicitis natos, & quam hactenus vitiis dedisti operam, dabis virtuti, ut fugiendô has pœnas, pertingas ad cœlestes delicias.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. 1. Reg. in quibus describitur Samuelis Vocatio, Vaticinium de supplicio Heli & filiorum. Mors Heli fractis corvicibûs secuta. Afflictio Philistinorum propter Arcam &c.

Considera 1. HOrrendum illud supplicium, quod à Deo prædictum, *N.241.* postea in Heli & filiis ejus completum est: *facio*, inquiebat Deus cap. 3. *verbum, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Varia exstitêre, & horum peccatis longè graviora, quæ olim commiserat Populus: nec tamen unquam audiebatur Deus tam formidandîs verbîs pœnas comminatus esse. Enim verò quis neget, gravius peccâsse eos, qui vitulo aureo divinos exhibebant honores, quàm qui tantummodo carnes Deo Sacratas rapuêre? quod de filiis Heli factum legitur. Quare non solus ille raptus & sacrilegium, sed aliud hôc ipsô longè gravius delictum debuit esse perpetratum à filiis istis, quod S. Greg. m. lib 2. in 2. Reg. exponit, sic scribens: *grande nimis coram Domino peccatum erat, quia ad peccandum alios pertrahebant.* hinc non miror: S. Scripturam de aliis peccatoribus loquentem, loqui de illis, mediante pœnitentiâ corpori fidelium jungendis, loquentem verùm de scandalosis aliter de illis non loqui, quàm per supplicium à communione fidelium penitùs sejungendis. Docet hoc

Apostolus Galat. 5. dicens: *quicunque est ille, utinam abscindatur: qui vos conturbat.* Sunt namque Scandalosi homines putrida membra, quæ sanas corporis partes instar pestis inficientia, aliud pro salute animæ non habent remedium, quam modò à S. Paulo præscriptum: quô non ocius applicatô integrum corpus periclitari necesse est. Christus Dominus scandalosis præter supplicium, inter æternos ignes subeundum, etiam temporale designans, noluit eos in publico foro morte puniri, sciens: innatam esse hominibus compassionem, vî cujus ad preces pro eorum vita fundendas, soleant commoveri; quare talibûs suffragiis scandalosos nec juvari posse, nec debere ratus, voluit eos hominum conspectui subduci, & alligatâ ad collum asinaria mola in profundum maris demergi Matth. 18. Ipse adhæc etiam minimam scandali umbram sublaturus à Judæorum oculis, nascitur ex virginea quidem matre, sed viro desponsata, solvit didrachma exigentibus in Capharnao, jubet virgineam matrem suam, ipsis Angelis puriorem, per quadraginta dies ab ingressu Ecclesiæ aliarum mulierum instar abstinere, ut legi Purificationis vitatura scandalum morem gerat. Magistri sui exemplum secutus Discipulus ille, maximus Gentium Doctor 1. Corinth. 8. ait: *si esca scandalizaverit fratrem meum; non manducabo carnes in aternum.* Et cap. 9. ostendit: potuisse se ab aliis, quos instruxerat, victum jurè meritò exigere, noluisse tamen, & magis propriô manuum labore vivere se elegisse, ne offendiculo foret invidis & avaris, suspicantibus lucri gratiâ se prædicando Evangelio operam impendisse. Barlaham Martyr, cujus dexteræ prunas ignis & thura imposuerant gentiles, integram potiùs comburi passus est, quàm ut ignem excutiens, specimen remotum præberet, sacrificâsse se Diis cum aliorum Christianorum scandalo. Taceo notissimum illud piissimæ Virginis Deo Sacratæ exemplum, quæ teste Moschô in prato spirit. c. 96. ob elegantem formam insidias diu multumque passa à juvene, tandem ab eo quæsivit; quid pulchri haberet in corpore, quô ceu magnete adeò ejus attraheret amorem. ut verò intellexit: oculos hunc magnetem esse; piè in se ipsam crudelis, eos effodit, & effosos juveni transmisit, hôc factô ab omni scandalo liberatam se rata. O Christiane Lector non semel tantùm, sed ternâ vice instar Samuelis à Deo vocati, vocaris & tu; ut profundè admodùm isthæc exempla tuo imprimas animo, & simul attentâ aure auscultes Verba Christi dicentis

Mat,

Matthæi 18. *Væ! homini, per quem scandalum venit.* Quod ipsum Væ! nunc inter tartareos rogos sentiunt forsan filii Heli, quorum interitu deterritus cave sis, ne unicum verbum cadat de ore tuo, quod pusillorum auribus exceptum, illis offendiculo sit. Sin autem minùs cautè hoc in passu te hactenus gessisti, cum uxore Phinees concipe dolorem de peccatis, aliorum cum scandalo commissis, pariturus imposterum cum eorundem ædificatione filios virtutum.

Considera 2. Arcam Domini, quæ Israëlitis exstitit Cornucopiæ omnium gratiarum, exstitisse gentibus signum practicum gravissimæ miseriæ: quare S. Scriptura cap. 5. ait: *cumque venisset Arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ dicentes: adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, ut interficiant nos & Populum nostrum.* Nec absque speciali omine isthæc lamenta effuderant; quia eâdem Scripturâ teste cit. cap. *circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis* S. Greg. M. per Accaronitas asserit intelligi fideles illos, qui auditâ fidei veritate, nullum boni operis fructum referunt. Atque hinc satius illis fuisset, intra limites intellectûs nunquam recepisse Arcam Orthodoxæ Fidei, quàm illâ semel receptâ Dogmatibus Fidei difformiter vixisse. *Melius erat illis*, inquit de talibus Apostolus Petrus 2. epist. 2. *non engnoscere viam Justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Quare S. Thomas villanov. Christianum solô gaudentem nomine hîsce alloquitur Verbîs conc. de Ascens. quid tunc dicturus es ò Christiane? quid responsurus es ô contemptor? dicet forsitan Gentilis: nescivi. Dicet Judas: non audivi. Dicet Paganus: non intellexi. Tu verò miser: quid dicturus es? furtum à simplici rudique rustico commissum magnum quidem crimen est, si materiæ gravitas subsit: at commissum à Senatore vel Judice, scientiâ Juris instructo, longè majus est, majorîque dignum pœnâ, *sic*, ait citatus Doctor conc. in Dom. 3. adventûs, *qui Christiani catholici esse dicimur, si simile aliquid barbarorum impuritatibus facimus, gravius erramus: atrociùs enim sub sancti Nominis professione peccamus, ubi sublimior prærogativa, major est culpa, & ipsa etiam est culpa, & ipsa etiam errores nostros culpa accusat.* Cùm ergo Christiane Lector Arcæ fidei in Templô pectoris dederis locum, ocius expelle *Dagon*, Veneris simulachrum Philistinorum Deum: aliàs *aggrababitur manus Domini* super te haud aliter, quàm super Azotios v. 6. citati cap. sentient secretiores animæ tuæ partes vermem conscientiæ, nun- *N.* 242.

quam emoriturum, & bona fortunæ mures siniſtrorum casuum radent. Ut taceam æternas, quas Deus tibi reservat in altero sæculo plagas.

FASCICULUS XXXVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. 1. Regum, in quibus describitur Consultatio Philistinorum de restitutione Arcæ. Israëlitarum pœnitentia & adhortatio Samuelis.

*N.*243. *Considera* 1. PHiliſtæos propter Arcæ præsentiam horrendis cladibûs attritos, eandem Israëlitis reddituros, consilium instituisse, dicentes cap. 6. v. 4. *Quid est, quod pro delicto reddere debemus illis?* ubi tandem unanimî voce votôque conclusum: *juxta numerum Provinciarum Philistinorum quinque Anos aureos facietis & quinque mures aureos &c.* Statutum hoc illicò in opus redacturi tales bestias præstantissimo adjunxerè thesauro, in curru vehendo. Quod verò in hac Historia admirationem provocat, est hoc vel maximè: quòd sacer textus scripturæ talium animalium mentionem faciens, ea nominet versu 8. *vasa aurea*: quâ ratione enim deformes vilisimique mures tam pretiosa vocentur vasa? S. Greg. M. sensum moralem hîc secutus, per abjectissima hæc insecta intelligi asserit *peccata nostra*, quæ dum per veram & sinceram confessionem clavibus Ecclesiæ subjicimus, auri naturam excellentiamque mirâ metamorphosi induunt. Atque hinc Propheta regius conscientiam hominis, per confessionem purgatam sub ornatissimæ Reginæ habitu & figura nobis repræsentat Psal. 44. Ille publicanorum Coriphæus, Zachæus nomine, vix sua confitendô detexerat peccata, illicò domum suam in Sanctuarium mutavit, supremo Cœlitum hospite dignum, audiens; *bodie in domo tua oportet me manere,* Eâ ipsâ die, quâ Dismas infa-

infamis ille latro exclamavit: *nos digna factis recipimus &c.* turpissimum crucis patibulum splendidissimo permutavit Paradisô. Inter omnes Patriarchæ Jacobi filios unicus Judas regale solium obtinuit promeritus etiam, quòd ex ejus stirpe carnem humanam divinum assumpserit verbum quæris unde hæc ei prærogativa? aliam hujus causam sanè non invenies, nisi sinceram delicti confessionem, nam Chaldæa legit: *Juda tu confessus es, & non erubuisti, in te confitebuntur fratres tui &c.* ingeniosè advertit Galfridus Auctor antiquus, miserandam illius hominis sortem, qui ad regales Nuptias ingressus in veste non nuptiali comparuit, eaque de negligentia reprehensus à Rege obmutuit Matth. 22. quare ad tenebras exteriores damnatus serô forsan dolore suam damnavit audaciam. Quærit hîc præfatus Auctor: cur tam severum expertus sit Judicem ob culpam, quæ videatur tam levis? enim verò si vestitu vulgarî gravem commisisset culpam, tunc eum nòn ampliùs *amicum*, sed inimicum vocâsset, Subesse ergò aliam causam tam rigorosæ sententiæ, à Rege in hunc hospitem latæ, quam se reperisse putat, dum perpendit verba Evangelii: *At ille obmutuit.* Id est: illô instantî, quô reprehensus siluit, *dixit Rex ministris: ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores &c.* in hoc ergò se reum damnationis effecit, quòd siluit, qui culpam suam humilî ore confessus, inter primos regalis mensæ hospites fuisset adlectus.

Audiantur pro coronide pulcherrima verba S. Petri Dam. Serm. 1. de Dedicat. dicentis: *Hæc*, nempe humilis sinceraque peccatorum confessio, *est via communis ad Deum, fons tam justis quàm peccatoribus patens, puteus, qui criminum abundantiam abundantiore liquore detergit: primam reddit Innocentiæ stolam, & fugitivum filium in paternos revocat amplexus. Ex hoc fonte felices Apostoli lacrymæ profluxerunt, in hoc peccatricis fœminæ dæmoniæ sunt submersæ, per hunc adulter & homicida David Spiritu principali legitur confirmatus, in hoc felix ille Latro voluptatus est, qui brevi fonte crucis de patibulo ad Regnum, dè supplicio in Paradisum translatus est &c.* Quare ò Christiane Lector! ut & *mures* peccatorum tuorum mutentur in *vasa aurea*, Deo gratissima; hinc ocius ad Levitas Ecclesiæ directâ viâ te confer, recusis priùs *vitulis* verecundiæ & humani respectûs, ne post tergum tuum clamantes, tibi impedimento sint. Hôc officiô perfunctus, summo cum gaudio aspicies *Arcam*, in qua servatur *Manna cœleste*, nullum inde cum *Bethsamitis* damnum passurus.

Considera 2. Israelitas sua peccata, quibûs Deum graviter offen- *N.*244.

 derant,

derant, dignâ Pœnitentiâ deleturos teste S. Scripturâ cap. 7. v. 6. effudisse aquam in conspectu Domini, & jenunâsse. Hæc autem Ceremonia meritò ansam præbet curiosæ quæstioni: quænam videlicet inter aquæ effusionem & jejunium, detur proportio? sed & facilis huic quæstioni est responsio, in hoc sita: quòd sicut aqua corporis affusa, maculas ejus aufert, ita jejunium animæ sordes depurget. Hinc asserit Tertul. adverf. Phyf. cap. 7. *deliquerat Israël, sed in aquatione congregatus est: ita statim jejunium delictum diluit &c.* Apostolus Paulus Neophytos Collossenses admonet: ut exeuntes veterem hominem cum actibus peccato obnoxiis, novum induerent cap. 3. v. 9. ait: *exspoliantes vos veterem hominem &c.* Verùm si quaratur, quô modô exuendus sit homo ille antiquus, peccatorum sordibûs conspurcatus? reponit nomine Apostoli S. Cyrillus Jerosolym. catechesi 3. *quilibet serpens in angustum locum intrans deponit senectutem, & vetustatem per extensionem exuit, corporeque denuò totô renovatur: sic & tu intra per angustam portam, affligens te ipsum per jejunium, expelle tuam perditionem, exue veterem hominem cum actibus suis, & dic illud, quod in Cantico: exspoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illa?* S. Chrysologus pulchram similitudinem desumens ab agricultura, ista omnia confirmat, dum ait serm. 41. *jejunium evellit vitia, eradicat crimina, ad fructus bonos agrum parat mentis & corporis.* Prodigus ille filius totam parentis sui domum ad iracundiam & vindictam commoverat, quando auditus est in hæc Verba erumpere: *Pater! da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit* Lucæ 15. & acceptis pecuniis tam nefariè, & turpiter abusus, illorum animalium induit naturam, quorum postea pastorem agere coactus est. Quid autem facti tandem pœnitens factus apprehendit, ut in gratiam offensi rediret parentis? *en! cepit egere*, & fame affici maximâ, quâ stimulante repetiit paternam domum, & in genua provolutus stolâm primam obtinuit. Quare ò Christiane! si instar Israëlitarum cupis per veram pœnitentiam redire ad Deum, toties à te offensum, tunc juxta Samuelis monitum v. 3. cit. capitis *auser Deos alienos de medio tui.* Non quidem *Baalim* & *Astaroth*, sed *Cererem* & *Bachum*, & per discretam abstinentiam *præpara cor tuum Domino.* Afficies strage maximâ Philistæos, vitia videlicet, quibûs hactenûs es impugnatus, & victus: non aulura imposterum venire in terminos corporis & animæ tuæ, erisque *Rector* appetituum tuorum instar *Samuelis* respectu Hebræorum, cunctis diebûs vitæ tuæ.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 8. 9. & 10. lib. 1. Regum, in quibus describitur filiorum Samuel, quos Judices Israëlitarum ille constituerat, illaudabile Regimen: & hinc ab Illis petitus Rex, id ægerrimè ferente Deô. Saulis laus, asinas inquirentis, Præsagium de Regno, unctio in Regem &c.

Considera 1. PRoverbium illud, quod in Josepho Jacobi Filio, totius Ægypti Prorege, locum non invenerat, inveniſſe talem in filiis Samuel, ipsô factô testantibûs: *Honores mutare mores, sed raro in meliores.* Enim verò Illi vix Honorem assecuti fuerant, cùm ecce! toti quanti à patria degenerârunt pietate, asserente S. Scripturâ cit. capite: *& non ambulârunt filii ipsius in viis ejus, sed declinaverunt post avaritiam, & perverterunt Judicia.* Hôc pessimô exemplô deterritus S. Greg. M. honores non tantùm ipse fugere, sed parem aliis fugam suadere, & subjectionem amare docuit, dicens in hunc locum: *ut sit nobis sub cura majorum positis indesinens sanctæ vitæ studium &c.* Sponsa bis, terque ad coronam vocari debuit Cantic. 4. sat gnara: ad conservandas virtutes præstare milliès subesse, quàm præesse: ut enim fumus ascendendô deficit, ita plerumque homo cum elevatur, à virtutis tramite recedit. S. Lucas de Deipara testatur Virgine; Illam summa cum festinatione tendisse ad domum Elisabeth cognatæ suæ, ut eidem à servitiis staret: econtra cogitabundam, & stupenti similem hæsisse ad respondendum Angelo, quando ab illo humilibûs verbîs salutata audiit: se in Matrem Dei; & hinc in totius mundi Dominam electam esse. Quare Christiane Lector! pete à Deo: *ut constituat tibi Regem, habeatque ille Jus in omnia tua.* v. 6. citati cap. & licèt te pœniteat subjectionis, quando nonnunquam à Superiore duriùs tecum agitur; jugum tamen non nitaris excutere, sed dicas cum Israëlitis v. 20. hujus cap. *nequaquam: Rex enim erit super nos.* *N.* 245.

Considera 2. Quàm insigne testimonium, & solemne Encomium ipse Spiritus Sanctus pro Saulis persona deponat: ait enim cap. 9. v. 2. *Saul electus & bonus, & non erat de filiis Israël melior illô.* Tunc temporis fuerat tantæ Humilitatis: ut delatô ad aures suas rumore, quòd in Regem totius Hebraicæ Gentis sit ungendus, ociùs exclamârit v. 21. citati cap. *Nunquid non filius Jemini ego sum de minima Tribu Israël, & cognatio* *N.* 246.

tio mea novissima inter omnes familias de Tribu Benjamin? quin imò ad regale solium jam actu sollicitè quæsitus, sese abscondit cap. 10. v. 21. *Quæsierunt ergo eum, & non est inventus.* Adeoque opus erat, ipsum revelante Deô fieri manifestum, id testante S. Scripturâ v. 23. citati cap. Taceo virtutes alias, quæ humilitatem ceù Principem suam venerantur, eique conjungi solent. Verùm ò quàm longè diversa his virtuosis Regni Principiis secuta sunt tempora! quot enim Tyrannides, Impietates & Sacrilegia per Rationem statûs patraverat Saul, obtentum Imperium ad mortem usque possessurus? docens exemplô nimiùm certô, verissimum esse effatum illud Gregorii M. 3. Pastor. dicentis: *plerumque Justos, dum temporalis potentia sustollit, velut in laqueum culpam comprehendit.* Habet hoc Diabolus: ut peritum jaculatorem imitetur, qui sclopetum in aviculam non solvit, quamdiu illa per terram saltitat, exspectans donec per alas in altum sublata, ramis arborum insideat. Haud aliter ille se gerit erga pios homines, non præsumens eos ad flagitia impellere, quamdiu in humilis fortunæ statu eos repererit ambulare. Quare Philippus Abbas ad locum, in quo Saul miserè cecidit, ingeniosè reflectens ait: Spiritum Sanctum testari, in Monte Gelboë generosissimos & fortissimos Israël occubuisse: *quia plerumque* (verbis utor citati Abbatis lib. de Dignit. Cleric. c. 18.) *qui in plano & humili videbatur stare, securiùs & stabiliter ambulare: cùm ad arduum & lubricum venerit, adversario fortiùs impugnanti non resistit, nec persistit in ea, quâ ceperat Sanctitate.* Hinc Christiane Lector! adhortor te verbis Doctoris Angel. cap. 1. de erudit. Princip. dicentis: *recumbe in novissimo loco: hic est locus congruus homini, qui est terra & cinis: terræ enim non congruit esse in alto, quæ est infima Elementorum. Cineri enim non congruit, ut in alto sit, ne dispergatur à vento.* Satiùs est utique: quærere cum Saule asinas, quàm stabilitatem Regni; quærendô enim in humili subjectione asinas, Regnum invenit, quærendô ejus stabilitatem, Illud totum perdidit. Satius itidem est: locum quærere in *pede Triclinii*, quàm in ejusdem *capite*, vesci communî cibô, quàm *speciali armô*, ablui aquâ, quam *ungi oleô in Regem.* Versari inter *Idiotas*, quàm inter *Prophetas*, altissima speculantes, à Populo parum æstimari, quàm audire voces acclamantium; *Vivat Rex!*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 11. 12. & 13. lib. 1. Reg. in quibus describitur sævitia Naas in Jabes, victoria de eo reportata. Liberrima Populi castigatio facta à Samuele. Philistinorum expeditio, defectus armorum apud Israëlitas &c.

Considera 1. DÆmonem, juratum animarum nostrarum hostem, imitari *Naas Amonitem*: ut enim homines semel per tentationes debellatos, & à se feliciter victos tutò possideat, cum illis fœdus init, talibûs expressum verbîs citati cap. *in hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros.* Oculus iste ratio humana est: cui ter ad eruendum hunc oculum, à Dæmone assumptus est *gula* & *ebrietas*: his enim vitiis qui indulserit, quasi cæcus in quævis vitia præceps agitur. *Quotidianô* inquit S. Leo Serm. de jejunio, *experimentô probatur, potûs satietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis habetari*, & teste S. Hieron. *nihil adeò obruit intelligentiam, sicut comestio & ebrietas.* Electus ille Populus, quamdiu in Ægypto coquendis lateribus occupatus, arctô pane & aquâ vixerat, divinarum rerum florebat intelligentiâ & pietate in Deum: at quamprimùm inde eductus cœpit *manducare & bibere*, cœpit etiam *ludere*, lusu planè haud aliô, quàm quô Deus illuditur, carnalia sectandô vitia. Dein adeò rationem omnem hôc lusu perdidisse visus est, ut exclamârit amens: *Hi sunt Dii tui &c.* Docuêre præcedentia, in libro Levitici enarrata: quòd in Holocaustis Deo offerendis, si quæ constitissent ex avibus, *vesicula gutturis* deponenda fuerit. Hôc mandatô divina significaverat Sapientia, animas hominum ineptas esse ad cœlestium rerum agnitionem, ad quam instar avium elevari eas oporteat, quando vesiculam gutturis, ciborum & potuum receptaculum, deferant plenam. Hinc ait Isid. lib. 1. Sent. 42. *Gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque evanescere facit*; & Plato interrogatus quondam: unde tanta ei de terrenis æquè ac supernis venerit scientia? responso dedit: *plus consumpsi olei de lampade, quàm vini de calice.* Hinc Christiane Lector! arripe cum Salomone consilium, dicente Eccles. 2. *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animam meam transferam ad Sapientiam.* Id autem consilii si in effectu compleveris, *insiliet in te Spiritus Domini*, sicut in Saulem capite citatô, & percuties Ammonem, Diabolum videlicet, per gulam & N.247.

ebrietatem tibi insultantem. Eris in te *innovaturus RegnumDei*, & immolaturus per mortificationem *Hostias pacificas* omnium virtutum Deo gratissimas.

N.248. *Considera* 2. Quàm insignem Superioribus Doctrinam exhibeat Propheta Samuel, testatus suam in reprehendendis vitiis libertatem, nullis unquam muneribûs ligatam cap. 12. v. 3. Præluserat ibi Apostolo Paulo, Actorum 20. de se profitenti : *Contestor vos hodiernô die, quia mundus sum à sanguine omnium ; non enim supterfugi, quô minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Superior, qui vel ex negligentia, timore aut amore remissus est in corrigendo, instar mortuæ Imaginis se gerit, ad fugandas aves ordinatæ: hæc namque successu temporis nihili curatur : atque sicut Janitor, qui juxta hospitium pictus, gladium manu vibrat, intrantes quasi transfossurus, nullum ab ingressu arcet: ita Superior, qui non & liberâ & acrî correctione in subditorum vitia invehitur, ab illis patrandis neminem deterret. Christus Dominus veri Superioris partes in hoc passu strenuè expleturus, asserit Joannis 15. *Ego sum vitis vera, vos palmites.* Sed quis nescit: palmites præcisô omnî respectu putandos esse, ut fructificent? hinc testatur Evangelium, Discipulos toties ab eo acribûs verbîs castigatos esse, quoties deliquerant, audire coactos, quòd sint homines *modicæ fidei*, vel *tardi corde ad credendum.* Quin imò Petrus ipse Apostolorum Princeps rigidam à Magistro hoc subiit censuram, quando *Sathanas* vocatus est. Quare si & tu veri Superioris vices agere vis ò Christiane ! depone omnem metum in corrigendo, futurus aliás alieni peccati reus. *Molestus est Medicus furenti phrenetico*, ait S. August. Epist. 50. *& Pater indisciplinato filio: ille ligandô, iste cædendô, sed ambo diligendô. Sin autem illos negligant, & perire permittant, ista potiùs mansuetudo falsa crudelitas est.* Videns ergo subditi tui peccata, quantociùs Samuelem imitans dic cum illo v. 13. cap. 13. *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Dæmon, cùm noverit: quantum acrior Superioris correctio suo Regno damnum inferat, instar Philistinorum se gerit, nolentium fabros ferrarios pati Israëlitis v. 19. cit. capitis, ne illi lanceîs & gladiîs armarentur, quibûs eos debellarent: ita rigorem omnem vult à Superioribus exulare, timens, ne subditîs à peccando sic deterritîs, ipse eorum virtutibûs oppugnaretur.

Doctri-

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 14. & 15. lib. 1. Regum, in quibus describitur Jonatha Victoria de Philistæis obtenta, ejus condemnatio propter esum favi. Saulis inobedientia & agnita culpa.

Considera 1. AUsteriorem hominis Christiani vitam esse similem *N.*249. virgæ illi, quam cap. 14. Jonathas extendens, & retrahens sensit melle dulcissimô intinctam, quod gustavit, manu ad os applicatâ. Est non diffiteor: in suo principio amara via Dei, & perfectionis Christianæ semita: at successu temporis abundantî supernarum dulcedinum nectare & melle inebriat viatores. Quis enim unquam induci potuit: ut crederet, Davidem majus ex cilicii sui duritie, quàm ex regalis Purpuræ & Chlamydis mollitie gaudium atque delicias hausisse? & tamen ille ipse liberrimâ voce testatur Psal. 29. *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ.* Quis persuaderi posset: præfatum Regem majorî Jubilô exultâsse in Atrio Tabernaculi genuflexum, quàm in regali throno sedentem? & tamen sine fuco canit Psal. 83. *Melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in Domo Dei mei, quàm habitare in Tabernaculis peccatorum.* Quis fletus & amaras lacrymas diceret copiosô gaudiorum semine fœcundari posse? & tamen idem profitetur Psal. 125. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina suà, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Verùm, ut optimè Magister mellifluus advertit Serm. 22. in Cant. *in hujusmodi non capit intelligentia, nisi in quantum attingit experientia.* Quare sicut frustra laborat, qui præstantissimi cujusdam vini saporem & generositatem deprædicans, nullos acquirit homines, qui illud labiis suis gustent: ita sine fructu S. Paginæ dulcedinem spiritualis piæque vitæ nobis laudant, nisi ausu virilî eandem experiri conemur. *Gustate, & videte,* admonet Propheta regius me & te Christiane Psal. 33. *Quàm suavis est Dominus.* Induamus ergo cum Jonatha generosum animum, & in hostium nostrorum (passionum videlicet inordinatarum) castra irrumpamus, gladiô mortificationis prosternentes, quoscunque obvios. *Non comedamus in saturitate panem* instar Jonathæ Victoris, donec de talibus inimicis fuerimus strenuè ulti. Fiet perbrevi, ut agnitâ mundanarum deliciarum vanitate, dicturi simus cum Jonatha: *paulum*

lulum gustavi, & ecce morior! cit. capite. Sed morte, quæ nobis dabit vitam spiritualem.

N.250. *Considera* 2. Saulum Regem, qui contra expressum Dei mandatum Regi *Agag* & optimis gregibus pepercit v. 9. cit. capitis 15. atque hinc justè divinam in se provocavit iram, figuram esse illorum Concionatorum, qui respectibûs Personarum aguntur, non æqualî vindictâ in Magnatum, sicut in pauperum & abjectorum delicta invehentes; nonne enim veri Concionatoris est, juxta Isaiæ monitum c. 58. quasi tubam *exaltare vocem:* adeò, ut sicut tuba absque ullo discrimine Duces æquè ac gregarios milites ad bella convocat, ita Ille Magnates ac plebem à vitiis ad virtutes parî audaciâ & sermonis sacrî energiâ evocare nitatur. Nonne Deus teste David Psal. 103. fecit *Ministros suos ignem urentem?* sed quis nescit: ignem eâdem vî altissimas Cedros ac humiles pinos apprehendere? urere, & consumere? nonne juxta effatum Christi, Concionatores sunt *Lux Mundi?* Matth. 5. at quis ambigit; Lucem Mundi eôdem oculô divites ac pauperes, nobiles ac ignobiles aspicere, & illustrare? pulcherrimè ad propositum nostrum Prædicatoribus prædicat insignis ille Prædicator Bassæus Dom. 2. Advent. dicens; sicut venator nulli animali parcit, & nullum supterfugit laborem: ut modò lepusculum, modò vulpem, modò cervum, modò aprum, aut lupum, aut aliam comprehendat feram: ita Concionator suo muneri satisfacturus, modò agricolam aut rusticum, instar leporis meticulosum, modò causidicum instar vulpis astutum, nunc lupos & apros Præfectos militum provinciarum depopulatores, nunc cervos Reges & Principes in casses trahat. Quare si Concionatorem agis Christiane Lector, imiteris *Balaam*, qui non tantum plebi, sed & Regi dixit audacter Numeri 24. *Non potero præterire sermonem - sed quidquid Dominus dixerit: hoc loquar.* Imiteris pariter Samuelem, qui nullum in lingua sua frenum patiens v. 14. citati cap. Saulem increpat, dicendô: *quæ hæc vox gregum, quæ insonat auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* & v. 19. ejusdem cap. *Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus es ad prædam, & fecisti malum in oculis Domini?* tam sancta audacia, si tuo & aliorum Prædicatorum vivet in ore, tunc haud dubiè divinâ adjuvante gratia fiet: ut multæ Magnatum & Nobilium Personæ, à vitiis suis deterritæ, cum pœnitente Saule sint exclamaturæ v. 24. *Peccavi! quia prævaricatus sum sermonem Domini.*

FASCI-

FASCICULUS XXXVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 16. & 17. lib. 1. Regum, in quibus describitur Mandatum de Unctione Davidis, Saulis furor & levamen. Goliathi superbia, Davidis generositas, Duellum cum Gigante & Victoria de eo obtenta &c.

Considera 1. VEriſſimum eſſe illud Poëtæ Martialis carmen: *eſt ſpeculum mentis facies, oculique revelant, qualis ſit intus meus animusque viri.* Hinc Samuel unum de filiis Iſai in Regem uncturus, nullum alium aſſumpſit, niſi teſte S. Scripturâ v. 12. capitis 16. *pulchrum aſpectu & decorâ facie.* Erat ergo Davidis ſerena frons, oculi lucidi, os modeſtum, totusque vultus benè compoſitus, & à natura excultus certum Prophetæ ſignum: interna correſpondere externis, prout etiam ſapiens Proverb. 27. ait: *Speculum mentis eſt facies. Quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt proſpicientium.* Certa adhæc aſſignat Sapientiæ, aut inſipientiæ internæ indicia Proverb. 17. dicens: *in facie prudentis lucet Sapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ.* Non ergo temerarii judicii notam noxamque incurres Chriſtiane, ſi exiguæ prudentiæ illum judicaveris, qui ſine freno, ſine modeſtia oculis quæcumque obvia percurrit objecta, & quaquaverſum ſpatiatur. Non errabis, ſi iracundiæ deditum dixeris, qui torvô ſæpè incedit lumine, & fronte in rugas contractâ. *Manifeſtatur* pariter *libido* teſte Abulenſi, *in quodam oculorum motu.* Contemptum & vilipendium non minùs produnt oculi, ut aſſerit ſapiens in parabolis. Hinc Chriſtiane Lector, ut apud omnes bona de te floret æſtimatio, cum cæteris virtutibus modeſtiæ ſtudeas. Sit in fronte tuo ſerenitas, in oculis ſubmiſſio, in ore verecundia. Utque non tantùm æſtimeris ab hominibus, qui ab externis interna judicant, ſed etiam æſtimeris ab ipſo Deo, qui juxta effatum S. Scripturæ v. 7. citati cap. non reſpicit ad vultum, nec judicat juxta intuitum hominis, ſed intuetur cor: ideò de animæ pulchritu- *N.* 251.

dine, quæ in virtutum internarum splendore sita est, esto sollicitus. fuge peccatum, quod à te fugere facit Spiritum Domini, ut *à Saule*. Aut si peccandô spiritui *Nequam* dedisti locum in te: ut ab eo citiùs libereris, arripe cum Davide Cytheram contriti pectoris, cantans cum eo: *peccavi!*

N.252. *Considera* 2. Davidem eò acriùs ad Duellum cum Goliath ineundum, fuisse accensum, quò magìs ipsum deterrere voluerit Rex, tanto certamini longissimè fore imparem ratus. Acclamabat ergò heroicô stimulatus igne v. 36. cit. capitis 17. *Nunc ego vadam, & auferam opprobrium Populi.* Gigas ille sit, ego pigmæus, sit veteranus ille miles, ego juvenis pastor, armîs ille sit instructus, ego solô provisus baculô: *vadam* tamen, *& auferam opprobrium Israël*, non victurus virium robore, non peritiâ militiæ, non armorum apparatu, sed divinâ ope, quâ solâ adjutus ante me Josue prostravit immensas Chananæorum turmas, & de invincibili triumphavit Urbe Jericho. Magnam in Deum fiduciam rectè comparaveris grano Sinapis, quod etsi quantitate minimum sit, virtute tamen est maximum: nam quantò minùs de se præsumit, tantò majora in Deo, & per Deum audet. *Cùm infirmor tunc potens sum*, testatur Apostolus, divinâ fiduciâ plenus, quâ mediante supremum illud Prædicationis officium exorsûs est, quasi totum mundum, & in mundo totum Infernum debellaturus. Quô fuerat imbecillior fœminarum manus, ad devolvendum à monumento lapidem, eò citiùs Angelicâ manu revolutum invenerunt Lucæ 24. Quare ò Christiane anima! si adversum te exurgat ipse tartareus Goliath, & fortior Goliatho caro tua, solô divinæ spei baculô innixus, in aciem progredere, cum Davide exprobrans ei v. 45. citati cap. *Tu venis ad me in gladio & hasta - ego autem in nomine Domini exercituum.* Talî armaturâ spei provisus, percuties haud dubiè utrumque hunc hostem, & auferes caput ejus frangendô vires, quas habet in tentando. Perpende econtrariò: quid eveniat illis, qui instar arrogantis Goliath sua confidunt in potentia, suisque se credunt viribus. Vide: quomodo à parvulo & inermi homine unicô jactu, levî inquam tentatione Dæmonis aut carnis vincantur. Sunt illi instar folii, quod leni afflatu ab arbore rapitur. Sunt instar arundinis, quæ modicô attactu curvatur ad terram. Sunt instar pulveris, *quem projicit ventus à facie terræ*, Psal. 1.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 18. 19. & 20. lib. 1. Regum, in quibus describitur Jonathæ erga Davidem benevolentia. Saulis odium & invidia, liberatio Davidis à nece. Iracundia Saulis in Davidem, ejusque fuga & Abimelech.

Considera 1. FActum illud, quod Davidem inter & Jonathan contigit, fuisse clarissimam amoris Christi erga homines, & quidem gravissimos peccatores figuram. *Exspoliavit se Jonathas tunicâ*, ait S. textus cap. 18. v. 3. *quâ erat indutus, & dedit eam David &c.* Haud aliter Christus in crucem agendus suâ tunicâ inconsutili exui voluit, ut eam impertiretur hominibus, & quidem pessimis, denotans per hoc: nullas dari animas adeò impias & rebelles, quibus sanguinis sui pretium noluerit comunicari; Sacratissimam enim vestem, omnibûs Regum ornamentîs longè præstantiorem, nec charissimo suo Joanni, nec virgineæ suæ matri, nec Cyrenæo de se optimè merito obtulit, sed crudelissimis Lictoribus & carnificibus reliquit. Quarè ò Christiane peccator! verbîs S. Chrysostomi de Chananæa te alloquor: *noli*, inquiens, *mihi dicere, perii: quid mihi restat? noli dicere, peccavi, quid faciam? medicum habes, qui potest, & vult sanare.* Imò alterum Jonatham habes, qui propriâ voluit exui tunicâ, ut tu ad summam animæ tuæ gloriam Immortalitatis beatæ stolâ vestiaris: atque hinc Blosius part. 2. c. 1. testatur: Christum B. Catharinæ Senens. apparentem, dixisse: se à peccatoribus in extrema mortis lucta desperantibus graviùs offendi, & illô peccatô sibi magìs esse injurios, quam reliquis omnibus, per vitam commisîs: desperantem enim apertè contemnere infinitam Misericordiam &c. *N.* 253.

Porrò sicut insigne Amoris indicium hîc dederat Jonathas filius Saulis, erga Davidem tam liberalis & beneficus existens, ita infame dedit indicium extremæ invidiæ Saul Jonathæ Pater, Davidem de Goliath triumphantem, & hac de causa omnium ore laudatum, variîs persequendô modìs, est herîle invidus homo simillimus Heli sacerdoti de Silo, non valenti lucernam intueri nisi extinctam, & suo lumine destitutam, est pariter simillimus serpentibus Indiæ, qui aromaticas arbores, dum maximè florent, corrodere nituntur. *Horribile est odium Invidiæ*, asserit S. Thomas Doctor Angel. in Genes. c. 37. *quia omnia motiva amoris præcipua summè*

summè vertit in oppositum: accipit enim ut sibi contrariſſima, quæ amantiſſima sunt. Hinc Chriſtiane, cane pejus fugias caninam invidiam. Aut ſi ab aliis cogaris invidiam cum Davide perpeti, exemplum divinæ Providentiæ in ipſo reſpicias, quod tibi ſolatio ſit. Cerne enim, quàm gravibus periculis, ab invidia contra illum excitatis, hîc ereptus ſit, nunc defenſus à Jonatha, nunc depoſitus per feneſtram à *Michol* filia Saul, ſtatuam ejus in lecto ponente.

N.254. *Conſidera* 2. Quàm effrenis & ſtolida paſsio ſit iracundia, ut hominem ſibi deditum non tantùm in exteros & inimicos faciat crudelem, ſed etiam in propinquos, amicos & benefactores. Erat David Saulis fulcrum, ejus contra hoſtes forte præſidium, contra Dæmonem ſcutum, quin & gener ipſius: & tamen ſtimulante iracundiâ mortem ei continuò machinabatur. Optimè ergo S. Baſilius homil. de ira, paſsionem hanc vocat *momentaneam quandam inſaniam.* Non enim ſic fumus impedit oculos à viſu rerum illarum, quæ pedibus adjacent, ſicut iracundia rationem offuſcat, ut conſiderare nequeat, quid rerum circa ſe agatur. Et ſicut nullus ſolis apparet radius, quando commotæ nubes Cœlum quaquaverſum occupant, nec fons turbatus inſpicientis reddit imaginem, quam tamen tranquillus oſtendit, ita homo irâ abreptus, omni Rationis Luce uſuque caret. Hinc Priſco Catoni proverbium fuit: *iratum ab inſano nonniſi tempore diſtare.* Epicurus quoque de effectibus iræ quæſitus teſte Senecâ Epiſt. 18. reſponſo dedit: *immodica ira inſaniam gignit.* Lubeat etiam quasdam audire pœnas, quas per iracundiam merentur tales inſani. Apocalypſeos 12. venit Diabolus habens iram magnam, ſed ſeſe vidit projectum eſſe de Cœlo in terram. Holofernes Judith. 5. intelligens: filios Iſraël ſumptîs armîs ſeſe ei oppoſituros, nimiô furore exarſit, ſed capite per manum Judith minutus, iram hanc ſatîs luit. Amor contra Hebræos iracundiâ inflammatus, pœnam dedit, ex patibulo ſuſpenſus. Eſther 3. Herodes Rex, videns ſe à Magis deluſum, iratus: juſsit interfici omnes pueros in Bethlehem abimatu & infrà, ſed miſerrimè interiit. Matth. 2. O Chriſtiane Lector! nonne ſæpiùs contingit: te quoque inſanire iraſcendô, ſi vel levî verbô non dicam verbere offendaris? an neſcis: *virum ſtultum interfici ab ira?* planè ſicut veſpa irritata non tantùm in homines, ſed etiam in ſaxa & parietes cæcô modô impingens, non his, ſed ſibi ipſi nocumento eſt, dum perdit aculeum, quô armatur: ſic tu cæcam paſsionem ſecutus, dum aliis damnum intentas,

tas, tibi ipsi damno es. Et licèt non habeas Deum iræ tuæ vindicem, ut habêre illi, quos paulô ante memoraveram, habebis saltem ipsam passionem tui carnificem. Noverat hoc S. Ephrem, à natura iracundiæ nimiùm deditus, & hinc eam adeò temperare studuit, ut cùm semel ejus socius fregisset ollam, & cibos omnes effudisset, nequidquam inde motus: *bonô sis animô*, dixit, *ad cibum usque eamus, cùm ipse ad nos non venerit*, sicque ollæ fractæ assidens sumpsit prandium. Sozomen. lib. 3. hist. Eccles.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 21. 22. *&* 23. *lib.* 1. *Regum, in quibus describitur Davidis & sociorum refectio per panes Propositionum. Fuga ab Achis, secessus in Odollam. Mansio in silva, & amica ejus visitatio per Jonatham.*

Considera 1. SI in Davide, in sociis vel servis ejus *Panes Propositionum* manducaturus, tanta corporum Castitas & continentia fuerit requisita: ut Abimelech Sacerdos famelicis Panes istos penitùs denegâsset, nisi illicò audiîsset, eos à mulierum commercio mundos, cælibem egisse noctem; quanta corporum castitas exigatur ab illis, qui ipsum Domini corpus virgineum sunt sumpturi? non absque speciali Mysterio Deus florere voluit Virgam in electione Aaronis in Sacerdotem: quia teste Orig. homil. 21. in lib. Num. *illius tantùm est offerre, & sumere Sacrificium indesinens, qui indesinenti ac floridæ se devoverit castitati.* Habet quidem materialis ille syderum Rector Phæbus: ut lutea pertransiens loca, nullas contrahat maculas; sed æternus Justitiæ Sol, in incruento Altaris Sacrificio offerendus, & sumendus conqueritur quandoque per Prophetam Ezechielem cap. 12. *Sacerdotes polluerunt Sanctuaria, & inquinabar in medio eorum.* Aaron cum filiis suis Altare Sacrum accessurus jussu Dei fæmoralibûs succingi debuit, certò moriturus in pœnam, nî ceremoniæ huic habuisset morem Exodi 28. hoc Decretum Dei utilissimâ indagine perscrutans S. Bruno: postquam vestes istas, continentiæ Sacerdotalis symbolum esse agnovit, tandem concluſit lib. de ornament. Eccles. cap. 9. *valdè timendum est, ne fortè moriantur. Si non vis mori, aut Castitatem custodi, aut Altare non accede. Hinc est, quòd nos servi Salomonis inter cætera Eboris pulchri-* N. 255.

tudinem & candorem, per quæ Castitas figuratur, Christo Domino offerre debemus, castissima animalia sunt elephantes &c. Christiane Lector, ut & tu Castitatis ebur Deo conserves, ad Altare deferendum, erit necesse: cum Davide v. 8. citati cap. petere gladium, quô armatus abscindas, quidquid illiciti in te vivit amoris & carnalis appetitûs. Timendum tibi à facie mulieris, sicut David sibi hîc v. 12. timuit à facie Achis. Satiùs est, fugiendô fingere stultitiam cum illo, quàm carnalî amore captum fieri reverâ amentem. Quærenda est cum Davide cap. 22. *odollæ spelunca*, solitudo videlicet, Castitatis Custos.

N. 256. *Considera* 2. Insigne illud veræ amicitiæ, *non quærentis, quæ sua sunt*, à Jonatha Davidi datum exemplum: dum hîs verbîs cum allocutus est. v. 17. capiti 23. *Tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus.* Rectè ait Baëza tom. 2. lib. 8. cap. 3. §. 12. *bonorum amicorum præcipuum est, ut bona sua amicis postponant.* Jonatham imitatus sic se gesserat Joannes Baptista Christi Præcursor, qui Nomen Messiæ sibi neutiquam retinuit, sed transtulit in Jesum, quærentibus ex se: num foret Messias? illicò respondens: *non sum ego Christus, sed medius vestrûm stetit, quem vos nescitis &c.* Hoc factum perpendens S. Bernardus asserit: *ipse de se loquatur amicus Sponsi. Stat Joannes: non enim arundo est, vento agitata. Stat, quia amicus est, verè amicus Sponsi, qui procedentis de Thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam.* teste Engelgrav. p. 2. Luc. Evangel. Emblem. 13. §. 3. Vir quidam morti proximus, cùm calicem potionis amarissimæ tremulâ manu teneret, & quidam circumstantium hortarentur, ut amicissimo cuidam hunc calicem propinaret; Christum è Cruce pendentem intuitus, tibi inquit: amicorum optime, tibi hunc calicem propinatum volo, qui salutis meæ causâ longè amariorem Passionis tempore epotâsti. O Christiane! qui tantâ angeris curâ in acquirendis, aut conservandis amicis, dic quæso: an tales senseris hucusque, qui Jonatham, Joannem Baptistam, aut Christum fuerint imitati, tua potiùs, quàm sua quærentes? ah! quoties in tuis angustiis sollicitans auxilium, expertus es, derelictum te esse ab illis? nonne instar hirundinum sese gesserant, quæ æstatis, hoc est, felicitatis tempore, domum suô garritu impleant: hyemis verò, adversitatis videlicet, aufugiunt. Tanta igitur hominum infidelitate deterritus, fac tibi amicos in Cœlis, qui in æterna te recipiant Tabernacula, si à morte in æternitatis vastissimum cogeris fugere desertum, ut ibidem cum *Davide* tutus lateas.

Doctri-

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 24. *&* 25. *lib.* 1. *Regum, in quibus describitur Misericordia Davidis exhibita Sauli, quem occidere poterat in spelunca. Nabalis arrogantia, Davidi petita alimenta denegantis. Ira Davidis inde concepta, sed mitigata per Abigail.*

Considera 1. DAvidem tam frequenter à Saule ad necem quæsitum: cùm optimam fuisset occasionem nactus Vindictæ, non tantùm ei mortem non intulisse manu, sed nec maligno eum aspexisse oculo. *Ecce!* aiebat ille, *viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca, & cogitavi, ut occiderem te: sed pepercit tibi oculus meus.* cap. 24. v. 24. Sciebat mitissimus David, Deo nihil acceptius esse amore inimici: hinc in solius Dei beneplacito fixos tenebat oculos, servis suis vindictam suadentibus v. 7. hujus capit. respondens: *propitius mihi sit Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Salvatore nostrô à Judæis in Crucem actô, insensatæ etiam creaturæ vindictam spirare videbantur; sol enim squalidam indutus est faciem & frontem contraxit in atras rugas. Aër fuit spissâ caligine offuscatus. Horrendîs motibûs contremuit terra. Monumenta aperta sunt, petræ scissæ. Jamquè communi suffragiô in vindictam celerem involare omnia credebantur. Sed extemplò eæ inhibuit Christi mandatum, volentis, ut exemplô suô etiam marmora erga Sacrilegos ad misericordiam emollirentur, veniam vindictæ locô datura. Quare S. Leo Serm. 6. de Pass. ait: *pendente in patibulo creatore universa creatura congemuit, & Crucis clavos omnia elementa senserunt. Debebat hoc testimonium suo mundus creatori, ut in occasum Conditoris sui vellent universa finiri. Sed patientia Dei in illum potiùs vocat affectum, ut eorum salutem petamus, quorum crimen horremus.* Christiane Lector! hæc duo exempla Davidis & Christi cordi tuo imprime; fiet inde, ut etiam gravissimas injurias facilî negotiô concoquas, Deum obligaturus, ut & ille illatas sibi à te injurias gratiosè condonet. Ipsos pariter inimicos hâc lenitate convictos, reddes tibi amicos, cum Saule dicturos v. 18. citati cap. *Justior es, quàm ego &c.* Verùm, quid tam Sancta tibi propono exempla, quem etiam creaturæ sensu carentes, bestiæ, aut saltem homines Ethnici ad injurias

N. 257.

hostibus condonandas provocant suis exemplis. Aspice tantisper Cœlum, si zelô vindictæ ardentius flagras, & considera surgentes è terra vapores, quomodo serenam ejus faciem atris obducant nubibûs, nonne hoc grandem injuriam dixeris, Cœlis illatam? sed quid inde vindictæ exspectas? en resolvuntur nubes illæ in salutarem pluviam, quæ terram fœcundat, quin etiam in ipsis atris nubibus pingit sui imaginem sol, & Iridem speciosissimam illis imprimit. Nonne vites & arbores singulis annis suis spoliantur fructibus, & tonduntur? attamen ipsæ nihilô pauciores fructus postea reddunt. Nonne gallinis ova, columbis pullos millies suffuramur: tantùm verò abest, ut illæ indignentur (cùm tamen talia non hominum, sed speciei conservandæ gratia ponant) ut etiam novis nos identidem fructibûs recreent? nonne canes frequentia à nobis ferunt verbera & tamen omnis injuriæ obliti, ocius nobis caudæ motibûs blandiuntur. Sed missis bestiis, quas dices forsan, cæcô impetu & necessitante phantasiâ agere talia, propono tibi homines Ethnicos, quos intuearis. Narrat Elianus lib. 12. Phocionem damnatum esse ad mortem, hausto venenô subeundam. Cùm autem latâ sententiâ ei populum obtulisset Lector, rogatus ab amicis & propinquis, quid filio mandaret? reposuit: *Mando ei, ut obliviscatur potûs hujus, quem nunc ab Athenienſibus oblatum bibo.* Lacedæmoniorum Rex Lycurgus, cùm à feroce Juvene Alcandro, orbatus oculô eum à Populo sibi traditum accepiscet, pro libitu plectendum, nihil pœnæ in illum statuit, sed optimis instructum moribûs tandem in theatrum produxit, hæc verba teste Plutarchô in vita Lycurgi locutus: *en juvenem, quem à vobis, injurium & violentum accepi, jam frugi & popularem vobis restituto.* Hæc tibi si non sufficiant exempla, lege S. Blasium homil. 24. d. leg. lib. Gentil. plura afferentem.

N.258. *Considera* 2. Quàm ægrè Deus ferat superbiam & arrogantiam illorum hominum, qui alios vilipendunt. Enim verò *Nabal* cum ingenti arrogantia Davidis ejusque servis necessaria denegans alimenta, dicendô: *quis est David, & quis est filius Isai?* cap. 25. sensit illicò ultricem Dei manum testante S. Scripturâ v. 38. hujus cap. *Cùm pertransissent decem dies percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Antiochus Rex, qui non hominum tantummodo, sed ipsius Dei contemptor, sibi vîdebatur fluctibus maris imperare, & altitudinem montium in statera appendere, tam gravem in se Dei provocavit vindictam, ut ob corporis, ingentem vermium copiam nutrientis fœtorem, à nemine sustineri

stineri posset. Taceo plura proculcatæ à Deo arrogantiæ & superbiæ exempla. Rectè ergo de arrogantibus, & alios temerè spernentibus regius cantat Vates Psal. 72. *dejecisti eos, dum elevarentur.* In quæ verba S. Greg. M. hæc scribit: *non ait, dejecisti eos, postquam elevati sunt, sed dum elevarentur: quia hoc ipsum est superbis, interiùs dejici, quòd eis falsa contingit gloriâ elevari.* Christiane Lector! si & tu à Spiritu elationis in altum ductus, meliorem te aliis judicâsti; ne Deo, qui instar Davidis paratos semper habet vindictæ Ministros, celeres pœnas exsolvas cum *Nabal*, imitare facti pœnitens *Abigaëlem*, mulierem prudentissimam uxorem Nabal, festinans ergò descende de asino superbiæ & arrogantiæ tuæ, & affectu submissionis procide super faciem tuam, desinens esse superbus Nabal, *qui* teste S. Scripturâ v. 25. citati cap. *juxta Nomen suum stultus est.* Hôc factô amorem Divini Davidis adeò in te provocabis: ut ille animam tuam spirituali Matrimoniô per gratiam sibi sit conjuncturus, sicut David dicitur ad carnale Matrimonium invitâsse *Abigaëlem* v. 40. hujus cap.

FASCICULUS XXXIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 26. 27. & 28. lib. 1. Regum, in quibus describitur secunda condonatio & misericordia, Sauli à Davide exhibita, & à Saule ipso laudata. Consilium Saulis à Pythonissa petitum. Nuntium de futura morte.

Considera 1. QUanti Roboris sit mansuetudo, dum ex Saule juratissimo Davidis hoste, non tantùm amicum ipsius, sed etiam patrem effecit: agnoscens enim Saul beneficium condonatæ sibi vitæ exclamavit c. 26. dicens: *peccavi! revertere fili mi David, nequaquam ultra tibi malefaciam. Apparet, quòd stultè egerim, & ignoraverim.* Ethnicus ille centurio, qui crudelî lanceâ crucifixi Salva- *N.* 259.

toris pectus rimari cœperat, *videns, quia sic clamans*, id est: non debitam expoſcendò vindictam, ſed rogandô patrem pro venia, *exſpirâſſet*, adeò commotum ſe ſenſit, ut dixerit: *verè hic homo filius Dei erat.* Marci 15. nec hoc ſolummodò divinæ manſuetudinis dederat indicium Chriſtus, ſed præter innumera alia, quæ per totam vitam exhibuerat illud vel maximè admirandum eſt, quod in monte oliveti contigit. Quando nefandum proditorem amicâ voce allocutus eſt, inquiens: *amice! ad quid veniſti?* Sciebat quô animô, quô pede veniſſet ſceleſtum caput, infidô videlicet & crudelî, ut ſe ovem manſuetiſſimam rapacibus lupis proderet, neque tamen aut acriorî eum pupugit voce, aut graviorî pœnâ mulctavit, quin omnem de eo vindictam prohibens, à creaturis inferendam, *amicum* appellavit: ut quam verbîs olim inculcaverat Doctrinam, tam evidentî exemplô diſcipulis comprobaret Filium in hac virtute ſecutâ Mater Virginea, licèt doloris gladium ſentiret in pectore, licèt mille probra in filium ſuum à Judæis effuſa audiret, nec verbum tamen audita eſt reponere auſteritatem redolens, adeò ut S. Bernardus Serm. 4. ſuper Miſſ. dicat: *Revolve Scripturæ ſeriem, & ſi quid in Maria auſterum repereris, de cætero eam ſuſpectam habeas.* S. Bonaventura ejusdem Sacratiſſimæ Virginis ſtupendam manſuetudinem perpendens aſſerit in Specul. c. 8. Maria manſuetiſſima fuit per patientiſſimam lenitatem, contra omnem adverſitatem: gladius quidem cor ejus pertranſiit, ſed per odium non occidit, nec per impatientiam vulneravit. Nec tamen miror, quòd Mater Virginea & Chriſtus ejusdem filius hanc virtutem præ aliis ſibi adeò commendatam habuerint. Vivebant ambo non ſibi, ſed aliorum hominum ſaluti, ad quam procurandam aptiſſimum fore medium manſuetudinem probè ſciverant. Evenire nonnunquam ſolet: induſtrium artis ſculptoriæ Magiſtrum offendere in terra lignum, rude, durum, deforme, ſolô dignum igne; & tamen ab illo aſſumptus iſte truncus, arte & induſtriâ Magiſtri eximiam quandam pulchræ ſtatuæ induit imaginem, haud ſecus contingit: ex hominibus odio, irâque repletis, atque vindictam totô affectu ſpirantibus, ſi hominis virtuoſi manſuetudo intervenerit, effici ex lupo agnum, ex accipitre columbam. Hoc probavit eventus in Agilone S. Columbani diſcipulo. Ibat ille Theodoricum Regem, viro Dei ſummè indignatum placaturus. Et hem! in itinere obvium habet hominem, qui ſtrictô gladio ei intentabat mortem: ſed divinâ agitur Providentiâ, ſacrilegam illicò exareſcere manum,

manum, injuriam verò Agilon lubentî animo condonans, sanitati manum reddidit. Quod insigne mansuetudinis exemplum, ut regiis insonuit auribus, Theodoricus petitis omnibus Agilonis annuit, Columbanô in gratiam receptô. Robertus Santarellus *Poter. polit. teste lib. 1. c. 8.* dum terram sanctam lustrans, è sepulchro Domini, in Montem Sinam pergeret, in Assyrios latrones incidit. Quid ageret Dux, hostilibûs furiîs circumseptus? socios suos sarcinulas & peram explicare jubet, ac prandium exponi, ad quod humanissimè barbaros invitat. Hi inusitatâ mansuetudine victi, omnem illicò exuêre furorem, & gratiîs actîs recessêre. Talibûs exemplîs & tu victus Christiane, verbis S. Chrysostomi t. 6. Etlogæ te alloquentis, morem gere, ubi ait: *Si quando in manus inimicum tuum nactus fueris, ne cogites, ut ipsum ulciscens, & infinitîs contumeliîs afficiens ejicias, sed ut ipsum cures: ut ad mansuetudinem ipsum inducas. Nec priùs omnia facere, & dicere desistas, donec crudelitatem ipsius bonitate tuâ superes.* Adamas in pulvino confringitur, fulmina in lana & lino eliduntur, saevissimique maris fluctus mollî arenâ sedati requiescunt; sic sermo bonus hosti rabido objectus, iram extinguit, furorem sedat, inimicum in amicum mirâ metamorphosi transmutat, hastamque, quam cum Saule strinxerat, ei aufert: adeò, ut agnitô errore exclamare cum illo cogatur v. 17. citati cap. *nunquid vox tua fili mi?*

Considera 2. Quàm severè Deus intonet in homines, mandatis *N.260.* suis non obtemperantes: dum Sauli exercitûs sui stragem, Regni totius jacturam, filiorumque cædem denunciari voluit, ea de causa inferendam teste S. Scripturâ c. 28. *quia non obedîsti voci Domini.* Jonas Propheta divinô Præceptô in Niniven ablegatus, ut peccanti populo comminaretur supplicium, post quadraginta dies obventurum: cùm is mandatum hoc quasi surdâ aure exceptum negligeret exsequi, profectus in *Tharsis*, è navi in mare dejectus cessit in prædam Balenæ. Et verò in pœnam violatæ obedientiæ Deo debitæ, non tantùm supplicia imminere temporalia, sed etiam æterna, luculenter probat Apostolus, dum Rom. 13. ait: *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* & S. Laurent. Justin. de pestifera voluntate propria, ad inobedientiæ actus nos frequenter instigante asserit c. 4. de ligno vitæ: *Propterea ipsa est, quæ Paradisum spoliat, Infernum dilatat, sanguinem Christi evacuat, & Ditioni Diaboli mundum subjugat.* Quare Protoparentes nostri suâ inobedientiâ Tartarum promeriti, ut liberum obtinerent cœlestis

lestis Paradisi aditum, per exactam nongentorum annorum obedientiam peccatum antiquæ contumaciæ abolere debebant. ò Christiane Lector! si illi propter unicum inobedientiæ actum promeruêre non temporales tantùm, sed etiam æternas Inferni pœnas, quales tu promeruisti, tot repetitîs actibûs Deo tuo rebellis? si illi tam numerosâ annorum serie inobedientiæ suæ maculam expurgare coacti sunt, quid à te exigetur? absque *Pythone* divinari tibi potero cum Saule interitum, si cum eo perstiteris in tua inobedientia; ad extrema vitæ deductus exclamabis cum illo v. 15. citati cap. *Coarctor nimis: siquidem Philistym* (Dæmones videlicet inobedientiæ meæ testes & vindices) *pugnant adversum me, & Deus recessit à me, & exaudire me noluit.*

Doctrina 2.

Desumpta ex residuis capitibus lib. 1. Regum, in quibus describitur Diffidentia Philistæorum erga David, Divinitùs immissa, cujus causa jussus est relinquere eorum exercitum. Querela famuli Amalecitæ, à Domino suo deserti. Saulis & filiorum cædes &c.

N.261. *Considera* 1. INsigne Providentiæ divinæ Prodigium, erat David, ut verba S. Scripturæ testantur c. 29. in statu perplexo & periculosissimo positus, certè coactus: vel Regis sui proditorem, si in prælio ad Saulem & Hebræos deficeret, vel apertum patriæ suæ & civium suorum hostem agere, si contra eos cum Philistæis pugnaret. Quare in specialem Davidis gratiam immissa divinitùs est Philistæis diffidentia, de ejus fidelitate, & hinc jussus redire domum. Meritò igitur S. Ambros. Orat. in Auxent. de Basilic. tradend. exclamat: *Servum Dei non custodia temporalis, sed Domini Providentia sepire consuevit;* & ipse David non isthoc tantùm divinæ Providentiæ signum, sed sexcenta alia expertus cantat Psal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit,* quæ verba explicans Hugo Cardin. asserit: *regit ut Dux viatorem, ut lux in tenebris ambulantem, ne exorbitet; ut pastor gregem, ne à lupis pereat. Dominus regit me ut navem, ut Regnum, ut exercitum, ut cœcum, ut equum &c.* Hinc Christiane Lector verbîs te alloquor Salomonis Proverb. 3. dicentis: *habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* Unica sollicitudo tua sit, ut fidelem imitandô Davidem, quærere ex te possis cum illo, ex *Achis* quærente v. 8. cit. cap. *quid feci? & quid inveniisti in servo tuo à die, quâ fui in conspectu*

spectu tuo usque in diem hanc ? si Dæmones variis te impugnent tentationibus, aderit tibi divina Providentia, gladium subministrans, quâ trucides mactesque omnes. Si corpus tuum vexent morbi, aderit Providentia divina tibi præbens pharmaca, quibus sanitatem recuperes, dummodo animæ tuæ salus sanitatem corporis admiserit. Si premaris alimentorum inopiâ, aderit Providentia divina, quæ te *enutriet, non datura in æternum fluctuationem justo.*

Considera 2. Mundi hujus amatores ad ultima vitæ deductos conqueri posse eisdem penè Verbis, quibus Domini sui ingratitudinem conquestus est cap. 30. v. 13. Ægyptius servus viri Amalecitæ, dicens: *Dereliquit me Dominus, quia ægrotare cœpi.* Dereliquit enim tunc temporis ambitiosum honor, superbum gloria, avarum thesaurus, gulosum cibus, ebrium potus, lascivum voluptas, desidiosum quies. *Quæres ab impio*, ait S. Ambros. in Lucam, Regna & opes, quæ parâsti, cujus hæc erunt? *respondebit: heu! non mea amplius erunt, sed aliorum.* Erat divitum aliquis teste S. Bernardinô Serm. 12. de 12. doloribus mortis scripto, qui morte jam ostium pulsante jussit thesauros omnes, quibus abundaverat, sibi afferri. Hos dolorosè complexus talibus alloquebatur verbis: *ò denarii mei! ò thesauri mei! en morior! juvate me quæso! quid? derelinquar à vobis dilecti mei?* tenebat eos, palpabat eos, osculabatur eos. Demum arreptô vase argenteô, illud quasi rabidis morsibus stringens, miserè exspiravit. Loquatur ipse Saul, ad supremum mundanæ gloriæ apicem evectus Rex, quid auxilii expertus sit à divitiis, ab honoribus, à Regnis, quando necatis filiis, prostratô exercitu lethaliter vulneratus ipse animam agere cœpit ? hoc unicum à mundo sibi tunc obsequium impendi optabat v. 4. cap. 31. Percuti ab armigero suo, ne ab hostibus interceptus, moreretur inglorius. Verùm neque hoc, etsi crudele obsequium, mundus ei præstitit. Quare proprii corporis cruentum carnificem acturus, arripuit gladium v. 4. cit. capitis *& irruit super eum &c.* ò Christiane ! hæc considerans, audi quæso verba S. Laurentii Justin. de virtute fidei sic loquentis : *ò prævaricatores revertimini ad cor. Intelligite non intelligentes : quia omnes promissiones mundi seductoriæ sunt, omnes blanditiæ venena, cunctæ delectationes pocula mortalia, viæque ejus sempiternæ mors.* N. 262.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 2. Regum, in quibus describitur Mandatum Davidis de tacenda Saulis cade, & exercitûs Israëlitici ruina. Planctus super Jonatham. Inauguratio Davidis, ejus cura de interfectorum sepultura. Asaëlis mors illata per Abnerem &c.

N.263. *Considera* 1. QUòd si David noluerit publicum casum, Saulis videlicet & totius exercitûs stragem evulgari, severe imperans cap. 1. v. 20. *Nolite annuntiare in Geth &c.* Quantò magis oporteat, tecta retinere proximorum peccata, quæ in publicum sparta illorum famæ forent nociva. Christus Dominus in Cœna ultima dicturus Joan. 13. *Unus ex vobis tradet me.* Turbatus est spiritu, crimen proditoris etiam tacitô nomine ejus prodituru. Mortem Saphyræ aliquot horarum spatiô nemo nunciaverat marito; tantum de domestico malo erat silentium, etsi in apertis præsentium oculis res acta fuisset. Teste Philosophô: nullum reperire est animal, quod non aliquam sui corporis partem gerat debilem atque infirmam: sin autem ex eo quæras, ubinam in corpore natura tale locaverit membrum? reponet ille: *Partes infirmiores semper natura tegere consuevit.* Concludes inde, si in naturalibus, quæ culpâ carent, & in quibus sine animi vitio vitium datur, tam studiosè & solerter defectus obteguntur, quantô studiô tegi oporteat morales proximorum defectus, quos constat vitiô non carere, plerumque infamiam pariente. Apelles Antigonum, faciè aliàs pulcherrimum, sed coclitem depicturus, semiversum depinxit: interrogatus autem, cur Regem absque innato ei defectu pinxisset? responso dedit: *si illum sine illo possum pingere, cur non pingam?* haud aliter te geras Christiane Lector, si de proximi tui vita quæraris? semiversum depinge, tacendô crimina, quæ in eo reperis bonæ famæ injuria; illa tantum facta narrandô, quæ vel augendæ vel conservandæ æstimationi deserviunt. Taliter S. Lucas pictor ille Sanctus & insignis depinxit non penicillô, sed calamô Matthæum, occultandô hoc ipsum nomen, quando publicanum vocavit, occultandô pariter nomen Mariæ, quando peccatricem nominavit. Flendum tibi est cum *filiabus Israël* super infami *morte Saulis*, hoc est super peccato mortali, quod cum periculo infamiæ patravit proximus tuus. Non de eo est

est loquendum cum aliis, sed cum Davide secretò dicendum citati cap. v. 26. *Doleo super te frater mi Jonatha!* displicentiæ gladiô interficiendus est: ille homo, qui instar Amalecitæ miserrimum Saulis casum, id est confratris tui lapsum, ausus fuerit propalare.

Considera 2. Davidem in Regem solemniter unctum, non cogitâsse de constituendis Aulæ suæ Ministris, de conducendis militibus, de ædificandis fortalitiis, de duplicandis Urbium præsidiis, de augendis thesauris cameræ regiæ & similibus negotiis, quæ noviter electos & inunctos Reges primô locô occupant. Sed ut nuntiatum est ei: viros Galaad sepelisse Saulum, misit teste S. Scripturâ cap. 2. v. 5. *Nuncios ad viros Galaad, dixitque ad eos: benedicti vos à Domino qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.* Erat ergò prima & principalis cura Davidis misericordiæ opus, defuncto Sauli etsi juratissimo suo hosti impendendum, quod haud dubiè nullis parcens sumptibus præstitisset ipse: nî ab aliis jam præstitum fuisse intellexisset, v. 7. citati cap. inquiens: *Sed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum istud.* Sciebat David hoc misericordiæ opus tanti apud Deum esse pretii, ut ipsemet mediantibûs Angelis eô perfunctus sit, dum Scriptura Deuteron. 34. testatur: *Mortuus est Moyses jubente Dominô & sepelivit eum &c. & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.* S. Ambrosius, ut nos animaret ad hoc gratissimum Deo Ministerium, corporibus defunctorum fidelium impendendum, de Tobia scribens, calamum in hæc verba acuit: *Nihil hoc officiô præstantius ei conferre potes, qui tibi jam possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ.* S. Nicomedes Martyr eò quòd corpus S. Felicolæ V. & M. sepulturæ mandâsset, & S. Justinus Presbyter ob tumulatum S. Laurentii Corpus coronam Martyrii mercedis locô accepêre à Deo. Marianus incidens in cadaver hominis recenter occisi, & ex motivo charitatis Christianæ illud terræ mandans, etsi de scelere patrati à se ipso homicidii in suspicionem tractus, mortis sententiam in se ferri audiret: attamen reô hujus criminis divinâ providentiâ detectô, absolutus Ipse successu temporis Imperii Sceptrum obtinuit, adhuc Pulcheriam Theodosii sororem in conjugem nactus, ut testantur annales Eccles. An. 450. Hæc exempla cordi ducens Christiane Lector moveberis utique ad paria misericordiæ opera, si occasio dederit, proximis impendenda, certus: non te perditurum mercedem. Noli ergo eos imitari, qui transeuntes locum, in quo mortuus ceciderat Asaël, ab Abner hastâ transfossus v. 23. cit. ca- *N.* 264.

pitis, oculos magis spectandô cadaver, quàm manus sepeliendô illud occupaverant. Sed illos sequere, qui v. 32. ejusdem cap. Asaelem sepulchro paterno intulêre.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. 2. Regum, in quibus describitur quæsita Abneris à Davide Amicitia. Abneris Isboschethique mors. Davidis unctio super Israël, promittentis præmium illi, qui percussisset Jebusæum, & abstulisset cæcos & claudos &c.

N.265. *Considera* 1. CHristianos tunc fore pios charosque Deo, quando instar *Abner* negare poterunt: se naturam *canum* induisse, dicente v. 8. capitis 3. *Nunquid canis caput ego sum?* cùm enim constet testimoniô S. Petri: toties hominem imitari canem, quoties in peccata pristina relabitur; hinc pariter constat, quam paucos reperire sit, qui *canum* naturam non sequantur. Nam ut asserit Justus Lipsius lib. 5. de milit. Rom. Dialog. 20. *Cæteræ animantes ubi semel offenderint, cavent; non vulpes ad laqueum, non lupus ad foveam - temerè redit, solus homo ab ævo in ævum peccat verè eîsdem.* Sunt ergo homines proh dolor atque pudor! ipsîs bestiîs ratione carentibûs, & merô appetitu brutalî ductîs insaniores, dum in præcipitia ruunt, quæ animalia tam cautô pede vitant. *Quam ergò veniam habebimus*, dicam cum S. Chrysostomo Homil. 15. ad Populum, *quam defensionem: cùm brutis simus dementiores?* Dionysius Carthus. observat. S. Petrum similitudinem canis, redeuntis ad vomitum desumpsisse ex Salomone, addendô aliam, à se ipso excogitatam de sue volutabro immersa. Verba hujus D. sunt in 2. Petri 2. *Quòd verò adjungitur: ut sus lota in volutabro luti, Princeps Apostolorum de suo apposuit, valdeque aptè; nam sicut ex tali lotione efficitur porca sordidior, quàm fuerat ante, ita ex recidiva gravius homo inquinatur.* ò Christiane Lector, quàm frequenter fit: Deum te instar Abner alloqui per sanctas inspirationes tanquam per nuntios ad te missos dicens: *fac mecum amicitias*, pœnitendô de peccatis. *& erit manus mea tecum* v. 12. capitis cit. Te verò vocanti respondere quidem verbîs & factîs: *ego faciam tecum amicitias*, versu citatô. Sed quàm parvô temporis intervallô durat hæc facta amicitia, dum in antiqua citò relaberis peccata, canem ad vomitum redeuntem, & suem in volutabro luti lotam imi-

imitans. Quin imò talem te brevi amicum probas erga Deum tuum, qualem se Joab hîc probavit erga Abner; vix enim occasionem nactus, priora repetendô peccata Deum de novo mactas, sicque coram te Christus corruit: *sicut solent cadere coram filiis iniquitatis &c.* v. 34. capitis cit. Timendum sanè: te toties in antiqua peccata relabentem, tandem indormiturum cum *Isboseth* cap. 4. v. 7. & à morte, instar Sicarii domum tuam latenter ingressa necatum, ad Tartara deferendum esse, terrorem tibi incutiat Historia, quæ non multîs abhinc annis contigit, quam fusiùs nonnihil le Janue Serm. 43. n. 10. describit, ego autem pro more meo quasi in compendium redactam tibi trado. In pago propè Urbem Burgundiæ Divionem vivebat vir, nobilissimô sanguine clarus, sed ob peccata identidem repetita obscurissimus. Is tandem lethalî correptus morbô, cùm moneretur, ut noxas Sacerdoti aperiret, nec tamen induci posset, repentè in velis, quæ lecto prætexebantur, grandioribûs verbîs exarata, videt, legitque verba: *Quærite Dominum, dum inveniri potest.* Æger putans, arte Parochi hæc verba scripta esse, jubet ocius illa auferri. At nemo domesticorum erat, qui ea cerneret. Ut tamen quietem obtineret æger, sublatîs velîs nova appenduntur. Cùm ecce! in novis velis nova ab ægro legitur Scriptura, hæc verba referens: *quæretis me, & non invenietis.* Nondum ad pœnitentiam excitatus æger, jubet & hæc vela cum aliis mutari: quô factô videt demum hæc verba sibi in illis objici: *in peccato vestro moriemini* quæ ut legit, vivere desiît tantô ædium suarum ortô fragore, ut funditus everti viderentur. Cadaver verò ex oculis, nullâ sui parte relictâ, totum evanuit. Spectaculo autem qui intererant, tantô perculsi sunt horrore, ut vidua cum filiabus Monacharum Theresianarum, filius verò Capuccinorum ordinem ingrederentur.

Considera 2. Mysteriô non carere; quòd Deus Templô suô abesse præceperit *claudos*, dicente S. Scripturâ c. 5. v. 8. *Claudus non intrabit in Templum.* Per claudos enim moralem spectandô sensum intelliguntur illi, qui Deo ita serviunt, ut Diabolum nolint offendere, in hos acrî sermone invehitur Elias Propheta 3. Reg. c. 18. asserens: *usquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Balaam sequimini illum.* Hæc verba consonant verbis Christi Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odiô habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum condemnet.* Sicut Sponsa alteri Amasio etiam minimum in camera & cubili suo concedens angulum fit de adulte- *N.166.*

rio suspecta: ita Christianus, qui mediante peccato vel inordinatô affectu ad res terrenas copiam facit Dæmoni, pectus suum occupandi, juxta Ezechieli effatum cap. 16. *quasi mulier adultera reputabitur, quæ super virum suum inducit alienos.* Aquila inter immunda animalia primô locô numeratur, licèt avis sit aspectu solis firmissima, volatu velocissima, amica syderum. Causam hujus assignat Origenes Homil. 7. in Levit. 11. dum ait: *ex mortuis vivit* q. d. Aquila cùm amori lucis conjungat appetitum ad fœtentes bestiarum carnes; hinc indigna est, Deo offerri in sacrificium, suavem odorem daturum. Quæ olim Christus Judæis sese capere volentibus objecerat, cuilibet Christiano objicit inquiens: Joan. 18. *Si me quæritis, sinite hos abire.* Sinite abire inordinatum affectum erga Mamon, si Christum quæritis pauperem. Sinite abire appetitum ad Venerem, si Christum quæritis castum &c Te quoque Christiane Lector compellat verbîs citati capitis v. 6. *Non ingredieris huc*, videlicet in amicitiam meam, *nisi abstuleris cæcos, & claudos.* Quare à te auferri vult, omnia *sculptilia* v. 21. *relicta à Philistym*, ab inordinato videlicet rerum temporalium appetitu, & deliciarum carnalium amore, ut hîs spoliatus dicere valeas cum Petro: *Tu scis Domine, quia amo te.*

FASCICULUS XL.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 6. 7. & 8. lib. 2. Regum, in quibus describitur Michol illudens Davidi circa Arcam saltanti. Davidis Humilitas. Victoriæ ejus de Philistæis obtentæ. Dominium super omne Israël.

N. 267. *Considera* 1. QUòd licèt Davidis circa Arcam saltantis actio videatur omnibus ejus triumphîs laudabilior: adeò, ut S Greg. M. in hæc prorumpat verba: *Ego Davidem plus saltantem stupeo, quàm pugnantem.* Nihilominùs à Michol reprobi

probi Saulis filia derisam, & convitiis impeditam esse. *Quàm gloriosus fuit hodiè Rex Israël*, convitiabatur impudens, & temerè judicans fœmina c. 6. v. 20. *discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris.* Verùm sterilitate à Deo punita, dignam impudentiæ, & temerarii judicii sui dedit pœnam. Homo quidam, ut legitur in vita S. Joan. Eleemos. c. 35. Sanctum Vitalium meretricum expugnatorem, earundem fautorem proclamare ausus, à Dæmone obsessus, & tamdiu possessus est, donec hujus facti pœnitens deprecaretur veniam. Gotila Gothorum Rex S. Cassii Narniensis Episcopi rubicundam faciem intuitus, cùm vino liberiùs deditum judicaret, teste S. Greg. M. 3. Dialog. c. 6. in pœnam tanti sceleris vidit Spartharium suum pariter à Dæmone invasum, & crudeliter exagitatum. Cur autem tam graves pœnas Deo dent temerè judicantes, & sua judicia plerumque in vulgus spargentes, ratione efficacî Didacus demonstrat, dicens: *Fieri non potest, quin in manus divinæ iræ incidas, quandoquidem tam audax es, ut judicium Dei fureris. Homo quippe videt in facie, Deus autem in corde.* Deus adeò unus est, ut collegam nullatenùs compatiatur: quare Luciferum vix in hæc verba erumpentem: *similis ero altissimo:* momentô citiùs è cœlo dejecit, & æternis ignibus alligavit. Temerarii Judices Lucifero non absimiles dixero, utpote qui judicium Deo soli competens, sibi quoque arrogare præsumunt; digni, qui parem cum eo pœnam in Inferno ferant. Quare ò Christiane Lector! acquiesce monitis illis, quas leges capite 18. Ecclesiast. *Ante judicium para Justitiam tibi*; judicandô videlicet priùs acta & facta tua, antequam judicium feras de actis factisque alienis. Si malum est propria peccata non cernere, duplex aut triplex peccatum erit, judicare alios. Abbas pastor, ut referunt vitæ PP. interrogatus, quâ ratione in sæculo tam præsenti, quàm futuro obtinenda sit quies? responso dedit: *Si in omni casu quis dixerit: quis ego sum? & non judicet quemquam.* Hinc etiam Abbas Moyses accersitus, ut sententiam ferret, in fratrem lapsum, advenit, saccum deferens arenâ plenum, rogatusque, quid ageret? respondit: *Peccata mea defero, quæ cùm portare vix valeam, multò minùs aliena portare potero.* Quin imò Christus Dominus judicandi potestate præditus, eâ tamen adeò modestè & benignè olim functus est, ut mulierem illam de adulterio jam convictam noluerit condemnare.

Consi-

N.268. *Considera* 2. Homines veræ humilitatis amantes debere originis ortûsque sui vilitatem semper oculis habere præfixam. Taliter se gesserat humillimus David hîsce verbis citatô cap. 7. affatus Deum: *quis ego sum Domine Deus, & quæ Domus mea, quia adduxisti me hucusque?* quemadmodum ad sustinendum corpus humanum teste S. Laurent. Just. de humil. c. 3. necessarius est cibus, ad transferenda per maria merces opportuna est navis nec non ad discernendum colores & corpora expediens est lux, sic ad obtinendam cordis humilitatem & cæteras virtutes quemlibet juvat cognitio sui. Nullus unquam tantum Honoris fastigium in veteri testamento ascenderat, nullus magis stupenda ediderat Prodigia Prophetâ Moyse, & tamen ne altissimâ Dignitate & Potentiâ præditus, limites Deo charissimæ humilitatis excederet, habuit manum leprâ infectam, ut illam inspiciens admoneretur innatæ vilitatis suæ. Sicut Moschus in locis fœtentibus positus recuperat perditum odorem, sic humilitas fragrans efficitur ex consideratione propriæ vilitatis, etiam instar carvunculi nunquam splendidior, quàm quô obscuriori jacet in loco. S. Paulus ad continuas revelationes admissus, vas Electionis divinæ & mundi totius Apostolus à Christo factus, ne aliquid supra cæteros sibi videretur sapere, oculum mentis suæ humo & luto prioris vitæ semper affixum habuit, testatus 1. Corinth. 13. *non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei &c.* meritò igitur *omnium disciplinarum pulcherrima ac maxima* teste Sancto Clemente lib. 3. Pædag. *est, se ipsum nosse.* Quid enim juvat scire altâ de Trinitate disputare, si quis nesciat se humiliare, ut placeat Trinitati? quid juvat scire influentias planetarum, & per superbiam respuere influentias gratiarum? quid prodest cognoscere, quot gradibus sol excedat horizontem, & non videre unum gradum, quem fecerimus in via perfectionis? quid prodest totam terræ amplitudinem metiri, & ignorare, quam longè propter peccata nostra dîsteimus à Deo? quid demum prodest, totum Cœlum cum terra ingeniô complecti, & suam vilitatem non capere? R. P. Scottus in thesauris selector. exempl. exstitisse refert Nobilem Florentinum, qui mille collegerit florenos, ut Europam perlustraret. Hoc consilium dum cognato suo, viro prudenti exponit, audit ab illo: ô quam satiùs tibi foret, diligentiam in tui cognitionem impendere, quàm tales sumptus in cognitionem Urbium & Provinciarum. Huic exemplo non dissimile est, quod narrat Drexel. Rh. lib. 1. c. 1. de quodam Romani Imperii erudi-

eruditissimo Jurisconsulto; illum nempe dicere solitum: Nos germani prudenter, sed pernitiosè fatui sumus, qui filios nostros in Regiones exteras amandamus ingentî sumptu, & sæpè cum jactura pudicitiæ, sæpè etiam vitæ, ut diversarum Nationum Idiomata condiscant. Qui inde, ubi redierint, linguam patriam & vernaculam ignorant, cum Deo loqui, & se intelligere nesciunt. Sollicitâ indagine quæsiverat olim sapientiam Ecclesiasticus c. 51. testatus de se: *cùm adhuc junior essem, quæsivi sapientiam?* sed ubi tandem invenit eam? an cum Philosophis in rerum naturalium cognitione? an cum Astrologis in speculatione Syderum? aut cum Cosmographis in lustratis Provinciis & urbibus? absit, ut responsum isthoc ab illo exspectemus, qui propriô motu inquit: *& in agnitione*, interprete Jansenio, *in cognitione mei inveni eam.* Tu quoque Christiane Lector haud dubiò eam reperies, si cum Davide meditabundus dixeris: *quis ego sum Domine?* hac porrò sapientiâ instructus gloriose pugnabis cum eo contra Philistym, contra omnia videlicet corruptæ naturæ vitia, quæ nos miseros Adami filios impugnant. Humiliabis inordinatos appetitus, *& auferes cum Davide frenum Tributi c.* 8. sicque regnabis cum illo *super omne Israël*, obtenturus videlicet plenum in passiones tuas Dominium.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 9. 10. & 11. lib. 2. Regum, in quibus describitur Misericordia Davidis & liberalitas erga Miphiboseth, cui omnia Bona Patris reddidit, jubens illum esse suum commensalem. Violatio Legatorum Davidis, & inde sumpta Ultio.

Considera 1. DAvidem non solùm injurias omnes, sibi à Saule olim illatas, gratiose condonâsse, sed etiam positivô amore in ejus posteros exarsisse, ut sic præluderet Mandato, à Messia quondam ferendo Matth. 5. *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Quæsivit ergo cap. 9. v. 1. *putasnè, est aliquis, qui remanserit de Domo Saul? ut faciam cum eo Misericordiam &c.* cumque adductus esset Miphiboseth, eidem v. 7. promisit: *restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & comedes panem in mensa mea semper.* Davidem non minùs insignî commiserationis exemplô præcesserat Ægyptius Joseph, cui etiam non suffecerat, fratribus suis irrogatam sibi injuriam & offensam remisisse, sed teste *N.269.*

S. Scripturâ *osculatus est omnes*, jussitque eis apparari solemne convivium Genes. 43. Job vermibus, à quibus corrodebatur adeò amorosum & beneficum se exhibuit, ut eos locô parentum & fratrum charissimorum haberet: *putredini dixi Pater meus es tu, mater mea & soror mea vermibus*, cap. 17. Sicut lilium spinas se pungentes candore propriò illustrare, & condecorare non cessat, & sol nubibus sibi obstantibus lucem impertiri, eosque clariores reddere consuevit, sic homines Christianæ pietatis studiosi erga eos se gerunt, quos sibi injurios vel sensêre quondam vel etiamnum sentiunt. *Altissimus charitatis gradus est, inimicos beneficiis ad amorem trahere.* ait S. Bonavent. de grad. Virt. cap. 1. Quin imò S. Bernardus lib. de Pass. Dom. asserit: *diligere inimicos magis est divinum, quam humanum.* Nam diligens inimicum, imitatur eum, qui teste Christô: solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super Justos & injustos. Ah! quot flagitiis quotidie à nobis offenditur Deus, quot transgressionibûs legis suæ dishonoratur? quot blasphemiis impetitur, & tamen pluere nos cessat super injustos æque ac justos. *Estote ergo imitatores Dei sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione*, exclamat Apostolus ad Ephes. 5. Antiquorum Gentilium sacrificuli aperiebant victimas Diis oblatas, & à se mactatas, ex intestinorum partium motu conjecturi, num cæsæ victimæ Cœlo forent acceptæ. O Christiane! si cupis actus tuos tanquam victimas reddere cœlo gratos, unicum amoris motum erga inimicos tuos da sentiendum. Si enim in te tantummodo reperiatur dilectionis motus erga eos, qui te diligunt, quam mercedem dilectionis tuæ habebis? dum & Ethnici hæc faciunt, teste Christo Matth. 5. ad obtinendum verò in corde tuo dilectionis motum erga inimicum, cogita frequentur, omnia mala, quæ ab illo pati cogeris, provenire ab ipso Deo in pœnam tuorum scelerum. Hoc erat unicum Davidi motivum, ut ad immanissimas concussiones, instar marpesiæ rupis immobilis perduraret. Quare canit Psal. 38. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Hoc erat unicum Jobi frenum, quô, ne iram contra Chaldæos aut Sabæos effunderet, se retinuit, dicens: *Dominus abstulit.* Sicut ergo Rei illi insanirent, qui ad supplicium educti lictoribus irascerentur, justitiæ vindicativæ ministris: ita stultescis Christiane, si vindictam intentas illi, qui in puniendis delictis tuis Deo servit ut instrumentum, vel ut Minister. Dic ergo cum tuo Salvatore: *calicem, quem dedit mihi Pater non bibam?* Joan. 18.

N. 270. *Considera* 2. Horrendam vindictam, quam David vir cæteroquin mitis-

mitissimus, de Ammonitis sumpsit, Legatos suos tam turpiter & probrosè tractantibus, ut eos rasis barbis & præcisis pudendum in morem vestibûs domum remitterent: nam teste S. Scripturâ cap. 12. *Populum ejus adducens servavit, & circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris & traduxit in typo laterum &c.* Ex quo gravi supplicio disces, quàm verissimum sit illud sapientiæ effatum: *per quæ quis peccat, per hoc & punitur* c. 11. Adeoque in mille frusta dissecti sunt, qui vestes ad summam Legatorum confusionem eis dissecuerant. Haud secus Absolom iisdem crinibûs, quos superbiæ causâ nutrierat, arbori connexus miserrimè interiit. Sic Joab per insidias occisus est, qui per insidias antea occiderat Amasam. Sic Rex Agag sanguinarius audiit à Samuele 1. Reg. 14. *sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.* Dixit, & arreptô ense meritas de eo sumpturus pœnas, *in frusta concidit eum.* Donatæ Hæretici, ut refert Baronius cùm Sacrilegô ausu Eucharistiam è Templi Tabernaculo ablatam canibus objecissent, ab illis repentinâ rabie incensis dilaniati sunt. Optimè igitur ipse Propheta regius Talionis pœnam in Ammonitas hîc statuens, Psal. 7. cantat: *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Ne verò tu quoque in talem incidas foveam Christiane Lector, noli peccandô eandem tibi aperire, adductis hujusque exemplis deterritus. Et quid magis foveam ad peccandum aperit, quàm occasiones peccandi vel quærere, vel ultrò oblatus non fugere? prout lapsu suô id probavit David, dum juxta effatum scripturæ c. 11. v. 2. *videns mulierem se lavantem*, in ejus amorem turpiter exarsit, ex quo dein cecidit in adulterium, & crudelem innocentis Uriæ necem, planè in foveam profundissimam.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 11. 12. & 13. lib. 2. Regum, in quibus describitur Davidis Adulteri invitatio excusatio Uriæ, ejus mors. Correctio Davidis per Nathan. Violatio Thamaris ejusque repudiatio, cædes Amnonis.

Considera 1. CHristianam animam à rebelli carne instar innocentis Uriæ ab adultero Davide ad gulæ illecebras & corporis commoditates allectam, sacrô præsertim quadragesimalî tempore eidem respondere debere: *Dominus meus Joab* (Christus videlicet) & *N.* 271.

servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meum, ut comedam, & bibam? &c. v.11. cap.11. Dominus meus Jesus Christus amore mei etiam sanguineas lacrymatus guttas, & ego rideam? ille in durissima jacet humo, & ego in molli culcitra stertam? ille ferreis vinculis ligatus trahitur ad Pontifices, & ego passionibus meis frenum ad carnis delicias laxem? falsò accusatur ille, & tacet: & ego de veris sceleribus accusatus, Superioribus meis torrò vultu & clamitosâ voce obgannire non verear? horrendis flagris sacratissimum ejus corpus discinditur, tempora perforantur spinis: & ego mollî attactu blandiar corpori meo, illudquè coronem rosis? ille gemit sub gravissimo Crucis pondere, & ego excutiam omne, quod dolore corpus aut animam mœrore gravat? *sed & servi Domini mei* Jesu Christi cum eo lacrymante lacrymantur, cum jacente jacent, cum tacente tacent, cum ligato ligantur, cum flagellato flagellantur, cum coronato coronantur, cum moriente moriuntur: & ego hæc omnia debitæ Compassionis signa à me excutiam? sim solus sub tam spinoso capite delicatum membrum, tot beneficiis ab eo cumulatus? non quidem in Regem terrenum *instar Davidis*, sed in Christianum, Regni æterni Hæredem, ex millenis alliis *unctus*. Toties erutus de *manu Saul* infernalis, donatus omî re ad victum & amictum necessaria, *& si parva hæc sunt, adjiciet mihi multò majora* v.9. cap.12. & tamen corpori genioque meo indulsurus sequar David peccantem, non sequens pœnitentem? Angelus Custos instar Nathan Prophetæ prædicit mihi: *non recedet gladius*, vindictæ divinæ, *de domo tua*, nî cum Davide exclamem pœnitens v. 13. cap. cit. *peccavi*! nî pariter cum eo jejunem, & jaceam super terram, meditandô passionem illius, qui pro peccatis meis instar innocentis Uriæ occisus est. Talibus ò Christiane! te verbis alloquere, & nisi marmoream in rupem mutatus sis, moveberis, ut dicas cum Uria citato locô: *non faciam hanc rem.* Non faciam, ut ultrâ vacem deliciis carnalibus, sed ibo cum Uria in castra, bellum Domini mei patientis visurus, & imitaturus.

N.272. *Considera* 2. Quam vera dixerit Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. c. 15. dicens: *Amantium corda volutilia sunt, amorisque incitamenta extinguuntur sæpè pœnitentiâ, amorque sæpè vertitur in odium, quando reprehensionem senserit satietas.* Manifestô enim exemplô veritatem hanc probavit Amnon filius *David*, dum S. Scripturâ teste c. 13. v. 15. *exosam eam habuit* (Thamarem videlicet sororem suam, à se corruptam) *odiô magnô nimis*: ita

ita, ut majus esset odium, quò oderat eam, amore, quò ante eam dilexerat. Inter alia amoris impuri incitamenta, quibus lasciva illa mulier Prov. 7. v. 17. incautam juventutem in suas casses rapere nitebatur, odores exstitisse refert Salomon, cujus verba sic legit Vatablus: *cubile meum odoratum reddidi.* Verùm, quod hac in parte nostro plurimùm deservit proposito, est hoc: quòd mulier illa ad excitandum odorem fallacissimum usa sit aloë & myrrhâ amarissimâ, dum ipsa fatetur: *aspersi cubile meum myrrhâ & aloë.* Ut innotescat, impurum inter amorem & amaritudinem non tam vocum, quàm rerum dari magnam affinitatem, quod ipsum propriâ doctus experientiâ fatetur Salomon Eccles. 7. dicens: *inveni amariorem morte mulierem. Mulier autem morte amarior* ait Hugo Cardin. in Eccles. *est carnis Voluptas.* Sicut mel faucibus & palato oris immissum, mirâ quidem dulcedine partes illas recreat: at vix transmissum in partes stomachi in bilem & fel degenerat, universo corpori nocivam: ita carnalis voluptas & suavis fœminarum amor mel in merum fel permutat, *Septuagintâ* dicentibus: *mel distillat in labiis fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces, postea verò felle amariorem invenies.* Ad hoc uberiùs declarandum Eusebius Emissenus similitudinem affert eorum, qui labra vasis, in quo epotandum venenum clauditur, saccarô imbuunt, ut eò faciliùs contingat, absorberi venenum. Asserit ergo homil. 3. ad Epiph. *virus amaritudinis obscurant fraude dulcedinis. Mel est, quod ascendit in labia, fel est, quod descendit in viscera.* Testabitur hoc sibi eveniisse Amnon, miserrimè in mensa & regali Triclinio necatus. Quare plura non afferens exempla coronidis locô te adhortor Christiane, ut si corporis & animæ tuæ salutem optes, nil magis exosum habeas quam veneris amorem. Nam *principium dulce est, sed finis amoris amarus.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 14. 15. & 16. lib. 2. Regum, in quibus describitur Davidis ira mitigata per Thecuitidem. Revocatio Absolonis & reconciliatio cum Patre. Ejus conjuratio. Fuga Davidis. Fidelitas Ethai. Contumeliæ Davidi illatæ à Semei.

Considera 1. COnsilium illud, quod Joab dederat ad plancandum Davidem, qui implacabilî odiô ferebatur in Absolo- *N.* 273.

nem fratricidum Is viduam Thecuitidem subornaverat: ut Regem non quidem verbis, sed suspiriis & lacrymis, licèt merè fictis compellaret: *lugere te simula*, inquiebat ille, *sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens.* v. 2. cap. 14. Et ecce! felicissimo successu res acta est. Fletus enim planctusque etsi simulatus & fictus, iram compescuit Regis. Concludes inde: quid lacrymæ & suspiria, ex corde verè & sincere contrito prodeuntia, valeant ad extinguendam iracundiam divini Davidis, ob tot peccata à nobis perpetrata ad vindictam excitati. *Magnus profectus est lacrymarum*, ait S. Elig. homil. 11. tom. 2. Bibl. vet. PP. *filius lacrymis mitigat patrem, & asperam matrem plorans mulcet parvulus: ita ergo peccator perfusis lacrymis removet iram Dei.* Gravissimum illud exstitit Petri flagitium: siquidem Apostolorum omnium Caput & Princeps illius Sacri collegii repetito periculo Caput Ecclesiæ & Principem totius mundi negaverat, ante hac tam solemni confessione promulgatum, cùm dixit: *tu es Christus filius Dei vivi.* Et tamen cœlestis Magistri tam enormiter ab illo offensi adeò mitigatus est furor, ut quantoicus benigno oculo perfidum intueretur discipulum testante id S. Evangelio: *respexit Petrum.* Causam hujus exponit S. Isidorus Delus. lib. 1. Epist. 195. asserens; *Nec Petri abjurationem ultus est, quoniam calentes ipsius lacrymas prospiciebat.* Etsi Salvator Civitati Jerosolymæ destinatum à Patre excidium præsagiret Lucæ 19. dicens: *ad terram prosternent te, non relinquent in te lapidem super lapidem.* Nihilominùs eodem tempore modum docuit Jerosolymam, divinam certò certiùs placandi Justitiam, & vindicem inhibendi manum, dum flevit super eam, circa quod Ambros. lib. 2. de Pœnit. c. 6. ait: *ipse Dominus super Jerusalem flevit: ut quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad pœnitentiam pertingeret. Ipse nos flere vult, ut evadere possius.* Evasit Magdalena quamprimùm lacrymis cœpit rigare pedes Christi, nec tantùm pœnas peccatis suis debitas evasit, sed ipsa evasit ad supremum virtutis Sanctitatisque Fastigium. Evasit præter innumeros alios juvenis ille, de quo Cæsarius lib. 2, c. 10. narrat. Quòd tam contrito pectore Sacrum Pœnitentiæ Tribunal accesserit, ut lacrymarum copia præpeditus, peccata explicare non posset; & hinc à confessario jussus ea in scripto tradere, cùm obtulisset sedulò scripta, divinitùs deletis litteris nihil apparuisse legendum, ex quo certum confessarius acceperit indicium, per copiosas pœnitentiæ lacrymas ceù per spongiam, omnia ejus peccata esse penitùs abstersa, & deleta. Optimè ergò hortatur me & te Christiane Lector S. Chrysost.

in

in Psal. 50. homil. 2. *peccata tua*, inquit, *in libro scripta sunt: Spongiæ autem instar lacrymæ tuæ, lacrymas mitte, & obliterantur.* Nos ergò, qui instar Absolom fratricidæ æterni Davidis contra nos accendimus iram, ocius ad lacrymas, ex corde verè contrito prodituras recurramus, audituri Deum cum Davide dicentem v. 21. cit. cap. *Ecce! placatus feci verbum tuum &c.* Utque in gratiam ejus recepti non cogamur biennio, aut longiori adhuc tempore post mortem corporum nostrorum instar Absolom conspectu Regis divini abesse: sed eum facie ad faciem videamus; hinc lacrymas pœnitentiæ ad finem vitæ continuemus, imitantes Jeremiam c. 14. exclamantem: *deducant oculi mei lacrymam per diem & noctem, & non taceant.*

Considera 2. Quàm claram Hypocritæ figuram repræsentet Absolom, dum affictô Religionis zelô nihil aliud quæsivit, quàm sceptrum & regiam Dignitatem parentis sui. *Vadam* inquiens, *& reddam Vota, quæ vovi Domino in Hebron* c. 15. v. 7. At quô aliô fine, nisi quem sequentia exprimunt verba v. 10. *statim, ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: regnavit Absolom in Hebron.* O quot etiamnum habet Orbis inter Christianos Absolomes, qui varias Libidines Virtutis & pietatis palliô tegunt, ut ejusdem subsidiô, quod appetunt assequantur. De talibus pulcherrimè discurrit Petrus Cell. c. 16. de pan. lug. asserens: oculum attendit Hypocrita non Deum, faciem non fidem, peccuniam non gratiam. Non fruitur Deô, sed utitur tanquam numô, & numô fruitur tanquam Deô. Deô emit Mundum, fide numum, Religione sæculum, lacrymis vinum, jejuniis convivium, ciliciò linum, silentiô plausus hominum. Mirabile dictu. Latet, ut apareat, tacet, ut audiatur, non sequitur, ut consequatur. Recedit, ut præcedat, fugit, ut apprehendat. Plorat, ut rideat, jejunat, ut satietur: sic cancer serpit &c. Christiane Lector! examina mores tuos, annon quandoque Hyprocrisin redoleant? perpende horrendum illud supplicium, quod Absolom Hypocrita tribus lanceis in suo duplici corde transfossus Deo parentique suo dedit. O quàm acceptus fores æterno Davidi simplicitatis amantissimo, si non fictè, sed verè eum Ethai Gethæo dicens v. 21. cit. capitis: *in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit & servus tuus.* N. 274.

Porrò dum in sequenti capite legis: quomodo pius David ascenderit *clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens & apertô capite.* Et quantas in hoc tristissimo itinere contumelias sit perpessus à Semei,

non

non tantum probra sed & lapides contra illum jactante : ob oculos mentis tibi pone Christum à Scribis & Pharisæis, quos frequenter Hypocritas vocavit, instar Davidis fugitivum, & mellenis opprobriis affectum. Proin laudabili zelô cum Abisai in te excandesce ; asserens cum illo: *quare maledicit canis morituus Domino meo Regi*, toties peccandô in ipsum, *vadam*, & gladiô mortificationis *amputabo caput ejus* v. 9. & 10. cit. capitis 16.

FASCICULUS XLI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 17. 18. & 19. lib. 2. Regum, in quibus describitur Achitophelis spretum consilium, ejus cura de disponenda domo sua, & secuta mors. Absolonis interitus Davidi Luctus.

N. 275. *Considera* 1. QUàm multos sit reperire etiam inter Christianos, qui Achitophelem imitentur : circa finem vitæ suæ cum eo tantùm sollicite de disponenda domo sua, animam verò veluti rem nihili ducendam ex *uncino* suspendentes, dum de ejus æterna salute parum cogitant ; cùm tamen toties audierint verba Christi Matth. 16. dicentis: *quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Propheta regius ad ultima vitæ per insidias hostis sui deductus exclamat Psal. 114. *circumdederunt me dolores mortis.* At quæso: quid has inter angustias primum à Deo adjutore petit? an Angelum fortem, qui hostem profliget? an fideles amicos, qui desolatum consolentur, aut mortui hæredibus succurrant? neutrum ex his efflagitans, solummodò precatur: *O Domine! libera animam meam.* Quare etiam Psal. 118. canit : *anima mea in manibus meis semper.* In quæ verba S. Bernardus Serm. 3. de vigil. Nativit. Dom. ait. *Sicut quod in manibus tenemus, non facile obliviscimur, sic nunquam obliviscæ-*

viscamur negotium animarum nostrarum, & illa cura vigeat principaliter in cordibus nostris. Scis Christiane Lector, tanti esse animæ tuæ salutem, ut ipsius gratiâ Deus induerit hominem, horrendis sacrum corpus objiciens tormentis. Scis: ex salute animæ tuæ dependere felicitatem æternam, hâc verò perditâ pœnas æternas. Scis: omnia tibi à Deo duplicî in numero esse data; adeò, ut videas duplicî oculò, audias duplicî aure, palpes duplicî manu, ambules duplicî pede, ut sic unô, ex talibus membris perditô, alterum adhuc supersit, quod absentis defectum suppleat: unicam autem largitus tibi sit animam, quà semel perditâ perdideris omnia. Quid quæso daret miserrimus *Architophel* cum innumeris in Inferno detentis pro unico temporis momentô, in salutem animæ applicandô? ah! quàm calidîs lacrymîs deflet deflebitque æternô gemitu tempus illud, quod nimiâ corporis sui curâ malesanus, sibique ipsi pessime consulens consumpsit. Sed neque hujus miserrimô statu perterritus respiscis Christiane Lector, qui totus occuparis in negotiis, quæ corpus concernunt, sat temporis habens pro acquirendis divitiis, pro frequentandis conviviis, pro visitandis amicis, pro instituendis lusibus; pro procuranda autem animæ tuæ salute vix unam reperis horulam. S. Chrisostomus homil. de anim. refert: Philosophum exstitisse, qui præpotentis cujusdam viri domum, aurô ubique fulgentem, tapetibûs pretiosissimîs exornatam ingressus, cùm vidisset, ipsum quoque pavimentum stragulîs magnô pretiô exornatis contectum, in faciem Domini exspuerit: de qua inurbanitate reprehensus, ocius se excusaverit: dicens: se nuspiam in hac tam elegantur exornata domô reperisse locum viliorem ipsius Domini facie. Ex qua historia (ficta, an vera sit? planè nescio) pulcherrimum morale desumit aureus iste Doctor, eos homines condemnans, qui nulli alteri rei tantam adhibent operam & studium, quam ut bona sibi acquirant, ad delitiosè tractandum corpus, dum interea pretiosissimam sibi à Deo inditam animam prorsus negligunt. *Vide*, inquit, *quàm sit ridiculus, qui exteriora nimìs solicitè exornat, & apud omnes, qui mentis compotes sunt, est contemptibilis; & meritò sanè: nam cùm parietes quidem & solum, aliaque omnia accurratè exornes, animam verò velut pannis obsitam, squalentem, jejunantem, plenam vulneribûs, ab innumerabilibus canibus laceratam negligas, quondam supplicium non sustinebis?* primum opus, quô Christus divini brachii monstravit potentiam, Marco & Lucâ testibûs exstitêre dæmones ex obsessis

corporibus ejecti, dein secuta sunt alia miracula, in curandis corporibus ab illo exercita. Causam hujus observat citatus Doctor Homil. 12. in cap. 8. Matth. aliam non fuisse, quàm ut ostendat, curandæ animæ ante omnia alia negotia insistendum: cui tamen proh dolor! è diametro repugnamus, utpote qui quævis alia negotia præmittimus nullâ habitâ ratione salvandæ animæ. Si vel unus digitus laboret, non dicam integra manus vel pes, non dicam caput vel pectus, varia si non omnia seponuntur negotia, & unico huic, membro videlicet tam parvo ocius sanando intendatur, animæ verò per peccatum mortale penitùs mortuæ, ad vitam gratiæ per pœnitentiam revocandæ alia etsi levissima præponuntur negotia. Non una olim Roma, sed totus etiamnum Orbis ridet Heliogabali stupendam illam stultitiam, quam Romanæ de illo referunt Historiæ, fuisse nimirum tam vesanis amoribus addictum suo equo, ut eundem in mensa sua convivam admiserit, ex vasis etiam aureis & argenteis reficiendum. Quin imò tam amentis amoris signô nondum saturum, etiam in collegam regendi Regni adoptâsse. Stultiores adhuc Heliogabalo sunt Christiani illi, qui tanto carnis corporisque amore fascinantur, ut omnes eò curas convertant, quâ ratione illud honorent, illud foveant, conservent; interea nobilissimi spiritûs vivunt penitùs obliti. Dicam eos etiam illis Æthiopibus simillimos, qui canem sibi in Regem acceperant Plutarchô teste, vestitum purpurâ & delicatissimîs pastum cibîs.

N.276. *Considera* 2. Tantam esse Benignitatem Clementiamque Dei erga gravissimos peccatores, quantam erga rebellem filium exercuit mitissimus David c. 18. v. 5. Eôdem enim tempore, quô homo peccator pœnîs tartareîs cruciandus ex tenuissimo vitæ suæ filô suspensus cum Absolome hæret, Deus cum Davide exclamat: *Servate mihi puerum Absolom.* ut, quantum ex sua est parte, tentet omnia, manum porrigendô adjutricem, quâ exitio eum eripiat, dicens etiam Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*, cor videlicet peccatoris (ut addit glossa interlinearis) *quod peccatô clausit hostis, hoc pulsat Deus inspirationibûs suîs.* S. Vincentius Ferrerius mentis suæ peracutum oculum defigens in divinam clementiam, eandem sequentî declarat exemplô Serm. 2. in Dom. 4. post Pentecost. asserens: si aliquis in præsentia Regis occidisset Reginam & filios Regis, & peccâsset cum filiabus Regis: deinde veniret ad petendam veniam à Rege, utrùm esset Rex in Mundo,

qui

qui parceret tali, & remitteret? credo, quòd non esset nisi Christus: nam si aliquis interfeciſſet omnes Apostolos, & peccâſſet cum omnibus mulieribus, & crucifixiſſet Christum; si post hæc cum dolore cordis veniret ad Christum, & peteret veniam, statim parceret illi; notanter asserit Sanctus iste Orator: *statim parceret*, ut intelligat peccator, ad Christum reversurus, nullum excipi momentum, quô pro obtinenda quantociùs venia ei non pateat aditus. Quis quæso latrone illô & viarum grassatore crudelior, qui totam propè vitam innocentem fundendô sanguinem consumpsit? & tamen eodem momentô, quô auditus est exclamare: *Memento mei, cùm veneris in Regnum tuum*, audivit à Christo, *hodiè mecum eris in Paradiso.* rectissimè igitur ait S. Ephrem apud Didacum Nissen. Dom. 18. post Pentecost. *Priusquam peccator pertingat ad januam, tu ei aperis. Antequam tibi procidat, tu manum ei præbes. Antequam lacrymas profundat, tuas super illum misericordias effundis. Charitas tua nostræ salutis avidissima se ipsa ad nos inclinat.* Si proin videt hominem quasi facto ex peccatis fune cum Absolom pendentem, & æternæ traditum ruinæ, lamentatur cum Davide dicens v. 33. *Fili mi Absolom! Absolom fili mi! quis mihi det, ut pro te moriar &c.* Sicque videtur dare ansam Dæmonibus (si fas est ita loqui) verba Joab sibi objiciendi cap. 19. v. 6. *Diligis odientes te &c.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 20. & 21. lib. 2. Regum, in quibus describitur Amasæ cædes per insidias à Joab facta, cædes quoque Sebæ, virilis Constantia mulieris Respha, corpora septem Sanlitarum à Gabaonitis occisorum custodientis &c.

Considera 1. OPtimam adulatoris pessimi figuram per Joabum repræsentari, qui Amasam occidit, dum mentum ejus tenuit, quasi osculum ei daturus: *Mentum enim dexterâ tenere*, ait Glossa, *est quasi ex benignitate blandiri: sed sinistram ad gladium mittit, qui latenter ex malitia percutit.* Hinc Ecclesiast. asserit c. 2. *in labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.* Propheta regius, qui in tenera etiamnum ætate de ferocissimis triumphaverat bestiis, discerpens ursos, superans leones, solis apibûs invasus præ formidine exclamat Psal. 117. *Circumdederunt me sicut apes.* Quid hoc rei? timeatnè minutis- *N.*277.

nutissimarum animalium puncturas, qui acutissimos dentes grandium bestiarum & horridos eorum ungues non timuit? respondet S. Greg. Homil. 9. in Ezech. *Apes in ore mel habent, & in aculeo caudæ vulnus: & omnes, qui linguâ blandiuntur sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt; quia loquendô dulcedinem mellis proponunt, sed occultè feriendô vulnus inferunt.* Aquila avium Princeps testudinem eô fine in altum evehit, ut graviorî lapsu exinde lapidi illidat, sicque disruptîs visceribûs interior animalis substantia aquilæ in prædam cædat. Haud aliter se gerit adulator: alienis applaudit factis, etsi mala sint, ut copiam nanciscatur, eò periculosiùs nocendi; hinc etiam non ineptè Pardis assimilatur, qui cætera animantia innatô sibi odore trahunt, ut attracta devorent. Hæc omnia jam aliàs Christiane perspecta habes: & tamen etiamnum illorum de numero es, de quibus inquit Hieronymus, tom. 9. in Regim. Monach. *Naturalî ducimur malô, adulatoribus nostris libenter favemus, quamquam nos agnoscamus indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem suam animus latatur.* In via virtutum te facit subsistere, & progressum ad altiora moratur talis lingua, sicut cadaver Amasæ subsistere fecit strenuos Bellatores in via constitutos v. 11. cap. 20. donec per virilem contemptum lenocinia adulantium abjiciantur, & surdâ sepeliantur aure.

N. 278. *Considera* 2. Et admirare virilem Constantiam fœminæ Respha, quæ non tantùm die, sed etiam nocte intempestâ à mordacibus avium rostris, & crudelibus belluarum dentibus cadavera illorum septem virorum, qui de stirpe Saulis superstites, à Gabaonitis in crucem acti sunt, cap. 21. v. 9. & 10. impigrè defendit. Admirare inquam virilem hanc in fœmina Constantiam: sed adhuc obstupesce magis, & simul venerâre, plusquam virilem in Deipara Virgine Constantiam, dum illa corpori filii sui, à Judæis in Crucem acti, continuò adstitit, non passa quidquam injuriæ inferri ipsi, donec integrum mandaretur sepulturæ. Hanc inauditam Virginis tenerrimæ Constantiam describens Petrus Canisius lib. 4. part. 2. c. 28. ait: *Stabat suæ virtutis atque constantiæ, quæ rebûs adversîs probanda erat, memorandum exemplum Posteris præbitura: quandoquidem nec tribulatio, nec angustia, nec periculum, nec persecutio, nec gladius, nec mors, nec vita, nec alia creatura illam separare posset à charitate Christi, cui mente cohærebat.* Non diffiteor, stetisse alias mulieres, omnesque Notos Domini, id enim effatum S. Lucæ est. cap. 23. At constat pariter ex Evangelista: hos omnes non stetisse aliter, quàm à longè;

longè; sola Deipara, Corpus Filii sui ab injuriis defensura *stabat juxta Crucem.* ò fortitudinem nullîs retroactis sæculis de muliere auditam! contremiscit terra, obscuratur aër, disrumpuntur petræ, sol omne perdit lumen: stabat tamen Illa juxta Crucem immobilis, intrepida, in pedes erecta, utque citatus asserit Canisius: *Ipsis Apostolis fortior: tantò licèt impiorum & immanissimorum hostium agmine circumsepta: ut neque Judæorum furore, neque militum sævitiâ, neque comprimentium turba, neque doloris acerbitate à statione posset dimoveri.* Hinc meritò Cantic. c. 7. ejus statura assimilatur Palmæ: ut enim hæc arbor, quò majorì oneratur pondere, eò majorî robore & constantiâ sese erigit in altum, ita Virgo Deipara, quò magìs tremenda circa crucem Filii sui apparebat rerum facies, eò fortior & animosior visa est. Christiane Lector! tu nec truces militum vultus, nec Judæorum sævientium furorem, nec truculenta satellitum arma circa te versari cernis; & tamen toties fugis à Christo tuo, vel respectu humanò permotus, vel carnis concupiscentiâ abductus. Roga igitur constantissimam Respham Virginem Deiparam Mariam, ut gratiam tibi impetret à Filio suo, quâ adjutus stes, & perstes eò usque, donec ab ipso audias cum electo latrone; *Hodiè mecum eris in Paradiso.*

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus lib. 2. Regum, in quibus describitur Psalmus 17. in gratiarum actionem pro liberatione ab inimicis factus. Generosa mortificatio Davidis in effusa aqua ex cysterna Bethlehem delata. Mandatum de Populo numerando, inde secuta pestilentia &c.

Considera 1. GEneroſum Davidis factum, quod ille cap. 23. patra- *N.*279.
verat, quando Philistæis Urbem Bethlehem obsidentibûs, aquam cysternæ illius sitire incœpit. Quò intellectò desideriò tres milites non absque certo vitæ suæ periculo hostiles penetrandò phalanges, petitam attulêre aquam, Regis sitibundi aridas fauces refocillaturi. Verùm teste S. Scripturâ citati cap. v. 16. *Ille noluit bibere, sed libavit eam Domino, dicens; propitius mihi sit Dominus, ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* S. Ambros. caulam inquirens, quæ Davidis appetitui tam forte frænum injecerit? hanc tandem assignat Apol. 1. de Davide c. 7. asse-

rens : *Eò quòd suavitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret.* Ita sanè mortis memoria gulæ illecebras optimè novit frenare, & carnales appetitus remediô utilissimô compescere, quod sua in Diæt. tit. 7. c. 1. confirmat S. Bonavent. asserens ibidem : *Concupiscentia carnis deprimitur, quando quis cogitat, quòd corpus in deliciis nutritum erit cibus vermium.* Rex Balthasar inter summas gulæ illecebras quamprimùm aspexit digiti, sibi mortem denunciantis figuram, illicò ostendit commutatam faciem Danielis 5. *& cogitationes ejus conturbabant eum, compages renum ejus dissolvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* B. Margarita de Cordona (ut de ea referunt annales Ecclesiastici) illicitîs amplexibûs servierat cuidam Nobili, qui in ejus absentia mortuus, sub quadam lignorum strue tumulum obtinuit. Ad quem locum postquam Margarita duc catellâ pervenit, & sepositîs tantisper lignîs vidit defuncti cadaver, jam vermibûs scatens, adeò commota est : ut anteactæ vitæ pœnitens, assiduîs jejuniîs, vigiliîs, orationibûs & ciliciîs, luxuriæ & intemperantiæ crimina rigidissimè expiaret. Contingit sæpè, ut qui febrî diuturnâ laborant, nullâ medicorum aut pharmacorum ope sanitati reddantur, quibus illud ultimum remedii locô suadetur, in patriam se conferant, ejusdem aurâ ad tempus fruituri, quod plurimis profuit experientiâ teste. Modô haud absimilî evenire solet, homines quosdam febrî luxuriæ & intemperantiæ tam gravî diuturnaque laborare, ut illis nulla videantur prodesse spiritualis pharmacopolii remedia. Id unicum ergò pro talibus restat, ut mittantur ad terram patriam, quæ eos genuit, ad pulverem videlicet, ex quo formati sunt, eundem serâ meditatione contemplentur, ad frugem illius beneficiô redituri : non enim ultra manet gulæ illecebris & libidini diversorium, ubi in mente Christiani hominis versatur sepulchrum. ò Christiane ! qui tam frequenter à rebelli carne ad varia luxuriæ & intemperantiæ incitaris oblectamenta, ut feliciter de his vitiis triumphes, monitum S. Bernardi sequentibûs verbîs expressum in opus redige, asserit ille in formula honestæ vitæ : *Super lapidem, super quo lavantur corpora te meditandô compone, & diligenter cogita, quô tractantur usu sepeliendi : nunc enim in tergum, nunc in faciem versantur. Quomodo nutat caput, cadunt brachia, rigent crura, jacent tibiæ. Quomodo induantur, deserantur humanda. Quomodo componantur in tumulo, quomodo pulvere contegantur, quomodo vorentur à vermibus, quomodo quasi saccus putrefactus*

con-

consumantur. Summaque tibi sit Philosophia mortis meditatio assidua. Hanc ubicunque fueris, & quôcunque perrexeris, tecum porta, & in æternum non peccabis.

Considera 2. Et admirare: quòd Deus tam gratiosum se cæteroquin exhibens Davidi, ob Populum numerari jussum adeò ei indignetur: ut tres gravissimas ei proponat pœnas, è quibus unam seligat, quâ puniatur. Siccinè tam grande peccatum exstitit, numerâsse Populum, ut tantam in se David provocet pœnam? Theodoretus hoc dubium soluturus respondet: *Quoniam divinis Promissionibus erat contraria ejusmodi numeratio; dixerat enim Abrahæ: faciam semen tuum sicut arenam, quæ est in litore maris.* Erat ergò divinæ Providentiæ & liberalitati injurius David, dum numerandô Populum videbatur ambigere de eventu Promissionis Divinæ. Non disparem hêrcle culpam committunt, & hinc parem quoque pœnam merentur Christiani, qui nimiâ rerum terrenarum sollicitudine tanguntur, Gentibus similes, quæ teste Christô Matth. 9. talia meritò inquirunt, eò quòd Deos adorent, qui licèt oculis sint instructi, non tamen vident eorum miserias: qui licèt aures habeant, non tamen audiunt clientum suorum preces. Qui demum, cùm nonnisi lignei, lapidei, ærei, aut ferrei sint, non possunt miseris mortalibus compati. Christiani econtra habent Deum, & *viventem*, & *videntem*, *totâ die miserentem* & *commodantem*. Nec habent tantummodo Deum, sed & in Deo Patrem habent, jussi orare: *Pater noster, qui es in Cœlis &c.* Si ergò Christiane Lector in nimia rerum terrenarum sollicitudine hactenus secutus tres Davidem errantem, sequere etiam pœnitentem: omnes curas cum eo solùm ponens, *ut ædifices Altare Domino* in medio pectoris tui, ibidem Holocausta virtuosorum actuum, præsertim perfectæ confidentiæ offerens, cantansque cum eo Psal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.* Eveniet inde, verificari de te, quod S. Scriptura versu ult. citati capitis ait: *Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.* N. 280.

(o)

FASCI-

FASCICULUS XLII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 3. Regum, in quibus describitur Davidis senium, frigus membrorum, electio Abisag in conjugem. Salomonis inauguratio rejectô Adoniâ. Testamentum Davidis, ejectio Abiathar a gradu Sacerdotii, cædes Joab.

N. 281. *Considera* 1. ADmirabile illud frigus, quod Davidis membra in senectute nondum decrepita dicitur occupasse, eô effectu, ut testetur S. Scriptura cit. capite: *Cùm operiretur vestibûs, non calefiebat.* Sin autem tanti frigoris & algoris causam inquiras? reponet Abulensis, utriusque Glossæ sententiam secutus: illud natum esse ex timore, quô vidit Angelum percutientem numerato Populô: *Timuit enim valdè, & cecidit in terram, & in tantum conturbatus est: quòd usque ad mortem mansit in eo timor, & infrigidatio.* Jam verò Christiane Lector, si David unicô aspectu irati Angeli tantô perculsus est timore, ut calor naturalis eum usque ad horam mortis fermè penitùs dereliquerit: quantus terror est futurus, quando non Angelus, sed ipse Angelorum Princeps, & Rex tremendæ Majestatis est venturus, stringens rigidissimæ Justitiæ gladium, quem nullæ mitigare preces, nulla patrocinia inflectere, nulla sopire munera poterunt? si integra cohors animosorum militum corruit ante Christum, nimiô timore prostrata, quando in forma servi eis obviam factus, blandeque allocutus dixit: *Ego sum.* Quid tunc fiet, quando Ille in forma irati Judicis apparebit, nil nisi mera fulgura contra impios locuturus? Apocalypseos 6. legitur: dicturos esse impios montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie Sedentis super thronum.* Quid quæso terribilius ruinâ montis? hæc tamen foret eis solatio. Nec tantùm dicent montibus: *Opprimite, sed abscondite nos*, quasi satius ipsis foret, gestare montium pondus, quàm ferre faciem irati Judicis, & audire eius horrendam vocem dicentis: ò Christiane! bestiis ingratior, nonne tibi ani-

animam infudi, essentiæ meæ simillimam, tu verò effrenes passionum tuarum stimulos secutus, eam adeò defœdâsti, ut in bestiam degenerâsse videretur. Nonne in fidelem tui corporis custodem unum ex Paradisi Principibus consignavi tibi, tu verò posthabitâ ejus custodiâ, spretis ejus consiliis, rejectis ejus monitis, ejus præsentiam inhonorâsti? nonne sexcentas creaturas in tui obsequium destinavi, quibûs tamen omnibûs in mei contumeliam abusus es? quoties peccata à te commissa gratiosè condonavi, ut tandem in meo servitio constans perdurares? quoties paternis flagellorum ictibus te è via perditionis reducere conatus sum, ut velut ovem perditam adjungerem Electorem gregi? sed hæc omnia profuêre non plus, quàm ut majoribûs adhuc peccatis mihi esses injurius. Cerne nunc impurissimæ carnis tuæ spurcitias, quibûs imaginem meam conspurcâsti. Cerne innumeras fraudes & fallacias, quibûs fratres meos damnificâsti. Cerne mille intemperantias, quibus dona mea obliguriviſti. Audi horrendas illas blasphemias, quibus Nomen meum affeciſti, audi verba obscœna, quibus pusillos scandalizâsti. Audi detractiones, quibûs proximorum famam denigrâsti. Hæc omnia me tacente clamant vindictam contra te. Propheta Daniel tantùm in visione imaginaria Christum in extremo Judicio venturum, & talia fortè loquentem contemplatus, testatur de se c. 7. *Horruit spiritus meus.* Quid ergo continget peccatori, cui dabitur re ipsâ audire, & videre illa? si fortissimæ tremunt columnæ, per umbram tantummodo territæ, quomodo tunc fragiles stabunt arundines? igitur Christiane Lector, si cupis ardorem malarum passionum, præsertim luxuriæ extinguere, supremi Judicis tremendum tibi vultum & vocem meditare, fiet inde: ut sacrô castitatis frigore affecta membra, nullis tentationibus ad venereos calores sint permovenda; sicque Davidem imitaberis, de quo versu 5. hujus capititis asserit S. Scripturæ textus: quòd formosissimæ puellæ Abisag copulatus, nullum unquam cum ea carnale habuerit commercium. Quin imò non tantùm carnalia in te extingues vitia, sed etiam spiritualia, inter quæ Primatum possidet *Superbia* & *Ambitio.* Quare si regnandi cupido *instar Adoniæ* te incendat, ocius tremendum illum Judicem cogita, qui de ambitiosis in extremo Judicio hanc feret sententiam: *Discedite à me maledicti in Ignem æternum &c.*

Considera 2. Plurimis Christianis idem evenire, quod Scripturâ teste cap. 2. evenerat Sacerdoti *Abiathar*, qui partes ambitiosi Adoniæ secutus, Salomonis vindictam in se provocavit, audiens ab illo: *siquidem vir mortis es tu, sed hodie te non interficiam, quia portâsti Arcam Domini &c.* Ita illi, partes Mundi sæpè per flagitia & peccata secuti, haud dubiè æternâ morte à divino Salomone mulctarentur: ni per Sacram Communionem Eucharisticas Species (quæ ceù Arca Domini cœleste Manna continent) in suis labiis & stomacho portâssent. Quare S. Laurent. Justin. in Serm. de Eucharist. ad sanguinem Agni paschalis alludens, quô Deus â Populo suo portarum postes tingi voluit, Christianos sacrum convivium accedentes talibûs alloquitur verbîs: *neque tibi percussor Angelus nocere valebit, si Agni istius saginatus fueris Eduliô.* Pulchrè etiam ad propositum nostrum asserit Albertus M. tract. c. 2. supra illa verba Apocal. nolite nocere terræ & mari &c. *consignari debet Christo, qui est de familia Christi & sanguinis ejus, quia non consignati percutimur.* Est profectò Eucharistica isthæc Arca, devotè à Christiano portata, opus illud, intuitu cujus ait Habacuc ad Deum: *cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Hinc Christiane Lector, qui toties peccatîs tuîs divinam provocâsti vindictam: ut vitam conserves, & pœnam effugias æternam, frequentem hanc Arcam per devotam communionem porta. *Per devotam inquam communionem:* aliàs indignè portans, judicium portabis tibi, experturus idem, quod v. 29. citati cap. *Joabo* accidit, qui licèt ad Tabernaculum Domini confugerit, apprehendens cornu Altaris, mortis tamen telum non effugiît, tangens Sacratum locum manibûs sanguine Abner & Amasæ pollutis.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. 3. Regum, in quibus describitur Oratio Salomonis à Deo exaudita, collata ei sapientia in lite mulierum per admirandam sententiam comprobata. Salomonis pactum cum Hira de Lignis & operariis, ad ædificium Templi requisitis &c.

N. 283. *Considera* 1. SAlomonem à Deo audientem: *postula à me, quod vis, ut dem tibi.* cap. 3. v. 5. Non petiîsse regales Thesauros, non insignes de hostibus triumphos, non novas Regiones, quibus dominaretur, non multos & seros Posteros, sed unicam petiîsse sapien-

pientiam, quam etiam summo in gradu obtinuit. Hâc verô vix obtentâ contigit teste S. Scripturâ v. 16. citati cap. venisse ad ipsum duas mulieres litigantes: *tunc venerunt duæ mulieres &c.* Quod factum expendens S. Greg. Moral. lib. 8. c. 17. ait; *anima, quæ sublevata immensô lumine exultat, tentatione pulsata, quid sit, inveniat &c.* Vult ergo illuminatus iste Doctor dicere: animam Christiani hominis, quamprimùm à Deo altiorî sapientiâ illustretur, illicò tentationibûs vexari, ne in noxia quiete relicta, vanè de se præsumat. Sapientissimi filii parens sapientissimus eôdem tempore, quô divinò irradiatus lumine sibi applaudebat cantans Ps. 29. *ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternũ.* testari pariter coactus est: *avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Agnovit tamen tentationem istam sibî ingentis beneficii locô evenisse, cùm cecinit: *bonum mihi, quia humiliâsti me &c.* S. Paulus in Doctorem Gentium ob cœlitùs inditam sapientiam creatus, testatur de se 2. Corinth. 12. *ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Sicut enim in cista pretiosissimîs impleta vestibûs, omnia putrescunt, si semper clausa maneat, vestibûs nunquam auræ expositîs, ita magni intellectûs Dona in homine deposita, si non quandoque tentationum vento exponantur, redduntur putrida. Et *sicut carò*, asserit Origenes super lib. Num. *etsi præcipua magnaque sit, si sale non aspergatur, brevi corrumpitur: ita & anima, etsi excelsa sit: nisi tentationibûs assiduis saliatur, & relaxatur.* Dicam ego; esse cinerem, qui supernum in homine conservet ignem. Dicam, esse Austrum illum, qui hortum Sponsæ perflat, ut virtutis odorem nunquam non spiret, esse nivem, quæ illam instar lanæ seu pellis foret, & fœcundam reddit Christiani pectoris terram, esse Gentem illam, quam dereliquit Dominus, ut erudiret in eo Jerosolymam. Hæc dicta confirmat æternum Patrs verbum, quod teste Blasiô nostrô in conclavi animæ c. 4. olim apparens S. Brigittæ, dixisse fertur: ut homo intelligat infirmitatem, quam habet à seipso, & fortitudinem, quam habet à me, necesse est, ut quandoque permittatur pulsari pravîs cogitationibûs, quibûs si non consentit, illi efficiuntur ei purgatio animæ & custodia virtutum. Quare Christ. Lector, si statim post tempus illud, quô te supernô lumine illustratum instar Salomonis accedunt mulieres, tentationes videlicet in te litigantes, jube ocius tibi afferri gladium mortificationis, & tentationes illas dum etiamnum infantes sunt vix natæ, dividere allabora, nil materni affectûs erga illas demonstrans, aliàs si fovisti, periisti.

Quoties restiteris, toties coronaberis, inquit S. Bernardus. Hoc unicum tamen ora, instar Salominis à Deo petere jussus: *ne nos inducas in tentationem*, h. e. intesprete Augustinô: ne desertus adjutoriô Dei tentationi vel consentias deceptus, vel cedas afflictus. Nam & perfectissimi athlethæ Dei suis nunquam in hoc bello confidebant viribus, sat gnari: non dari in hac vita tam rigidam disciplinam, tam consummatam sanctitatem, quæ de victoria semper sit secura. Vicit tentatio in piissimis viris longa jejunia, frequentissimas orationes, assiduas mortificationes. Vicit Sanctissimos Patriarchas, superavit zelosissimos Prophetas, prostravit castissimos Nazaræos, seduxit fidelissimos Apostolos, excæcavit sapientissimos Sacerdotes, violenter è claustris extraxit Monachos, Anachoretas ex Eremis, virgines è Monasteriis. Ergò ora assiduè: *& ne te inducat in tentationem.*

N. 284. *Considera* 2. Mirâ Dei Providentiâ factum esse: quod Templum illud in toto orbe celeberrimum, non à Davide, etsi virò piissimo, sed à Salomone ejus filio fuerit exstruendum. Is ad Regem Tyri scribens, talibûs utebatur verbîs cap. 5. v. 2. *Tu scis voluntatem David Patris mei, & quia non potuerit ædificare Domum Nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec Dominus daret eos sub vestigio pedum ejus. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non est Sathan neque occursus malus.* Quæ verba expendens Doctissimus Marulus lib. 3. c. 6. asserit: quoniam David in negotiis militaribu assiduè versatus, hostium cruore fœdaverat manus, prohibitus est, ædificare Altare Domino: Salomon autem jussus est, ut qui semper pacificus, & belli abstinens fuit. Constat inde, quanti apud Deum momenti & meriti sit Pacis amor, belli & discordiarum odium. Huc videtur allusisse Deus in ipso creaturarum exordio, quando vîdelicet creans animalia, usu rationis destituta, ea creavit duplicia, masculum & fœminam, creans verò hominem creavit unum, Adamum nempe Protoparentem nostrum, ex cujus dein costa fœminam formavit. Hoc factum declarans S. August. lib. 12. de civit. Dei ait: *propterea Deus creare voluit unum*, puta hominem, *de quo multitudo propagaretur: ut hâc admonitione etiam in cunctis unitas servaretur.* Theodoretus quæst. 30. in Exod. Augustino consentiens, inquit: volebat creator naturæ ad concordiam adducere unumquodque genus, hac de causa ipsum Adamum de terra formavit, ex eo verô mulierem, ut eandem in illis esse naturam demonstraret, & naturalem quandam benevolentiam mutuam

in

in illis insereret; si enim rebûs sic se habentibûs viri cum mulieribus contendunt, & mulieres cum viris, quid non admisissent, si aliunde mulierem formasset? eôdem fine solis hominibus Deus impressit suam imaginem & similitudinem Genes. 1. ut teste Idiotâ lib. 3. contempl. eidem similes facti, charitate se invicem diligant. Id moris in v.luerat apud veteres Æthiopiæ Populos, ut omnem ignem certô quodam anni die extinguerent, novum accensuri, quem ipse Rex silice eliciebat. O quàm fortunata foret Christianorum Gens! si & ipsa laudatum hunc morem modô spirituali ac mysticô observaret, extinguendò in cordibus suis omnes inimicitiæ flammas, & accendendô novum pacis ac concordiæ ignem, juxta illud Lucæ 12. *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*: Israëlitæ finitâ captivitate Babylonica in patriam reduces, non dubitaverant: supersesse ignem pro sacrificiis Deo offerendis, quem Jeremias occultaverat; sed suâ spe penitùs se invenêre frustratos, quando locô ignis visa ab illis est aqua, stagnans & lutulenta. Verba S. Scripturæ sunt 2. Mach. 8. *& non invenerunt ignem, sed aquam crassam.* Christiane Lector male metuo, ne idem Deo obtingat, qui scrutaturus cor tuum, an foveat ignem pacis & concordiæ cum proximis tuis? cernere cogatur, in vicem hujus ignis succesisse aquam crassam odii & inimicitiæ. Verùm si S. Evangelio credis, quid aliud tibi præsagire poteris, quàm te talem aquam in pectore diu circumferentem, transiturum ad ignes in æternum non extinguendos. Hos autem evitare si cupis, expelle has aquas, & cum inimico in gratiam rediens: ut ignem amoris erga illum semper conserves, dic cum Rege Hiram, Salomonem alloquente v. 8. cit. cap. *ego faciam omnem Voluntatem tuam.*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. 3. Regum, in quibus describitur Templi structura absque ullius mallei sonitu, ornatusque Templi. Fabrica Domûs regiæ & saltûs columnarum &c.

Considera 1. IN illa fabrica, quæ ter mille & trecentos opificum ministros & octoginta tria millia artificum occupaverat, quos Rex Tyri miserat, & totidem Rex Ægypti, nec minimum quidem exaudiri potuisse strepitum testante S. Scripturâ c. 6. v. 7. *malleus &* *N.285.*

securis, & omne ferramentum non sunt audita in Domo, cùm ædificaretur. Tam exactum ergò silentium in hac celebri structura observabatur, ut soli nutus omnibus sufficerent. Econtra Redemptor noster, qui plusquam Salomon, per tot Decreta & leges Scriptas, à fidelibus suis in Templis jam actu ædificatis hactenùs obtinere non valuit, ut abessent tam frequentes linguarum garrulitates, pedum strepitus, & plures ejusmodi actus, qui sacro silentio, in Templis suis exactissimè observando, plurimùm obsunt. *Domum orationis*, ait S. Basil. *in locum vertunt effusissima loquacitatis, minùs obtemperantes Psalmo huic contestanti, ac dicenti: in Templo ejus omnes dicent gloriam. Tu autem non tantùm non dicis, sed & alteri cuipiam impedimento es, eumque tibi uni reddis attentum, dum obstreperò tuò clamore obtundis, & exsuperas personantem Spiritûs Sancti Doctrinam.* Ciconiæ etsi garrulitate suâ nulli avium cedant, attamen caucasum montem superaturæ obmutescunt omnes ex solo aquilæ illic habitantis timore. Cur non etiam Christianos præsentia realis aquilæ illius grandis, quæ Christus dicitur, salubrî timore ad silentium in monte Dei permoveat? quæ causa subest: quòd Christus repertas in Templo oves & boves flagellô ejecerit, jubens columbas tantùm auferri, non flagellîs in eas debachatus? oves & boves quis nescit, animalia esse, quæ frequentî & inconditô balatu boatuque quieti & silentio plurimùm obesse solent, non item columbæ: & hinc causa videtur satis detecta, quæ Christum permoverat, has aves non flagello ejiciendi. Verùm cùm nec illas, silentio & quieti aliàs parum injurias, pati voluerit, quomodo patietur ibidem homines versari qui integris propè horîs confabulantur, corrident, narrant novellas? &c. Rhod. lib. 2. narrat: Sinarum Regem, cùm adesset Sacrificio Christianorum, ephebosque suos ante ostium Templi perstrepentes audivisset, eorum etiam levissimam insolentiam ipsâ morte puniviſſe. Si garrulitas tua Christiane, tam sæpè numerô in ipsis Templis exercita, parem tulisset pœnam, jam sexcenties mortem subiîsses. Sed ne Rex Regum ab hac temporali pœna tibi parcens, non aliquando garrulitatem tuam æternâ puniat morte; hinc emendatus, silentiô in Templis stude.

N. 286. *Considera* 2. Salomonem ampliſsimum illud Templi ædificium spatiô septem annorum absolvisse integrum: cùm tamen ædificando regali Palatio, quod Templo longè fuerat inferius, tredecim annos impenderit teste Scripturâ c. 7. v. 1. *Domum autem suam ædificavit tredecim annîs.* Maturabat divinum illud opus tum Pòpuli fervor & pietas, tum ipse

ipse zelus Regis, à quibus nos Christiani proh pudor! totô cœlô distamus: utpote in rebus Dei cultum concernentibus pigerrimi; in iis verò, quæ nostrum concernunt commodum solertissimi; præfigurati per hominem evangelicum, qui Lucæ 6. dicitur habuisse dexteram aridam, non verò sinistram. Quod ipsum pulchrè, sed nobis ad confusionem declarat M. Greg. Moral. 19. c. 16. dicens: *omnes sæculi hujus amatores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles: nam pro temporali gloria ad mortem usque desudare appetunt, & pro spe perpetua nec parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, & pro cœlesti mercede tenuissimi verbi ferre contumelias recusant &c.* Tales Christianos meritò similes dixeris *vaccis* illis, quæ 1. Reg. 6. Arcæ Domini à Philistæis fuerant alligatæ: hæ licèt aliis vicibûs longè gravius traxerint jugum, mugire tamen non fuerant auditæ: sed Arcam non absque murmure & mugitu traxêre. Si augendæ sunt opes, si sperandæ laudes, si obtinendus honor, nulli parcitur labori, nulla difficultas adeò gravis occurrit, quæ non perennî & industrâ sudore vincatur. Dies si non sufficiant, integræ noctes inter labores ducuntur indefessæ. Verùm ubi res pro Dei gloria, pro Religionis incremento, pro Templorum ornatu, pro animarum lucro agitur, omnia membra languent, omne tempus nimium est, omnis labor difficilis. Et hinc homines quoad negotia terrena, suo commodo profutura, sunt *instar columnarum* Salomonis ad omnes labores infracti, ad negotia in Dei gloriam destinata, reperiuntur instar arundinum ad terram depressi. Sed quæ tandem erit impigerrimè pro sæculo laborantium merces? talis erit hercle, qualem recêpere illi, qui tartareô ejulatu exclamant sapientiæ 5. *lassati sumus in via iniquitatis & perditionis &c. Viam autem Domini ignoravimus.* Ignorantiâ sanè aut crassâ, aut affectatâ, quarum utraque à Theologis vocatur culpabilis, & vî cujus locô cœlestis Palatii, omnis miseriæ abyssum sibi in perenne struxêre habitaculum.

(o)

Doctri-

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 8. & 9. lib. 3. Regum, in quibus describitur Varia Salomonis ad Deum fusa petitio. Dedicatio Templi & Hostiæ. Divina Sanctificatio Templi per promissam Dei præsentiam & ejus opem. Remuneratio Hiram, oblatis tamen oppidis non contenti &c.

N.287. *Considera* 1. VAria inter petita, quæ Rex Salomon Templo jam penitùs erectô ad Deum direxerat, primo omnium locô ponendum illud, quod cap. 8. v. 35. formaverat, hiscè constans Verbis: *si clausum fuerit Cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto pœnitentiam egerint, exaudi eos in Cœlo.* Quæ Verba fervidæ orationis duplicem nobis detegunt Veritatem. Prima harum est: Cœlum nostrîs peccatîs claudi, ut nihil inde gratiæ, nihil ubertatis defluat. Altera verò in eo sita est: quòd pluvia de Cœlo non decidat, nisi sinceræ pœnitentiæ lacrymæ præcedant. Veritatem primam confirmant Verba S. Scripturæ levit. 26. quibus comminatur Deus: *propter peccata vestra dabo Vobis Cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam.* Quod non tantùm præteritîs sæculis Hebræos peccatores experientia docuit, sed etiam impios Christianos, dum asserit S. Basil. homil 16. in divites avaros scribens post alia: terra jam exsiccata & ad extremum aspectu est horrida, & ad agriculturam est sterilis & infœcunda, deinde ob siccitatem scissa, hiatus patefecit maximos, ut in imis visceribus excipiatur radius. Fontes plurimi & perennes nos deseruêre, fluminum quoque magnorum cursus desierunt. Veritatem alteram comprobat glossa interlin. quando huic quæstioni per Jeremiam motæ: *usquequò lugebit terra, & herba omnis Regionis siccabitur?* isthoc obviat responsô: *donec scilicet animus peccantium mutetur.* Sed quid indicat, mutari animum peccantis: quam eum fieri pœnitentem de peccatis, & effusîs lacrymîs fieri pro venia supplicem? Historia Francisc. part. 4. refert: beatum fratrem Nicolaum eô tempore, quô horrenda siccitas tellurem reddiderat infœcundam, Populum è cathedra admonuisse, ut Orationibus & Processionibus insisteret, divinum placaturus Numen. Cùm ille verò cogeretur experiri, irritas cadere Populi preces, monuisse de novo, ut precibus conjungerent solidæ pœnitentiæ opera. Et hem! mutatîs

tatîs per pœnitentiæ lacrymas hominibûs mutatum est Cœlum, copiosas affundens pluvias, quibus agros reddidit fertilissimos. ò Christiane! quàm sæpè contingit; agrum animæ tuæ gravissimam perpeti siccitatem; adeo, ut ad virtutum fructus producendos videatur penitùs ineptus. Quô casu melius pellendæ siccitati tuæ non aderit remedium, quàm Oratio sinceræ conjuncta pœnitentiæ. Oratio enim tua pœnitentiam non habens sociam si fructu optatô careat, pœnæ Talionis vices patitur: est enim Deus etiam sæpè à te non exauditus, quando stetit *ad ostium, pulsans* Apocal. 3. meritò igitur eadem mensurâ remetitur, quâ mensus es ei Matth. 7. Sic olim diutiùs surdas aures fratrum gemitibus opposuit Joseph, quia & ipsi priùs inter summas animæ suæ angustias eum non exaudierant. Unde demum hujus culpæ memores dixêre Genes. 42. *meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcircò venit super nos ista tribulatio.* Junge ergo precibus tuis pœnitentiæ lacrymas, & exauditus à Deo, cœlestî pluviâ fœcundaberis in anima tua, ut optatos virtutum & meritorum fructus protrudat.

Considera 2. Quòd licèt Deus apertas semper deferat aures, quibûs fidelium preces ubi ubi tandem fusas, gratiosè excipiat: nullibi tamen ad exaudiendum illas promptior reperiatur, quàm si fuerint in Templis, ad ejus specialem Cultum destinatis, profusæ. Quare cap. 9. v. 3. asserit Salomoni: *Sanctificavi Domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem Nomen meum ibi, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebûs.* Anus Anna, Sanctissima Samuelis mater, orationem suam Deo factura: etsi haud dubiè peraccommodum domi suæ habuisset angulum, quô à sæculi negotiis sejuncta, uni colloqueretur Deo: Tabernaculum tamen accedere consueverat, suô testata exemplô: nullibi magis propitium reperiri Deum, quàm in locis specialî cultu ei deputatis. Anus altera Anna, filia Phanuelis de Tribu Asar Lucæ 2. etsi videretur per decrepitam ætatem excusata, à Templo frequentiùs accedendo; & hinc suis in ædibus inclusa orans potuisset sperare, se exaudiendam à Deo, attamen citatô Evangelistâ teste: *non discedebat de Templo, jejuniîs & obsecrationibûs serviens die ac nocte.* Ipsô factô experta, nullibi tam gratiosum inveniri Deum, quàm in Templis per orationes assiduas quæsitum, quare Prophetiæ altissimô spiritu donata: *superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant Redemptionem Israël.* *N.* 288.

Repones forsan verba Christi Matth. 6. dicentis: *intra in cubiculum tuum, & ibi clauso ostiô ora Patrem tuum*, ac respondebit ocius S. Bernardinus tom. 2. serm. 10. a. 3. c. 1. asserens: *ille cubiculum suum intrat, qui omnes humanos sensus ad interiora revocat: ille ostium suum claudit, qui cordis cogitationes, ne extravagentur, frænat.* Noluit ergo Christus privatam cujusque cameram Domui Dei præferre, sed docere potiùs voluit: quâ mentis recollectione in ea preces persolvendæ sint. Confirmat nostrum propositum Hugo Card. in cap. 4. Joan. scribens: *notandum, quòd locus sacratus & benedictus aptior & utilior est ad orandum. Primò, quia ibi magis excitatur devotio & ferventior fit oratio. Item Benedictio Episcopalis & oratio eius majorem efficaciam infert orationi ad impetrandum, quia associatur orationibus generalis Ecclesiæ. Item quia Dominus Domum sibi dicatam, & habitantes, & psallentes in ea speciali gratiâ custodit, & visitat.* Quare in necessitatibus tuis confuge ad Templum Christiane Lector. Satius & fructuosius erit, ibidem breves, sed magna cum loci Reverentia preces fundere, quàm domi longas. Agit Deus in Templis suis Salomonem, qui fidelium suorum pietatem ut Salomon *Hiram Regem* remuneratur. Et licèt quandoque contingat: illos petita à Deo non statim assequi, velut *Hiram* non fuerat contentus oppidis, sibi à Salomone donatis: attamen non cadendum animis, aut Deus inclementiæ arguendus est; sed potiùs id adscribendum inordinato petendi modo. Vel enim petimus aliqua, saluti animæ nociva, vel non petimus cum debita confidentia. Utrumque repugnat orationis naturæ, atquæ hinc non meretur divinum annutum.

FASCICULUS XLIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 10. & 11. lib. 3. Regum, in quibus describitur Acta Regina Saba cum Salomone. Salomonis depravati mores, Achiæ Vaticinium.

N. 289. *Considera* 1. CHristianos, qui avidis auribus excipiunt sacras Conciones, iisdem verbis laudari posse, quibus Ministros Salomonis laudaverat Regina Saba cap. 10. v. 8. dicens:

cens: *beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam.* Qui enim teste S. Bernardinô fideliter audit verbum Dei, verè audit Sapientiam Salomonis; ideò dicitur in Psalmo: *beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Hinc non est, quod miremur: incarnatam sapientiam ipsum Prædicationis suæ initium ab his verbis sumpsisse Matth. 3. dicens: *appropinquat Regnum Cœlorum.* Gentium Præco Actor. 32. discessurus ab Epheso, cui longô sermone valedixerat, inter alia verba in hæc prorumpit: *& nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius.* Verùm, quid opus ultimîs hîsce verbîs: *& verbô gratiæ* ipsius? videbatur utique dixisse satis, & plurimum ipsis benedixisse, dicendô: *commendo vos Deo.* Sed cùm communior Interpretum sententia doceat: per verbum Dei sedulò auditum, acquiri divinam gratiam, quæ hominem beatum reddit: hinc videtur Paulus discipulos suos (quibus utique nil magis ipsâ beatitudine optaverat) commendâsse Deo, ut per ipsum moveantur, ad auditum verbo Dei studiosè præbendum, gratiam & gloriam hôc mediante obtenturi. *Re vera*, inquit S. Bonav. *Regnum Cœlorum non est aliud, quam perfecta notitia divinæ veritatis.* Dum ipse Christus Joan. 5. testatur: *Amen, Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit &c. habet vitam æternam.* Adverte præsens tempus, quô utitur dicens: *habet* vitam, insinuans: non tantùm in altero sæculo illum fore beatificandum, sed etiamnum hîc jam actualî Beatitudine frui, qui verbo divino promptas accommodet aures. Quare æternus Salomon talibus ut *Reginæ Sabæ* dat omnia, quæ *volunt*, & *petunt* ab eo, & in comparatione spiritualium bonorum, quibûs abundabunt auditores illi, non *est argentum alicujus pretii. Atque magnificantur super omnes Reges terræ, divitiîs & sapientiæ &c.* Noverat hoc Constantinus Imperator Re & nomine Magnus, quare omnes Reges terræ divinâ sapientiâ & spiritualium bonorum divitiis superaturus tantâ animi aviditate, tantâ sensuum attentione, tantâ membrorum suorum reverentiâ excipiebat verbum Dei teste Eusebiô lib. 4. c. 33. ut cùm Episcopus eum integrîs horîs stantem cernens, sedere juberet, responso dederit: nefas videri, institutis de Deo disputationibus aures præbere negligentes. De Margareta conjuge Ludovici XI. Regis Galliæ refert Louiis Garonî Cent. 2. §. 27. quòd transiens atrium quoddam, cùm conspexisset Alanum, oratorem tunc temporis celeberrimum, sopore gravî detineri, illum accedens osculata sit. Cuidam verò miranti, cur hominem tam deformem vultu, ut erat, osculô dignaretur regalî?

respondit: non hominem, sed os illud aureum exosculor, è quo tot flumina salutaris Doctrinæ profluunt. Altius adhuc Margaritâ hâc in reverentiam divini eloquii progressa est Catharina Senensis, dum non tantùm ora Præconum, sed etiam pedum vestigia citra ullam personarum differentiam exosculari consuevit.

N. 290. *Considera* 2. Et admirare: quòd Deus peccata Salomonis minetur se puniturum scissione Regni, tam gravem pœnam nunquam minatus Patri ejus, quamvis etiam graviter peccanti, asserit S. Scriptura cap. 11. v. 11. dixisse, & prædixisse Deum: *Disrumpens scindam Regnum tuum, & dabo illud servo tuo.* Causam hujus si quæras respondebit Rubertus Abbas lib 5. in lib: Regum c. 1. dependenter à præcedentibus verbis ita discurrens: *quia habuisti hoc apud te*; cui sic dicitur, palam est: quòd peccatum suum nec dum confiteatur; nam apud se habet, cui quod fecit non displicet. Cæterùm cui displicet, non apud se, sed contra se habere dicendus est, non enim abscondit, sed annuntiat, non defendit, sed accusat. Tantam ergo pœnam merebantur peccata Salomonis ea solùm de causa, quia recusaverat illa parentis sui exemplô confiteri, nunquam auditus dicere cum illo: *peccavi Domino*! S. August. super verba regii Vatis Psal. 68. *Non me demergat tempestas aquæ, neque urgeat super me puteus os suum &c.* docet: puteum profundissimum esse peccatum, quisquis in illum corruens, os non clauserit, hoc est, si candidè peccatum confessus fuerit, facilî conatu evadat submersionis discrimen. Haud aliter astutus Dæmon erga homines, in gravia peccata lapsos se gerit, ac lupus erga agnum à se captum. Hunc, ut suos retineat inter ungues, guttur ante alia membra invadit, morsu illud comprimens, ut voce sic interceptâ copiam perdat inerme animal, pastorem in sui defensionem excitandi. Rectè ait S. Chrysost. proëm. in Isa. *Cùm nôsset Sathanas, quia peccatum verecundiam habet, pœnitentia fiduciam, ordinem reprobus permutavit, & invertit: pœnitentiæ dedit verecundiam, fiduciam peccato.* Quare si tu Christiane Lector cum Salomone peccâsti, adamandô mulieres alienigenas malarum passionum, quæ cor tuum à divino averterunt Cultu, tractum ad colenda peccatorum Idola; ut effugias divinam vindictam, Davidem fideliter confitentem, non Salomonem tacentem imiteris: aliàs scindetur Regnum animæ tuæ, tradendum Dæmoni, ut possideat illud, æternîs vexandum pœnîs.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 12. & 13. lib. 3. Regum, in quibus describitur Roboami dura responsio, decem Tribuum defectio, Idololatria Jeroboami. Vaticinium de interitu domûs Jeroboam Idololatræ impœnitentis.

Considera 1. QUòd sicut experientiâ teste unica quandoque scintilla ingens excitârit incendium, in cinerem redigens integras civitates: ita unicô, aut pauculîs verbîs, injuriosum quid spirantibûs, integræ Provinciæ & Regna ad extremas clades & ruinam pervenerint. Paucula verba, quæ juvenes Ministri Regi Roboam suggesserant, Populo objicienda, tantos animi motus, & tantam à legitimo Rege aversionem excitaverant, ut unanimî votô voceque communî conclamatum sit. v. 10. capitis 12. *quæ nobis pars in David?* recedentes igitur à Domo David elegêre sibi Regem Jeroboam, à Rege Juda penitùs divisi. Apostolus Jacobus linguam sub veneni analogia describens: ait c. 3. *plena venenô mortiferô*, ut sic lethalia declaret vulnera, quibûs illa propriam incautè loquentis personam, & alias quoque inficiat. Nazianz. carm. 3. in lingua non unum dumtaxat, sed multiplex veneni genus latere contendit, dicens: *in lingua sita sunt permulta venena.* Quin imò magis nocere videtur lingua, quàm venena: nec enim venenum absentibus nocet, nocet verò lingua; quare S. Bernardus ait de illa: *nocet à longè, proinde sagittæ assimilatur, quæ de longè vulnerat.* Salvator noster, qui etiam unius verbi Imperiô stupenda patravit Miracula, liberans à Dæmone obsessos, illuminans cæcos, erigens claudos, ad vitam revocans mortuos: muto tamen illi, cujus meminit S. Marcus c. 7. linguæ usum redditurus, multos actus præmisit: adeò, ut etiam lacrymas fuderit; asserit enim sacer textus: *& suspiciens in Cœlum ingemuit.* Grande Mysterium in isto facto videtur latere, hoc S. Chrysost. Homil. 5. detegit, dicens: quòd licèt Dæmon omnibûs nostrîs abutatur sensibûs, ut nos ad Deum offendendum inducat: nihilominùs nullum ei melius instrumentum occurrat, quô majorî cum facilitate & actuum frequentia prævaricari nos faciat, quàm linguâ. Hoc ipsum clarissimè perspectum habens Salvator, tam difficilem se exhibuit muto in teddenda lingua. Christiane Lector, qui sæpiùs jam nocuisti linguâ, vel suggerendô mala consilia cum juveni-

N. 291.

venibus Roboami Ministris, vel loquendô turpia cum pusillorum & innocentûm scandalo, vel detegendô occulta cum absentium infamia, vel proferendô falsa cum proximi contumelia, vel exspuendô perjuria cum Dei offensa, frænum tandem huic labili & nocivo impone membro, & pone ostium labiis, ne unquam declinet in verba malitiæ, venenô si utendum, cavent vel maximè Medici, ne in quanto, vel quali excedant, sat gnari: parvum excessum multum obesse. Si ergò tibi loquendum est Christiane, linguâ utere ceù venenô, nullum admissurus excessum, qui admitti solet, si effutiantur verba inconsiderata, mordacia, scurrilia, affectata, contentiosa, jactabunda. Quemadmodum Nautæ omnia loca, periculis in mari obnoxia, habent in suis mappis exactè delineata, ita tu omnia genera malorum sermonum deferas in mente notata, ut ea studiosè devites. Christus Dominus muto illi redditurus linguæ usum, *exspuisse* dicitur. Sputum seù saliva à sale dicta Sapientiæ indicium est juxta Interpretes: ut verò saliva è capite defluit, in ore colligitur, & collecta ejicitur: ita sermo noster è cerebro seu judicio prodire debet, & non nisi benè ponderatus effundi. Quare etiam Ecclesiast. c. 28. admonet: *verbis tuis facito stateram.* Quasi alluderet ad mercatores, qui monetas aureas accuratè ponderant, priusquam eas accipiant, vel expendant. Ita oportet verba per linguam effundenda ad trutinam ponere, considerandô priùs, an nihil spurii admixtum habeant.

N. 292. *Considera* 2. Prophetam à Deo missum, ut Jeroboam Idololatriæ causâ deprehenderet, saxum locô illius impii Regis fuisse allocutum talibûs verbîs: *Altare! Altare! dicit Dominus* v. 2. c. 13. Videbatur planè Propheta majorem in lapide & saxo dispositionem ad pœnitentiam reperire, quàm in Rege, non in communem lapidem, sed in adamantem obdurato. *Et ecce! Altare scissum est.* v. 5. citati cap. Immotum tamen permansit sua in impietate regale pectus, grandî etiam miraculô nullatenùs emollitum. Meritò igitur de habituatis peccatoribus canit Propheta regius Psal. 57. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obdurantis aures suas.* In quæ verba S. Augustin. ait: *Ecce! aspides surdæ, duriores lapidibûs, quibûs incantatorem suum lapidaverunt, non audierunt vocem incantantis, & medicamenti medicati à sapiente.* Finge dari aliquem, qui nec grandium campanarum sonum, nec castrensium tormentorum mugitum, nec tubarum clangores exaudire queat: an non talem petrâ surdiorem dixeris? at hoc ipsum dices de peccatore

tore obstinato, cujus tanta est mentis surditas: ut nec terribiles extremi Judicii tubas, nec maximarum Cœli Campanarum, Misericordiæ videlicet & Justitiæ divinæ sonos, imò ipsius damnationis sententiæ tonitrua exaudiens fateatur de se: *Ego autem tanquam surdus non audiebam.* Psal. 37. Hæc considerans Christiane, si quod incurristi peccatum, ocius per pœnitentiam illud expelle, ne luti naturam induat, quod fornaci calidæ immissum brevi intervallo vertitur in lapidem. Assertum S. Scripturæ v. 33. cit. capitis verificabitur quoque de te: *Non est reversus Jeroboam à vita sua pessima &c.* dum ab uno scelere in alterum & abinde in vitiorum voraginem deturbaberis, & audietur tandem de anima tua, quod v. 34. auditum de Domo Jeroboam: *eversa est, & deleta de superficie terræ.*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 14. & 15. lib. 3. Regum, in quibus describitur Vaticinium Ahiæ Prophetæ de pœnis Jeroboam ejus conjugi denunciatum. Secuta mors Jeroboam. Asæ pietas & fœdus cum Benadab.

Considera 1. CHristianos, extrinsecam tantummodo pietatem præse- *N.* 293.
ferentes, non ineptè comparari Conjugi Regis Jeroboam, de qua cap. 14 agit S. Script. asserens: Illam filiô suô ægrotante jussam esse à Rege, commutatô habitu accedere Prophetam Ahiam, ut ei ferat *decem panes, crustulam, & vas mellis*, quod studiosè præstitit, aliam mulierem habitu mentita; sed ocius divinâ revelatione à viro Dei agnita, audiit ab illo v. 7. cit. capitis: quare aliam te simulas? *ego autem sum missus ad te durus nuntius Vade, & dic Jeroboam &c.* remittebatur ergo: Regi horrendam Dei vindictam denuntiatura. Par planè responsum à Deo referent, qui fictô pietatis habitu non virum Dei, sed ipsum Deum accedunt, munera externæ tantùm Devotionis oblaturi. *Væ duplici corde*, ait Eccles. *& peccatori terram ingredienti duabûs viis.* Abulensis v. 7. in cap. 23. Matth. ad verbum *Væ!* reflectens, quod Christus sæpè in Pharisæos & Scribas fictè pios dicitur intonâsse, asserit: illud esse infelicissimum maledictionis nuncium. Hinc legitur Matthæi 20. Christum Dominum, postquam Pharisæos Hypocritas redarguisset, conversum ad ficulneam, foliis non fructibûs instructam, eam maledixisse. Quod factum jure meritô mirantur SS. PP.

id

id enim ex iræ impetu eveniſſe nemo dicet, qui Chriſtianè credit, nulli inordinato appetitui in Chriſto fuiſſe locum. Nec etiam videtur Dominus voluiſſe ficulneam punire, utpote incapacem culpæ, eò præſertim, quòd Marcô teſte nondum adeſſet tempus ficorum. Quare concludunt tandem: maledictionem illam Phariſæos Hypocritas tetigiſſe, in ficulnea merîs foliis inſtructa, præfiguratos; ut inde totus orbis diſceret, quàm exoſi Deo ſint homines illi, qui fictâ tantùm pietate & externâ Devotione ceù meris foliis Phariſæorum more ſanctitatis nomen aſſequi laborant. De his ergò exclamat Job. c. 20. *Gaudium Hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit uſque ad Cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur &c.* Unde enim Juſti præmia ſibi tollent, inde ſibi pœnas Hypocritæ. Ita Monachus ille, qui teſte S. Greg. M. Dialog. c. 38. Sanctitatem & abſtinentiam ſimulans, clam epulis & voluptatibus indulſerat, moriens larvam hanc exuere coactus eſt, dicens: datum ſe eſſe Draconi, qui jam pedes ejus caudâ ſtringeret, & os ſuum ori ejus inſereret, animam extracturus, quibûs dictîs vitam finiit, quàm vixerat peſſimam. Taceo Juliani Apoſtatæ interitum, quem in pœnam ſuæ Hypochriſis à Deo percuſſus ſubiit. Coronidis locô loquatur Iſaias, qui iram Dei contra peccatores Hypochritas hîs exprimit verbis cap. 34. inquiens: *Inebriatus eſt in zelô gladius meus, & ſuper Idumæam deſcendet, & ſuper Populum interfectionis ad Judicium. Gladius Domini repletus eſt de ſanguine agnorum & hircorum, de ſanguine medullatorum arietum.* Quem textum Prophetæ S. Antonius de Padua Serm. in Dom. 1. Advent. Sic interpretatur: *Gladius eſt poteſtas Domini, ulciſcens ſe de inimicis: repleta ſanguine & incraſſata adipe, id eſt: puniet peccata.* At verò quinam ſunt illi, qui talî gladiô caſtigantur? reponit ille: *qui ſunt de ſanguine agnorum, id eſt Hypocritarum, qui cùm ſint lupi, ſe agnos ſimulant.* Hîſce minîs, & exemplîs territus ô Chriſtiane! ſi quàm affictæ pietatis hactenùs es indutus veſtem cum uxore Jeroboam, eam quantocius exue: nam lata eſt ſententia Proverb. 32. *Abominatio Domini omnis illuſor &c.*

N. 294. *Conſidera* 2. Quòd etſi David non tantùm injuſtæ cædis, ſed & adulterii & vanæ gloriæ crimen admiſerit: tamen de eo dixerit S. Scriptura cap. 15. *Eò, quòd feciſſet rectum in oculis Domini, & non declinâſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctîs diebus vitæ ſuæ, exceptô ſermone Hethæi.* Quæ verba S. Scripturæ expendens quidam Interpres, ait: non quia in his peccatis (puta in adulterio & vana gloria, quæ præter cædem inju-

injustam Uriæ illi imputantur) non deliquerit, sed quoniam cædes Uriæ diu meditata, & altâ mente præconsiliata fuit. Adulterium autem exæstuans libidinis fervor, & nudæ pulchritudinis, subitò spectatæ blandimentum, etsi à peccato non excuset, illius tamen peccatum extenuat. At scelus Uriæ diu meditatum, callidè inventum, consilii diuturnitate morosum enormissimum est, & obstinationi confine. Horrendum illud exstitisse peccatum, à Judæorum turba in Salvatorem commissum, nemo inficias ibit, qui altius impia perpendit verba, quæ ex maledictis hujus turbæ faucibus effluxerant: *Tolle, tolle, crucifige* clamantibus. Sed si comparetur illi, quod perpetratum est à Pharisæis & Scribis velut festuca est, comparata cum trabe. Causam hujus detegit S. Matthæus dum ait: *Manè autem factô consiliûm inierunt omnes Principes Sacerdotes & Seniores Populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.* Ergò turbæ peccatum, vel ex ignorantia vel ex errore vel passione commissum, longè suâ malitiâ inferius est illô, quod à Sacerdotibus, Pharisæis & Scribis præmeditatè commissum. Dionysius Senior Tyrannus Plutarchô teste cùm intellexisset: duos adolescentes famam ejus denigrare, eos ad Cœnam regalem invitavit, opiparè tractandos. Ut verò ibidem advertit: unum liberiùs vino indulgere, eundem liberum à se dimisit, utpote credens: hunc ex nimio vini appetitu, & secutâ inde ebrietate sui non compotem, errore potius, quàm malitiâ peccare solitum esse. Alterum verò morte punivit, quem sobrium invenerat, ratus: eundem ex malitia delinquere consueviſſe. Non disparem in puniendis peccatis methodum videtur sequi divina Justitia. Peccata tua ò Christiane! præmeditatè commissa, severissimè punitura, veniam verò datura facilem delictis, ex errore vel passionis impetu perpetratis: hæc enim non obsunt, quô minùs dicatur de te, sicut de Asa dictum, v. 11. capitis cit. *Fecit Asa Rectum ante conspectum Domini, sicut fecerat David Pater ejus.*

Doctrina 4.

Desumptæ ex cap. 16. & 17. lib. 3. Regum, in quibus describitur Impietas Baasæ & Zambri in domo regia combusti. Rigor Eliæ, comminanntis sterilitatem terræ. Resuscitatio filii defuncti matris Sareptanæ.

Considera 1. PLurimîs hominibûs iræ nimiùm deditis idem evenire, quod evenerat Zambri, qui *amaricans* interpretatur. Ut enim *N.* 295.

enim ille S. Scripturâ teste cap. 18. se ipsum succendit cum Domo regiâ, quam fuerat ingressus, ita iracundus homo se ipsum comburit, calore hujus vitii succendens corpus & animam. Quod confirmat Eccles. cap. 30. dicens: *Zelus & iracundia minuunt dies.* Addit causam hujus Bellovacensis speculô moral. lib. 3. p. 5. dist. 1. scribens: *Ira hominis cor dilacerat, & corrodit, ut genniminta viperarum corpus & latera matris, ubi aluntur vermes corrodentes se, & dilacerantes, quos debet excutere è sinu suo, ubi nutrit.* Wenceslaus Bohemiæ Rex per leve verbulum ad iracundiam à pocillatore permotus, in apoplexiam incidit, & in paralysin, in qua velut porcus in volutabro decem & octo dies transigens, teste Cuspinianô turpissimam exhalavit animam. Matthias Corvinus Hungariæ Rex Neostadiô in Austria potitus, cùm die Palmarum ficus sibi jussisset apponi, selectiores autem haberi pro tunc non possent, adeò irâ intumuit, ut appoplecticus concideret, ac quasi in belluam mutatus, inter horridos, quos edebat mugitus, exspiraret. Tam horrendis exemplis haud dubiè territus Christiane, cogitabis, quæ remedia adhibeas frænandæ huic passioni, ne pares effectus in te quoque generet? talia si audire placet, suggeram tibi aliqua. Primum, & ut opinor, principale remedium iræ intra limites tenendæ, est frequens memoria miseri illius statûs, in quo versamur omnes, & vî cujus votis & spei nostræ contraria identidem occurrunt objecta. Quisquis ergò se ad talia æquô animô ferenda, antequam eveniant, per heroicam resignationem obarmaverit, tam facilî conatu iræ motus frænabit, quàm quis telum effugiet, quod à longè prævidet. Fervebat olim Romanos inter & Persas certamen & pugna grandis: cùm ecce in ipso prælii æstu Sol patitur Ecclypsin, magna ex parte obscuratus. Romani ante pugnam per Astronomos admoniti, nihil terroris ab his sumpsêre tenebris, sed macti animô, & mirâ fortitudine perexêre in hostem. Persæ autem cœlestî hâc novitate ceù telô improvisô perterriti, laxatô ordine ibant præcipites in fugam, nullîs Ducum aut monitîs, aut promissîs in pugna retenti; credebant enim non homines, sed & astra sibi esse inimica. Quod Persas in fugam egit, hoc plures Christianos in subitam effundit iram, unica videlicet improvisa fortunæ Ecclypsis, unica divitiarum, honoris, vel alterius amatæ rei jactura insperatò obveniens adeò eos perturbat, ut instar palearum à vento agitatarum, à passione iræ hâc illacque jactentur. Quod planè eis non evenisset, si sæpiùs humanarum rerum cursum non secundùm

dùm vota sua, sed secundùm veritatem multâ experientiâ comprobatam, metirentur, prævisîs malis, quæ tam facile est obtingere. Ut enim grues securæ per aërem volant, quando in ipso viæ principio saxum rostrô arripiunt, & arreptum constanter tenent: ita Christiani paccatô animô adversitates ferent, quas facilè occursuras priùs attentâ perpenderant mente. Alterum frænandæ iræ perutile remedium est, removere materiam, aut fugere occasionem iræ, hoc nobis suggerunt Barbari. Cothys Thracum Rex, cùm esset naturâ sæverior in corripiendis subditis, vascula dono accepta, affabrè elaborara, sed fragilia, ocius confregit, & demirantibus, cur id faceret? dixit: *ne sævirem in eos, qui fracturi erant.* Sic etiam Asverus, cùm contra Aman sibi assidentem excanduisset, surrexit de loco convivii, intrans hortum arboribus consitum Esther 7. ne præsente Aman aliquid in eum statueret, regiæ Dignitati injurium. Tertium remedium celeberrimus ille subministrat Monachus, dicere solitus: se ea de causa renuntiâsse terrenis rebus, ne occasionem haberet irascendi: *meum* enim illud & *tuum* etsi frigidum sit verbum, plurimarum tamen rixarum est incentivum, quod etiam ab Ephrem satìs cognitum, eum permovit, sæculo renuntiandi. Hæc remedia Christiane tibi sufficiant, ut non ambigo profutura, si debitè fuerint applicata.

Considera 2. Eliam piè rigidum, & amanter severum egisse partes veri parentis aut superioris, cujus est: non tantùm obedientibus blandiri filiis & subditis, sed etiam rebelles terrere pœnîs. Quare Regem Achab compellat cap. 17. *Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Parentum & superiorum moderatus rigor virga est, & teste David *virga directionis* Psal. 44. quæ per stolidum amorem aut timorem è manu excussa vertitur in colubrum, tam his, quàm illis nocivum. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps.* Eccles. 30. in quæ verba Hugo Card. ait: sicut equus indomitus & durus in præcipitium vadit, & se & sessorem suum interficit: sic filius indisciplinatus in peccatum ruit, & se & animam suam duplicî morte afficit. Si quis amicum, ex alta turri lapsum, pede apprehenderet sub ipso lapsu, eum hôc attactu vulnerans, & affligens, vitam tamen ei integram servans, planè quidquid foret de plaga, ingens ei beneficium præstaret servandô vitam. Haud secus summam filiis aut subditis conferunt gratiam parentes aut superiores illi, qui pœnîs eos ab interitu vitiorum præservant, haben- *N.* 296.

tes præ oculis mentis suæ illud factum Eliæ v. 19. hujus cap. qui filium è molli sinu matris, in quo jacebat mortuus, abreptum, duro imposuit lectulo, & impositum revocavit ad vitam.

FASCICULUS XLIV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 18. & 19. lib. 3. Regum, in quibus describitur Eliæ Sacra audacia in corripiendo Achab Rege. Ejus Sacrificium & confusio Baalitarum. Fuga Eliæ à facie Jezabel. Panis ab Angelo fugienti porrectus. Elisæi vocatio & unctio.

N.297. Considera 1. QUantam audaciam Deus inspiret viris, veræ pietati & zelo honoris sui addictis: quippe Elias hîc sibi obvium habens Regem Achab, in furias actum, & in has voces erumpentem cap. 18. v. 18. *Tu es, qui conturbas Israël.* Ne quidquam inde territus, retulit ocius: *non ego te turbavi, sed tu, & Domus Patris tui.* Strenuè ad propositum isthoc discurrit S. Chrysost. Homil. 5. ad Popul. asserens: *Elias non spectavit Diadema, sed animam sordibûs indutam, squalentem, & omnî Reô miseriùs affectam respiciebat, & ipsum intuitus captum esse, & vitiorum servum, ipsius Principatum contempsit &c.* Observat Philo Hebræus: Moysen divinam legem universo Populo inculcantem, non aliter fuisse locutum, ac si ad unicum tantummodò virum verba dirigeret, ajebat enim: *Non habebis Deos alienos.* ut disceret inde Posteritas: Hominem divinæ legis studiosum, & zelô honoris ejus plenum, tam parum formidinis concipere à conferta multitudine, quam haberet corrigendam, ac ab unico tantùm homine. Hinc S. Hieronymus generosissimum zelotem Christum ipsum considerans, profitetur: sibi verba deesse, quibûs heroicum illud factum satìs deprædicet, quod edidit ejiciendô omnes vendentes & ementes de Templo. Causam verò animositatis hujus assignat Euthymius dicens:

quòd

quòd Christus unus solusque tam imperterritò animò plurimos aggressus sit, debebatur ejus vitæ, ab omni peccato remotissimæ. O Christiane Superior! quid est causæ: quòd ita trepides, aliorum crimina culpaturus, nisi defectus solidæ pietatis & zeli, quem reperis in te, metuens: ne tibi contingat, quod impiis contigit Prophetis Baal, quorum clamores irrisit Elias? v. 27. cap. citati, qui solus de se ipse testari poterat v. 36. *& ego servus tuus, & juxta Præceptum tuum feci &c.* ac proin effecit: ut caderet ignis Domini de Cœlo, & voraret Holocaustum, vidensque illud Populus prolaberetur in faciem, exclamans; v. 40. *Dominus ipse est Deus.*

Considera 2. Quemlibet Christianum insidias Mundi fugientem, frequentur audire eadem verba, quibûs Angelus Eliam fugitivum à facie Jezabel, & sub Junipero decumbentem fuerat allocutus cap. 19. dicens: *surge, & comede; grandis enim tibi restat via &c.* At quæres: quinam iste cibus, quô refici oporteat? respondet Glossa: *sicut corpus sine alimento subsistere nequit, ita nec anima vivere potest sine verbo Dei. Elias bis pastus exprimit naturæ nostræ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, sed duplex quatenùs ad superna valeamus ascendere.* Cœlestis Magister noster Christus Dominus in oratione sua docet: æternum Patrem hîs rogare verbîs: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quam Doctrinam expendens Doctor Angelic. Opuscul. Orat. Dom. ait: *invenitur & alius duplex panis, videlicet sacramentalis, & verbi Dei.* Non postremum inter ea, quæ Deus olim Moysi dederat Præcepta, fuit illud Exodi 25. legendum: *pones super Mensam panes Propositionis in conspectu meo semper.* Per quos penes non tantùm divina figurabatur Providentia, duodecim Tribus Israël materialî pane sustentans, sed vèl maximè spiritualis verbi divini panis eos recreans, & in bono conservans, prout explicat Venerab. Beda noster tom. 4. lib. de Tabern. 1. cap. 7. sic scribens: *Panes Propositionis super Mensam semper positi Doctores sunt spirituales, qui in lege Domini meditantes die ac nocte, cunctis Ecclesiam intrantibus refectionem verbi cœlestis offerunt &c.* æstimaverant præstantiam horum panum Turbæ illæ, quæ integrô triduô auscultabant Christo concionanti, panem materialem quasi penitùs interim oblitæ. Æstimaverant panes illos paritur Populi, qui Antonium Paduanum prædicantem etiam ardente sole & stillante pluviâ sub Dio audiebant. Imò usu rationis & omni sensu expertes lapides æstimavêre hos panes: cùm enim teste Raderô in vita Venerab. Bedæ vir Sanctus ob penuriam Auditorum concioni ci- *N.298.*

tiùs finem imponeret, lapides reſponderunt: *Amen venerabilis Pater.* Econtra reperire eſt proh pudor! creaturas, & ſenſu & ratione præditas, homines videlicet, & quidem verâ fide imbutos, qui parum, aut nihil æſtimant ſacros hoſce panes. Ejusmodi ſunt, qui graviorum flagitiorum ſibi conſcii metuunt, ne carpantur, unde Eccleſiaſt. 21. dicitur: *audivit luxuriosus, & displicebit ei, & projiciet illud post tergum suum.* Sicut qui gravî nauſeâ laborant ipſô etiam cibi aſpectu torquentur: ita illis ſola verbi Dei memoria bilem movet. Nec mirum teſte S. Ambroſiô in Pſal. 118. *quomodo enim possunt verba Dei dulcia esse in faucibus ejus, in quibus est amaritudo nequitiæ?* licèt cæteroquin acceptiſſimus eſſet Herodi Joannes, ferre tamen eum nullatenùs potuit, quando contra ejus notam libidinem cæpit verba facere, inquiens: *non licet tibi habere uxorem fratris tui &c.* credo, ejusdem farinæ fuiſſe ruſticum illum, de quo Cardin. Vitriacenſis Serm. 290. ſequentia narrat. Obſtinaverat is animum ad nullam unquam concionem audiendam: quare ad prima concinantis verba è Templo ſemper ſe proripiebat, annîs non paucîs in hac verbi divini maledicta nauſea transactîs, moritur miſer, & pro patrio more defuncti cadaver infertur Templo. Sed ecce! dum ſolemnes Eccleſiæ preces mœſtô cantu pro eo perſolvuntur: Crucifixi Imago utramque manum è clavis, quibus figebatur, ſolutam capiti applicat, ambas aures inſertîs digitîs occludens. Parochus ad auditores rei novitate ſtupefactos & territos converſus, ait: quia hic dum viveret, occluſit aures verbo Dei; hinc Deus juſtô judiciô preces noſtras recuſat audire, quas fundimus pro hujus miſerrimè mortui anima. Habeat ergo Infernus corpus iſthoc, cujus animam jam poſſidet, æternîs cremandam ignibûs. Abrumpens ergo preces & cantum, cadaver aſini ſepulturæ intulit. Eſt porrò alios reperire inter Chriſtianos, qui ea de cauſa nauſeant hos ſacros panes, quod ſibi perſuadeant, ſe ſufficienti ſcientiâ inſtructos, aliorum monitis neutiquam indigere, Phariſæorum æmuli, qui ſuis ſapientes in oculis, flocci æſtimaverant verba Chriſti, juxta illud Joan. 7. *Nunquid ex Pharisæis credidit in eum aliquis?* at quàm ingens eſt talium Doctorum ſtultitia. Eſt enim perinde, ac ſi quis putaret, agris ſuis pluvias non eſſe neceſſarias ea de cauſa, quod vivus aliquis rivulus illos percurrat. Quis ſapientior Moyſe? & tamen à Jethro homine rudi ſalutaribûs debuit conſiliîs erudiri? quis in lege divina verſatior Davide, utpote qui de ſe Pſal. 50. teſtatur; *occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Et tamen

divini

divini verbi Panibûs à Nathan accipiendis indiguit? S. Chrysostomus nil nisi aurum innatâ sibi facundiâ loquebatur, & tamen moneri se passus est à muliercula, ut subtiliorem in dicendo deponeret stylum, & planiorî diceret. Sicut Medici, licèt in sua arte peritissimi, quando graviter decumbunt, se aliorum curæ committunt, ita plane Christianus, etsi in Lege Dei se credat optimè eruditum esse; tamen verbi divini Pabulum non nauseare debet, ab altero sibi porrigendum: nam & pisces marini, etsi in salso semper vivant, sale nihilominùs ad condiendum indigent. Ita si quis sibi persuadeat, ob infusam, aut acquisitam rerum divinarum scientiam se salsum satis esse, nihilominùs aures aliis prædicantibus aperiat, ut magìs salietur. Christiane Lector: cùm sperem, te talium hominum de numero non esse, quibus aut scelerum ingluvies, aut inanis sapientiæ tumor nauseam erga sacros divini verbi Panes movet; hinc monitis S. Augustini haud dubiè promptas dabis aures, quibûs Serm. 56. de tempore Christianos cum Elia Jezabelem, mundum videlicet fugientes alloquitur, dicens: *plus semper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus, quia intus in homine interiori facti sumus ad Imaginem Dei, in carne autem de limo terræ sumus formati. Et videte fratres: si justum est, ut caro nostra de terra facta interdum bis in die capiat cibum, & anima, quæ Imago Dei est, vix post plures dies accipiat verbum: cùm tamen expediat nobis: ut amplius Dei Imaginem in nobis, quàm nostram carnem honorare debeamus.* Juxta exemplum Elisæi relinquere nos oportet boves v. 20. cap. citati, id est terrena negotia, & currendum post Eliam, ut verbi divini Pabulô recreemur in anima.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 20. & 21. lib. 3. Regum, in quibus describitur duplex Victoria Achabi, de Benedad reportata. Impia commiseratio cum victo habita. Achabi avaritia & concupiscentia vineæ. Naboth. Jezabelis sævitia &c.

Considera 1. & admirare: quod Deus Achab Regi impiissimo & rebelli victoriam ab hoste reportandam denunciari jubeat per Prophetam, & hanc quidem duplicem, ut S. Script. testatur. Quæres autem, quæ causa hujus duplicis victoriæ, etiam pessimo, & neutiquam talem gratiam promerito Principi concessæ? respondeo; eam detegi *N.* 299.

gi à S. Scriptura, dum Syrorum blasphemias, in Deum effusas explicat: *maledicti* enim *erunt* Tobiæ 5. *qui contempserint, & condemnati erunt, qui blasphemaverint te.* Fuerit ergo rebellis, & divinis injurius mandatis Achab, blasphemus tamen non fuit Syrorum instar: atque majori hinc veniâ dignus. Est enim tam horrendum scelus blasphemia teste S. Bernardô Serm. 2. de convers. Pauli *quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis sacrilegas injecerunt manus.* Eccles. cap. 26. blasphemiam appellat *flagellum linguæ:* flagellum autem non verbera tantùm, sed gravissimam quoque infert injuriam, utpote destinatum abjectissimis mancipiis supplicium, longè majori dolore mentem, quàm tergum plagis vulnerans. Quare Pontifices Judæorum ad insaniam usque Christo Domino indignati: quô gravius eum affligerent, non manus, sed linguas in eum armârunt, exclamantes Jeremiæ 10. *venite, percutiamus eum linguâ.* Dicturi per hoc: cædant ministri Christum flagellis & colaphis, coronent caput ejus spinis, ac demum è crucis stipite eum suspendant, nos aliud his suppliciis gravius effundemus in illum, percutiendô linguâ. Hinc S. testatur Matth. 27. *prætereuntes blasphemabant eum.* Si porrô exactiùs perpendo enormitatem hujus gravissimi sceleris, dicam intrepidè; blasphemos Deum majori ludibrio ipsis Dæmonibus afficere; Hi enim animô tantùm injurii in Deum esse possunt, illi verò & animô & linguâ illum contemptui habent. Dæmones si maledicunt Deo, meledicunt illis, quatenùs gravissimis ab eo pœnis torquentur; Christiani vero cùm maledicunt Deo, maledicunt illi, quem sciunt amantissimum parentem, largissimum benefactorem suum, sicque crudelissimè invadunt, lacerantquè ipsam manum, quæ suavissimè ipsis blanditur, & innumeris eos ditat donis. Quis quæso canis majorem in rabiem agi potest illô, qui non solùm patremfamilias mordet, sed etiam tunc mordet, quando panem ei porrigit? quare ò Christiane Lector! etsi gravia & multa sint peccata, quibus Deô fuisti injurius; veniam tamen de omnibus illis spera, quin & gratiam à Deo te pœnitentem obtenturum non dubita; dummodo blasphemus non sis; nam effatum Christi est Matth. 3. *qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum.* Quid enim aliud est blasphemare, quàm ipsum Medicum, à quo curandus es, repellere? isthæc nimirum causa fuberat, cur Dominus è cruce pendens fructum suæ crucis, salutem videlicet æternam, denegaverit sinistro Latroni, quem tamen imper-

impertitus est dextro; quia ille Medicum salutis per blasphemias à se abjecit. *Si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* & planè ex ipsa sua natura nil habet blasphemia, quod veniam mereatur: nec enim ignorantiam neque infirmitatem allegare poterit aliorum scelerum more, angelicum illud immitans peccatum, ex mera malitia profectum. Sicut canis retibûs explicatus, rarissimè explicabitur, quia morsibus impetere solet liberatorem suum, ita blasphemus veniam à Deo sperare nullatenùs poterit, quem mendacî linguâ impetit. In vita S. Joan. Chrysost. legere est: cùm Sanctus iste in Sanctissimæ Trinitatis laudes aureum os aperiret, grates referens pro annuis frugibus ab ea acceptis, Authemium respondisse blasphemâ linguâ: *Non Christus, sed elementa Mundi temporibus suis eos producunt Deorum providentiâ.* Nondum finierat has voces blasphemus, jam malignô Spiritu possessus, terræque allisus miserè jacet rugiens, & ingentî terrore percutit spectantes, a temporalibus hisce (ut non ambigo) transiens ad æternas blasphemias. Viderint ergo Reges & Principes, Magistratus & Judices, qui tam enorme crimen impunitum relinqunt, quas pœnas ipsi incurrant, & quomodo Judici tremendo rationem reddant impiæ Clementiæ? erunt haud dubiè in extremo Judicio cum Rege Achab, victô à se Benadad parcenti, à Christo Domino audituri. *Quia dimisisti virum dignum morte manu tua, erit anima tua pro anima ejus &c.* v. ult. capitis hujus.

Considera 2. Quàm clarô exemplô Verbîs Christi Domini, divi- *N.* 300.
tias spinis comparantis, præluserit Achab; hic enim teste S. Scripturâ cap. 21. Sceptrum Regni magnâ tranquillitate gubernans, & summâ ærarii sui abundantiâ fruens, ut audiit: se vineam Naboth consequi non posse, cui tamen avidissimè inhiabat: *projiciens se in Lectulum avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* v. 4. capitis cit. in quæ verba S. Ambros. ait: *non manducavit panem, quoniam quærebat alienum; etenim divites magis alienum panem, quàm suum manducant, qui raptu vivunt.* Verùm quid illi in hoc pane alieno, nisi vepres & spinas comedunt, quibûs diu noctuque eorum pectora torquentur? quid in lectulum se projiciunt cum Rege Achab, cùm tamen inter mollissimas etiam plumas nullam sint quietem habituri? en! quomodo miserrimus iste Rex in tanta divitiarum affluentia pungatur ab unica vinea, non antea requiem se obtenturum cre-

dens, antequam tumulo lapidum innocentem Naboth involvisset. Imò tunc primùm novis & horrendis cruciandus curis, quando votô suô potitus, auditurus est proclamatam in se & uxorem suam, Dæmone pejorem, Dei vindictam. Precabatur olim Abraham Gen. 23. ut Ephron filius Sophor speluncam duplicem sibi justô venderet pretiô. Annuit ille, tam speluncam, quàm pretium pro ea oblatum donans petenti. Abraham verò relatis pro hac gratia gratis, agrum gratis accipere nullatenùs voluit, dicens ibidem: *quæso, ut audias me, dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo.* Putaverat ergo Abraham, retentis pecuniis securam quietem nec se, nec corpus defuncti habiturum. Quare ò christiane Lector, si tibi ad manum sint divitiæ, iis haud aliter utere, quàm eô modô, quô spinis & tribulis uti solet agricola: has ille eradicat è terra, in sepes adaptans, quibûs agros suos à ferarum incursibus custodiat: ita inquam utere illis: animam tuam ab incursu Dæmonum defensurus, & positurus in requie, tam hîc quàm ibi possidenda, liberaliter eas in pauperum manus distribue, ex Thesauro tuo instar spinas è terra extractas.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 22. lib. 3. Regum, in quibus describitur Regis Achab deceptio, facta per falsos Prophetas, ejus cædes &c.

N. 301. *Considera*: PLurimos reperiri Christianos, qui cum Rege Achab aures occludant Veritati, quam Spiritus Sanctus Spiritus æternæ Veritatis per pias Inspirationes eisdem immittit: cùm econtra benevolas aures præbeant falsis Prophetis, à quibus decepti cum Achab tam in anima quàm corpore pereunt. Quæres: quinam hi mendaces Prophetæ? respondeo: illos esse *Mundum, carnem & Dæmonem.* Promittit Mundus gaudia, sed dat mœrorem. Promittit quietem, sed millê curis onerat mentem. Promittit altissimos honorum & dignitatum gradus, sed quam plurimos ad infima abjicit servitia. Stare promittit, sed recedit, onagri instar se gerens, quod animal viatore conspectô in iisdem stat vestigiis, sed ùt advertit sibi approqinquantem Eurô sagittaque velociùs fugit. Ajunt: Heliogabalum Imperatorem folles, ventô distentos pro subselliis jussisse

sisse apponi convivis, quos prandentibûs illis reflabat, ut concidentibus repente follibûs sub mensis reperirentur delusi convivæ. Ita illudit Mundus, vana gloriæ spe ceù ventô plures in altum elevat, quos tamen derepentè cadere facit. Sic illusit Baltasaro Regi & mille optimatibus ejus, qui dum biberent è vasis Templi sacris, & laudarent Deos suos, à Cyro Babylonem noctu occupante oppressi subitò, & interfecti sunt *Daniel.* 5. quibus idcircò strenuè illudet Veritatis Præco Isajas cap. 21. dicens: *pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite Principes, arripite clypeum.* q. d. sera nimis est custodia, quam vestro corpori defendendo assumitis, serò ad arma confugitis abhostibus præventi, moriendum nunc est vobis, qui paulò ante nil minùs, quam de morte cogitastis, à Mundo longam vitam cum Victoria promittente delusi. Historiæ PP. Dominicanorum narrant de Rolando: quod cum Festum diem solemnibûs epulis & choreis consumpsisset, & tandem vespere ad se reversus diceret: *hem! ubi nunc est Festum, quod egimus? ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abiit?* juxta hujus diei adeò fugacis exemplar alios quoque dies futuros autumans, statuit ociùs mundo nuntium remittere. Nec mora: vix altera dies illuxit, Rolandus sæculum omne exuit, Religiosum Sanctitate & Doctrinâ clarissumum indutus. Platô teste lib. 3. Petrus Consalvus juvenis opibûs & nobilitate stematis celeber, dum equô superbô vectus, publicas transvolaret plateas, subitò dejicitur in lutum, risu omnium spectatorum exceptus. Quô factô adeò erga Mundum excanduit: ut in has querulas erumperet veces: quandoquidem tibi tamdiu (Munde) inserviens, tam malè tractatus sim à te: hinc pârî mensurâ remetiar tibi. Mundo igitur obvertens tergum, ad Dominicanos se contulit, Religiosum ibidem professus. Belisarius tot exercituum victor, omnem suam gloriam cum ipsis oculis perdidit, ut ejus miserabilî exemplô discerent posteri, malignô oculô Mundum aspicere, qui instar falsissimi Prophetæ suis amatoribus ita illudit.

Caro secundum inter falsos Prophetam agens, spondet felicem vitam, si homo sequatur voluptatem: sed præter æternam animæ mortem, corporis quoque mortem accelerat: deliciæ enim, ciborum varietas, Bacchi immoderatus usus, somnus longior, irrefrænata venus, quid aliud generant, quàm fatales morbos & vitam brevem? caro sane est simillima Jaheli, quæ fugienti Siseræ Judic. 4. obviam

ivit, blandissimîs eum salutans verbîs: *intra ad me Domine! intra: ne timeas.* Verùm largiter ab illa refectus, dum somnum caperet largiorem, somnum mortis incurrit, clavô per tempora adactô. Recte ergo Socrates apud Platon. de ea asserit: *Voluptas quasi clavum tenens, animum corpori conjungit, atque affigit, efficitque: ut infectus specie corporeâ ea putet esse vera, quæ suadet corpus.* Sed deceptum se serò nimìs ingemit. Pytagoras vetuit ea gustare, quæ nigram deferunt caudam. Talem escam meritò dixeris esse decipulam carnis voluptatem, quæ suâ dulcedine in initio blanditur, sed in finem desinit amarissimum, etiam instar sirenis arridet pulchrâ mulieris facie, sed caudam defert serpentinam & venenô lethalî plenam: adeò, ut verissimè de ea dixerit Salomon Prov. 5. *favus distillans labia meretricis, novissima autem illius, quasi absynthium.* Dio orat. 4. scribit: Festum à Persis celebrari, *Saccarorum dies* appellatum, quô ex captivorum numero aliquis in regio collocetur Throno, regalî vestiatur ornatu, concubinîs utatur pro libitu, agat demum omnia impunè: donec finitîs hisce Regni diebûs exutus vestitu cædatur, cæsusque suspendatur. Talem haud dubiè subeunt sortem, qui abjectîs Dei sanæque rationis legibûs carni se captivos tradunt, ejus deliciîs fructuri. Deterrimus tandem Pseudoprophetarum Dæmon mentitur, promittens ea, quæ cujusque Genio putat esse accommoda, mille formarum Protheus. Sic enim promittit ambitiosis honores, curiosis scientias, avaris opes, luxuriosis voluptates &c. Et quod inter tot promissa pessimum est: falsissimam de æterna salute promittit securitatem. Quô fit, deceptos homines cum temporalibus perdere æterna. O Christiane! quoties tu talibus Prophetis faciles hucusque præbuisti aures? disce tandem Regis Achab & aliorum miserandô casu sapere, obsequens tantùm illis consiliis, quæ Spiritus Veritatis de Mundi contemptu, de mortificatione carnis, de amando Deo tibi suggerit.

(o)

FASCI-

FASCICULUS XLV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 4. Regum, in quibus describitur Consilium Ochoziæ à Beelzebub petitum, militum ab Ochoziæ ad Eliam missorum interitus. Raptus Eliæ in Cœlum, divisio aquarum per Elisæum, pœna puerorum huic Prophetæ illudentium.

Considera 1. HOrrendum illud supplicium, quô missos ab Ochozia Rege milites affecit Cœlum cap. 1. dum ad Imperium Eliæ ultor ignis descendens omnes consumpsit. Non dispar supplicium manet eos, qui vel propriô motu, vel aliorum imperiô injurias non verentur inferre Sacerdotibus, quos quidem velut Eliam cum militibus illis vocant *Homines Dei*, & *altissimi Ministros*, attamen vilissimorum instar scurrarum quâ verbîs quâ factîs tractant. S. Cyprianus comminatoria Christi verba: *qui dixerit fratri suo: fatue, reus erit Gehennæ &c.* Matth. 5. ponderans ait: *quomodo possunt censuram Dei altissimi evadere, qui talia ingerunt non tantùm fratribus sed & Sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei Dignitate conceditur, ut in ipsis contemptis ipse contemptus esse censeatur.* Gravem hanc Dei censuram Ozias Rex 3. Reg. 13. qui minari ausus Azariæ & allis Sacerdotibus se increpantibus, leprâ percussus est. Jeroboam 3. Reg 13. extendens manum contra Prophetam Domini, eum jubens apprehendi, illam exaruisse vidit. Euthimius quidam, ut refert Baron. ad an. 380. domô in proximo conducta, & paratô curru per integrum exspectabat annum, ut occasionem nactus, Ambrosium veheret in exilium, ad hoc scelus à Justina Imperatrice instigatus. Evoluto autem annô Talionis pœnam sensit, in exilium deportatus, Ambrosiô ipsum Viaticô prosequente. Eôdem annô cum Ambrosius sua sederet in cathedra, & una de Arianis Virginibus tribunal conscendens, eum apprehensô vestimentô niteretur ad partem mulierum trahere, ab ipsis cædendum, & ex Ecclesia pellendum, alterô die obiit, ab Ambrosio, nolen-

N. 302.

nolente malum pro malo reddere, ad sepulchrum usque deducta. Nil refero de Macedonio Hæreticorum fautore, qui Ambrosium aliquando ab ingressu Prætorii excludens, cùm postea confugeret ad Ecclesiam, apertis januis aditum reperire non potuit. Talibus exemplis, ut opinor, inductus Basilius Imperator, tantùm honorem & Reverentiam, quin & obedientiam Sacerdotibus præstari voluit, ut Filium suum seriis hisce hortaretur verbis: *Honor, qui Sacerdotibus defertur, ad Deum refertur, & sicut Ministros tuos in honore haberi justum est, ita & propter Deum Sacerdotes ejus magnificare Sanctum.* Basilium ut ætate, ita & reverentia erga Sacerdotium præcedens Constantinus M. Imperator: oblatos sibi in Nicæno Concilio libellos, de vitiis Sacerdotum tractantes, legere recusavit, inquiens: *Sacerdotum vitia non sunt Populo aperienda, ne it inde causa offendiculi acceptâ licenter peccare aggrediatur.* Dicebat pariter: se Sacerdotem sceleri operam dantem si cerneret, regali Purpurâ contecturum. Alexander M. etsi veræ fidei expers esset, falsorum Deorum Cultui addictus, attamen Josephô teste lib. 11. antiquitat. cùm haberet sibi obvium Sacerdotem Jaddo, Pontificali ornatu vestitum, summa cum veneratione eum excepit gratiose annuens omnibus ejus petitis. At dicet nonnullus sæcularium, plurimos Sacerdotum modernô tempore reperiri, homines de infima plebe natos, & hinc honoris indignos. Reponet eis S. Chrysost. homil. 3. in 2. Corinth. *etiamsi simus indigni: Legati tamen quicunque illi fuerint, propter Legationis Dignitatem multum honorem consequuntur.* Amasias Ægypti Rex de plebe natales trahens, quando sensit parum honoris sibi hac de causa deferri, jussit catinum aureum sibi afferri, in quo ipse & convivæ priusquàm regali accumbebant mensæ, pedes lavabant. Dein ex catino aureo mandavit Idolum confici, publico exponendum Cultui in Altari primario. Utque viditi, certatim populos ad cultum Idoli hujus confluere, eosdem alloquens dixit: scitisne, ex qua materia Idolum hoc fabricatum sit? utique ex catino, lavandis pedum sordibus priùs destinato? sim parentibus ergo licèt humilibus in lucem editus, supremus tamen mihi debetur honor, tanquam homini in Regem assumpto. *Ita Herodet lib.* 3. Haud aliter de sacerdotibus ex plebe natis discurre Christiane Lector. Suppliciô igitur impii Ochoziæ & aliorum deterritus, quà verbis, quâ factis honorem Sacerdotibus debitum non denega, considerans: quâ Reverentiâ salutet Eliam quinquagenarius tertius, à Rege ad ipsum missus v. 13. cap. cit. dum asserit de illo S. Script. *qui cùm venisset, curvavit genua coram Elia &c.*

Con-

Considera 2. Eliam igneô curru ex hoc Mundo abductum, veri- *N.*303.
tatem illius adagii: *qualis vita, finis ita,* suô probare exemplô. Quamdiu Elias hîc viatorem egit, ignis erat, *& verbum ejus quasi facula ardebat* Eccles. 48. Atque hinc, qui instar ignis vixerat, è vita hac in igne avehi debuit, S. Ambros. in ultimo vitæ suæ puncto constitutus, cùm cerneret alios deplorare discessum suum, talibûs eos legitur animâsse verbîs: *non sic vixi, ut pudeat ultrà vos inter vivere, sed nec mori timeo &c.* S. Laurent. Justin. jamjam abiturus: *abite,* inquiebat domesticis lacrymantibus, *abite hinc cum vestris lacrymis, tempus lætitiæ est non lacrymarum. Pudeat vos, mortem timere: cùm Dominus noster Jesus Christus, in cujus conspectu decumbo, propter nos in cruce decumbere voluerit. Hanc diem semper ob oculos habui. Tu scis Domine Jesu!* Surius 8. Janu. S. Hilarius in latrones lapsus, & interrogatus: an mortis metu afficeretur? ociùs retulit Mauriliô teste lib. 5. *Mori non timet, qui semper mori paratus est.* Sicut aqua saporem contrahit terræ, quam transit, fluens sulphurea aut salsa, si talî qualitate affectam repererit terram: ita mors saporem vitæ induit. Hinc optimè asserit S. Bonavent. Serm. 2. Dom. 15. Pentec. *Nihil in homine moritur, quod in eo antea non vixit; unde manus mea, pes meus, & alia membra, quæ in me non vivunt, in morte in me mori non possunt. Sic in Domino moritur, quicunque est membrum Domini per fidem & amorem. Nullus in eo moritur, qui non vixit in eo.* Scholasticos inter fuerat olim in controversiam deducta quæstio: quid sit mors? ubi in varias itum est sententias, respondente Saphocle: mortem esse ultimum morborum medicum, utpote quæ omnibus corporum infirmitatibus finem imponat. Aliter censuit Sotades, asserens: mortem esse mortalium omnium portum. Credebat enim, nos omnes in hac vita haud aliter, quàm in mari turbido jactari, & mille procellîs concuti, à quibus per solam mortem in tuto ponamur. Tertuliano placuit mortem vocare ultimam quæstionum omnium: is enim æstimaverat, vitam nostram esse simillimam scholæ, in qua varias quæstiones moveri & motas discuti necessum sit, quas inter difficillima ipsa mors, utpote quam declinare nullus valeat Grammatista, nullus Rhetor satìs explicare, definire nullus Philosopus Aristoteles suam quoque declaturus mentem, mortem nominat: terribilium omnium terribilissimum. Limitat verò opinionem istam S. Augustinus lib. de civit. Dei dicens: *Mors mala putanda non est, quam bona vita præcessit.* Sicque appositè ad nostrum loquitur propositum, sentiens nobiscum, mortem

esse *echonem* vitæ, illis haud dubiè summè terribilem, qui vitam duxissent virtuti dissonam, suavem verò illis, quorum vita bonos mores & virtutum actus resonâsset. Posteriorem hujus nostræ sententiæ partem probavêre exempla præcedentia: primam verò demonstrabunt sequentia. Antiochus per omnia scelera, maximè verò per tyrannicam crudelitatem & superbiam in vita sua vagatus, teste S. Scripturâ 2. Machab. 9. *Pessimè percussus &c. peregrè in montibus miserabili obitu est vitâ functus.* Herodes Rex, cujus sceleſtam vitam nemo nescit, Actor. 12. *consumptus à vermibus, exspiravit.* Quis ergò (ut alia Scripturæ exempla silentio involvam) præfatæ non subscribat sententiæ? placeat unum aliud recentius audire, quod Londini in Anglia obtigit Annô 1596. eô tempore lethalî correptus morbô, ægrè ultimum trahebat Spiritum Baro de Hounsden, Reginæ Elisabethæ à consiliis. Hic paucîs ante obitum diebûs horrendum spectaculum suis sensit objectum oculis. Intuebatur nempe complures ejusdem consilii Anglicani Senatores, quos Engelgrav. in luce Evangel. p. 2. D. 3. Advent. §. 1. ex ordine descriptos affert, ego autem brevitatis studiosus nunc taceo. Intuebatur inquam eos, igneîs togîs circumdatos, quos paulò ante noverat mortuos. Nec suffecerat, illum hôc aspectu terreri, quin & terreri debuit tremendô auditu. Illi enim ei nuntium deferebant; futurum perbrevi, ut eorum assectam inter pœnas infernales ageret. Jubent adhæc, ut par nuntium Guilielmo Cæcilio thesaurario intimet. Hæc omnia uti contingerant, invisentibus se enarravit Baro de Hounsden, ingentî terrore perculsus. Erat inter illos, qui Baronem convenerant nobilis quædam fœmina, quæ de tali spectaculo certior reddi cupiens, ab illo intellexit: verissimà illa omnia & oculis & auribus suis objecta esse, ac proin de salute sua conclamatum. Cumque illa instaret: nihilnè spei aut remedii supereſſet? respondit, aliud non suppetere, nisi ut excogitetur modus & via, quâ Sacerdos orthodoxæ fidei ad se accessum habeat: conscientia dictante, extra Ecclesiam salvari neminem. Hæc prolocutus, horrendum vociferabatur, & nullum veræ pœnitentiæ signum præferens, vitam quam inter vitia egerat miserrima clausit morte. Talibûs exemplîs non parum territus exclamabis Christiane Lector cum Balaam: *moriatur anima mea morte Justorum!* at carebit vox votumque istud optatô effectu, si dum vivis, non vivas vitâ Justorum. Planè non discedes cum *Elia* igneus, si vixeris aquæ instar frigidus aut tepidus. Esto igitur in vita tua sollicitus

citus cum Elisæo discipulo Eliæ, ut ambules juxta spiritum tibi desuper datum. Divide patientiæ palliô undas tribulationum, quæ tibi occurrunt in hac vita mortali. *Sale* bonorum operum & meritorum amaram mortis corporeæ memoriam *salias*, & illa *dulcorabitur*. Non cures, si pietati & simplicitati tuæ à perversis hujus mundi pueris (ut hîc Elisæo obtigit) illudatur. Sentiant illi vindictam Dei, ab infernalibus ursis lacerandi.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. 4. & 5. lib. 4. Regum, in quibus describitur Jorami & sociorum expeditio in Moab. Moabi factum in mactato filio. Multiplicatio Olei per Elisæum, & resuscitatio mortuorum. Naaman leprosi curatio, & conversio. Giezi Simonia & lepra.

Considera 1. TOtum genus humanum à tribus juratissimis hostibus, carne, Mundo & Dæmone cinctum, ceù alterum Regem Moab à tribus hostibus in extremas angustias redactum esse, ut nullus supterfuerit fugæ salutique locus: horrendâ enim clade per primum protoparentis delictum periisset totum; nî Pater æternus *Moabi* factum imitatus, primogenitum filium suum obtulisset in Holocaustum, exclamans apud Isiam cap. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Ex quo tempore facta est *indignatio magna in hostibus*, loquar verbîs S. Script. citati capitis; *& recesserunt ab eo, & reversi sunt in terram suam &c.* quin imò non tantùm ad extrema salutis venerat genus humanum, sed jam actu instar *pueris Sunamitidis* ob calorem concupiscentiæ, quô caput illius, Adamus videlicet scientiam divinam appetens, laboraverat, jam mortuum fuerat: Sed hem! verbum Patris hominem extinctum ut redderet vitæ gratiæ, Elisæum egit, primò mittens Giezi, nempe Ministros suos, viros Sanctitate & Miraculorum donô clarissimos, qui baculum Sacræ Doctrinæ imponerent spiritualiter mortuo, & eum revocarent ad vitam gratiæ. *At non erat vox, neque sensus* cap. 4. v. 31. Tandem ergo Deus assumptâ carne Elisæum indutus, ingrediebatur Domum hujus Mundi, & incumbens super puerum mortuum calefecit eum Doctrinâ suâ, & revixit. *In Elisæo* inquit S. Ambros. Epist. 17. *Figura Domini præcessit, qui projecit se, ut mortuum erigeret, in quo Symbolum est: quòd nobis Christus commortuus sit, ut nobis*

bis resurgeret. Projecit se itaque usque ad nostram Christus fragilitatem, ut nos erigeret. Projecit se, non cecidit, sed erexit consortem. ò Christiane tam insigne cœlestis Elisæi considerans beneficium, imitare gratissimam Sunamitidem, faciens cœnaculum parvum in domo pectoris tui, in quo ei omnia ministres, ad debitum ejus Cultum necessaria. En! quàm largum se offerat Ille, si te in ejus Ministerio sedulum instar Sunamitidis repererit. Asserit namque v. 13. citati cap. *Quid vis, ut faciam tibi?* auferet sterilitatem animæ tuæ, quâ hactenùs laborâsti in generandis piorum operum filiis: & licèt in pravis habitibus jam penè senueris, fœcunditatem virtutum tamen impertietur tibi.

*N.*305. *Considera* 2. Multos Christianorum imitari Naaman Syrum, qui à peccati lepra purgandi, dum audiunt: hoc fieri non posse, nisi lavent se in aquis pœnitentiæ, sinceram deponendô confessionem, instar illius Syri recedunt indignabundi. Verùm auscultent tales consilio, Naaman Syro à suis servis dato v. 13. citati cap. dicentibus ibidem: *Pater! etsi rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debueras; quantò magis, quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis?* si ad obtinendam peccatorum veniam, ad excutiendum Dæmonis jugum, ad fugiendum æternos ignes necesse foret, peregrinari Jerosolymam, nudis pedibûs ire Romam, integris annis latitare in spelunca, in jejunio & cilicio totam vitam transigere &c. *certè facere deberemus.* Quantò magis obsecundandum Ecclesiæ, quæ peccatori leproso asserit: lavare per sinceram peccatorum confessionem *& mundaberis?* ò quàm felicem se crederet ille, qui omni spe vitæ destitutus, à medicis desertus, audiret ab homine noviter adventante: sanaberis, si fueris morbum tuum alteri, ad strictissimum silentium obligato, confessus. Hæc planè ipsissima est Sacramenti pœnitentiæ prærogativa, in qua confessio fit ad salutem, & detegere compunctô corde crimen, est lethalem excussisse morbum. Exclamat igitur S. Chrysost. Homil. 20 in Genes. *Num grave aliquod & molestum à nobis requirit Deus? contritionem vult cordis, compunctionem mentis, confessionem ruinæ: non solùm largitur vulnerum curam, & à peccatis mundos ostendit; sed & eum, qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, justum efficit, quàm celerrimè curat.* Quare Christiane Lector, accede Jordanem Sacramenti pœnitentiæ juxta sermonem viri Dei, & erit anima tua teste S. Scripturâ hîc v. 14. instar animæ *pueri parvuli* Formes adhæc efficax propositum cum Naaman Syro, ut dicas cum eo v. 17. ibidem: *Non faciet ultrà servus tuus Holocaustum aut Victimam*

mam Diis alienis, nisi Domino &c. Fuge munera, quæ tibi Mundus offert; aliàs instar Giezi lepra peccati ociùs adhærehit tibi.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. 4. Regum, in quibus describitur mira securis in aquam prolapsæ revocatio. Revelatio consiliorum à Syriis initorum, eorumque excæcatio. Vaticinium Elisæi de annonæ copia tempore famis in Samaria, increduli Ducis pœna &c.

Considera 1. QUòd sicut lignum ad Elisæi mandatum de profundo aquæ securim extraxerit, ita corpus Christiani hominis discreto jejuniô per quadragesimale tempus maceratum, animam de profundo vitiorum & malarum passionum ad virtutis studium attollat. Rectè ergò asserit Doctor Angel. 2. quæst. 147. a. *Assumitur abstinentia ad hoc, ut mens liberiùs elevetur ad sublimia contemplanda.* & Hugo de S. Vict. tom. 3. ait: *est magni momenti abstinentia, quâ purgantur vitia, impetratur venia, possidetur gratia, reparatur innocentia, arcana patefiunt elevata homini cœlestia.* De S. Aldegunde ex regia stirpe Abbatissa Malbodiensi narratur 30. Janu. in ejus vita apud Lipeolum: quòd Dominô revelante viderit quodam tempore humani generis hostem, sortem suam horrendum in modum deplorantem, qui causam hujus à sancta rogatus responsô dederit: *Ideò se tristari, quòd cerneret filios Adæ in eas Cœli Sedes magnô numerô ascendere, unde ipse cum suis exularet.* Hêrcle si ullô tempore totius anni causam lamentandi Dæmon habet, habet vel maximè illam jejunii quadragesimalis tempore, quô juxta Evangelium, Dominicâ primâ legi solitum, ejectus è Domiciliis suis immundus spiritus ambulat per loca arida, & quærens requiem non invenit; eat tunc ad domos saltatorias, nullum reperiet, qui ei saltibus inserviat. Pergat tunc ad popinas, non reperiet, qui Baccho & Cereri tempus impendat. Videbit econtra omnes ad Templa confluere, peccata plangere, pro venia supplicare, orationibus continuò insistere. Nôrunt fideles verba S. Hieron. dicentis: *Tales diligit milites Christus, qui jejuniis vacant, quare? quia in jejunio victoria est, & in victoria triumphus.* Sciunt hominem jejunio deditum, etsi innumeris valletur tentationum hostibus, audire tamen verba Elisæi quibus Ipse à Syris olim circumdatus, servum suum animavit asserens v. 16. citati cap. *Noli* N.306.

metuere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis; nam teste Petrô Navarrâ *jejunium scimus esse Dei arcem, Christi castrum, murum Spiritûs Sancti, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum.* Jejunium inordinatos appetitus & passiones percutit cæcitate, ut ad objecta illicita se neqùeant effundere. Quin imò coguntur cum Syris Elisæum quærentibus captos se dare Spiritui, non ausuri imposterum instar Latronum Syriæ venire in terram Israël, in animam videlicet Deo servientem, ut in ea prædas agant.

N.307. *Considera* 2. Hominem illum, qui cap. 7. v. 3. Elisæum in summa fame Samariæ copiosam annonam promittentem, irridere ausus fuerat, meritò à Propheta talibûs invasum esse verbîs: *Videbis oculîs tuis, & inde non comedes.* Talis homo typum gerit Christianorum illorum, qui in sacris concionibus multa audiunt de excellentia Panis Eucharistici, ad spiritualem animæ refectionem perquàm necessarii: hæc tamen verba nihili ducunt, donec in extremis vitæ constituti; dum cuperent hôc ferculô refici, ejusdem obtinendi copiam non assequuntur, vel celerî morte præventi, vel Ministrîs destituti, qni panem hunc eis tunc porrigant. Ex quo dein sequitur, eos in Tartaro æternam famem perpeti *ut canes.* Olim Israëlitæ rebelles in deserto exclamaverant Num. 21. *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*, sed ignitîs cessêre in prædam, ut ab illis percussi meritas darent temeritatis suæ pœnas. Longè verò deterius supplicium illos exspectat, qui non figuram tantùm, sed figuratum Ipsum dum viverent, nauseabant: hinc optimè admonet Dionys. Chartus. in hunc locum Numeri scribens: *Non nobis vertatur in nauseam panis cœlestis refectio spiritualis; alioquin Deo justissimè permittente invadent, intoxicabunt nos serpentes igniti, passiones mortiferæ, tela nequissimi spiritus infernales.* Si quis ægrotantium eò devenerit, ut gravem panis nauseam patiatur, indicium facit Medicis, lethalî se morbô affectum: nam communis eorum docet sententia, omnem nauseam esse malam, panis autem pessimam. Haud aliter dixerim de Christiano spiritualiter ægrotante. Is sanè periculoso laborat morbô, si vel præcepta jejunia, vel dandas eleemosinas invitus suscipit: at si demum eò devenerit, ut etiam cœlestem fastidire panem inceperit, jam quasi certum mortis æternæ de se dabit indicium, ut testatur spiritualium Medicorum Princêps Christus Joan. 6. asserens: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Experietur talis, quod expertus est teste S. Scriptur-

pturâ Dux ille, qui panes ab Elisæo hîc promissos per contemptum nauseaverat, hunc enim v. 17. citati cap. *Conculcavit turba in introitu portæ, & mortuus est juxta sermonem viri Dei.* Quare ò Christiane! obsecunda verbis S. August. tract. 2. in Joan. dicentis: *Fiant fideles Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Vis & tu vivere de Spiritu Christi? in corpore esto Christi.* Licèt juratissimi animæ tuæ hostes Caro, Mundus & Dæmon te instar *Samariæ* obsideant, ad deditionem tamen te neutiquam compellent: sed cogentur instar Syrorum fugam arripere, spolia ingentiorum tibi hôc pane refecto relinquentes, quibûs ditatus aliquando cœlestem ingredieris Samariam.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 8. 9. & 10. lib. 4. Regum, in quibus describitur Fletus Elisæi. Vaticinium de sævitia Hazaëlis. Inauguratio Jehu, ejus Vindicta ad Mandatum Dei de Domo Achab & Jezabel sumpta &c.

Considera 1. QUemlibet peccatorem, dum tristissimam crucifixi Salvatoris faciem & sanguineas sudantem lacrymas cum aliqua cordis compassione intuetur, uti posse eîsdem verbîs, quibûs Elisæum tristem & lacrymantem cap. 8. compellavit *Azaël*, dicens: *Quare Dominus meus flet?* & talis homo audiet quæruloſas Christi voces, non multum dispares illis, quibûs *Azaëli* respondit Elisæus asserens: *quia scio, quæ facturus sis filiis Israël mala.* ò Christiane! uberes mihi Crucifixo extorquet lacrymas ingratitudo tua, utpote qui tot beneficiorum à me acceptorum immemor, per repetita scelera mihi & Electis meis eris tam sæpè injurius. Ego erga te me gessi instar solis fulgidissimi, ut te vaporem terrenum ex nihilo per creationem eductum, per sacrum baptisma à sordibus originalis peccati ablutum, per veram fidem illuminatum, æternæ gloriæ facerem capacem, & tu ò ingratissimè! eris per millena crimina meum fulgorem obscuraturus. Quot barbarorum sunt, qui ob paucula peccata, per errorem aut ignorantiam commissa inter infernales gemunt pœnas, & tibi toties per malitiam peccanti tam gratioſè pepercit oculus meus, veniamque indulsit: nec tamen inde permotus, antiqua repetes crimina, ut me per illa de novo Cruci affigas? cogita: quot hominum in extre-

N. 308.

ma vagentur paupertate, bellorum injuriâ è patria expulsi, & tu rerum omnium copiâ abundans, inter patrios lares lætos agis dies; hoc tamen beneficium tanti apud te non est ponderis, ut vel ab unico te deterreat peccato? accedis loca, in quibus te frequenter castitatis jacturam subiisse nôsti. Vix verbulô offensus in mille scommata, blasphemias aut juramenta erumpis. Alienis bonis inhiare non desinis, cum iniquo Achaz ablata reddere tardas, nullatenùs imitans Regem, qui teste S. Scripturâ v. 6. hujus capit. mandaverat: omnia restitui fœminæ illi, cujus filium Elisæus revocaverat ad vitam. Nil dicam de tua immisericordia in pauperes, de invidia in consodales &c. Non mireris igitur, si in te compleatur illa S. Augustini sententia, in Manuali c. 18. dicentis: *Ingratitudo est radix totius mali spiritualis & ventus quidam desiccans, & exurens omne Bonum: obstruens fontem Dominæ Misericordiæ tuæ super hominem.*

N.309. *Considera* 2. Quomodo Jehu Dei gratiâ in Regem evectus, & juxta divinum imperium scelera Domûs Achab vindicans, Ipsemet in se divinam provocaverit vindictam, dum cap. 1. Oseæ dicitur: *Adhuc modicum tempus, & visitabo sanguinem Jezraël super Domum Jehu.* Causam vindictæ hujus meritò inquires, non dubius: Jehu plus præmii, quàm pœnæ promeritum esse? verùm respondet Rubertus in Oseam scribens: quia non veraciter zelo Dei paruit, sed propriæ cupiditati, ut regnaret super omnia, servivit &c. ita plurimi Magnatum Christianorum in actionibus suis illâ tantùm lege ducuntur, quam proprium interesse præscribit, de cœlesti Regno non solliciti, dummodò securè possideant terrestre. Non absque speciali, & ad propositum nostrum accommodò Mysterio Nabuchodonosor statuam, quam erexerat, primò adorari voluit à Principibus & Satrapis, antequam illi genua flecterent cives aut rustici, qui tamen plerumque Principes & Magnates in divino cultu solent præcedere, longè illis maturiùs surgendò & convolando ad Templa. Noverat enim Rex iste: Primates citiùs contra omne rationis & conscientiæ dictamen inanimatæ statuæ divinos honores esse impensuros, quàm negatô talî cultu periculum subituros perdendæ Dignitatis & fortunæ. Noverat quoque hanc Principum indolem & regnandi libidinem Constantius Imperator Arrianus: & hinc S. Hilariô teste plurimos Catholicorum non per minas & suppliciorum violentias, sed per oblatos honores, aut auferendos, quos jam possederant, in suam traxit sententiam. Asserit ergo

go præfatus Doctor: *Pugnamus contra persecutorem faventem, qui non tradit carceri ad libertatem, sed intra Palatium honorat ad servitutem.* Christiane Lector, nonne illorum unus es, de quibus pulcherrimè discurrit S. Ambros. lib. 3. supra Lucam dicens: sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos: habet enim forensem gratiam domesticum periculum; ut dominetur aliis, priùs servit, curvatur obsequiô, ut honore donetur, & dum vult esse sublimior, fit demissior. Sunt honorum culmina, quæ stolidè forsan appetis, illa altior fenestra, ex qua prospexit Jezabel, visura ingredientem Jehu v. 31. cap. citati: sed ociùs abinde præcipitata, canibus in escam cessit. Hæc omnia considerans, si Dignitatem quæris & honoris gradum altiorem, quære talem in Cœlis, ex quo dejici in æternum nequeas.

FASCICULUS XLVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 10. & 11. lib. 4. Regum, in quibus describitur Vindicta in Achabitas fratres & Baalitas exercita. Ambitio Athaliæ occidentis Nepotes, ut sola imperet: Joâ tamen neci subductô & à Jojada inaugurato.

Considera 1. NOvum triumphandi modum, quem cap. 10. describunt SS. Paginæ, dum memorant: abscissa capita septuaginta filiorum Achab posita esse in cophinis. Nonne enim ad majorem pompam conduxisset, isthæc capita præpilatis affixa hastis ostentâsse Populo, quàm tantùm ea vasibûs intulisse, ad uvas è vinea efferendas destinatis? verùm si ad priora parum reflectimus, in quibus docuit S. Historia violentam Tyrannidem, quam avarus Achab in Naboth propter vineam exercuit, causam Mysterio plenam colligimus, dicturi cum S. Chrysostomô Homil. *N.* 310.

mil. de Achab tom. 1. *vide: quomodo par retributio peccato? posuerunt capita in cophinis. Achab peccavit botris aliquibus in corbes conjectis.* Evenerat ergo Achabi filiis ea ex re supplicium, ex qua contraxerat culpam eorum parens: ut hauriat exinde dolorem, unde ille acceperat voluptatem. Haud aliter accidit Samsoni, perdidit ille non manus, non aures, non pedes, sed oculos à Philistæis erutos: ut hanc patiens injuriam, lueret in illo membro, quo abusus peccaverat, volens Dalilæ conjungi eâ tantum de causa: quia placuit oculis ejus. Ita piissimus cæteroquin Zacharias, Joannis Baptistæ parens, in lingua & auribus magis quàm in alia corporis parte pœnam subiit, quem utique Deus æquè leprâ in corpore plectere poterat ut sororem Moysis: quia Theophilactô teste: *non obedierat, condemnatur. ut surdus sit: & quia contradixerat, ut fileat.* Bina ergò vice peccaverat, semel Angelo fidem negandô, & semel obloquendô: atque hinc duplicî modô punitus docuit; quemlibet per ea castigari, per quæ deliquerat. Haud secus omnes Sacerdotes Baal eodem in Templo, in quo per superstitiosum Cultum peccaverant, mortem incurrêre, à militibus Jehu v. 25. citati cap. trucidati. Quare ò Christiane Lector! omne illud fuge, quod tibi occasionem præbet ad peccandum: ne puniaris per illud, per quod delinquis.

*N.*311. *Considera* 2. Hominem piè viventem, & hinc cœlestis Regni aliquando futurum hæredem, insidias perpeti à Mundo, quales passus est ab Athalia parvulus Joas cap. 11. Mundus enim omnium animis dominaturus, pios modis omnibus insequitur. Verùm adest divina Providentia, & *Josabam* imitata, fatalibus insidiis talem hominem subducit. Cumque eum in Domo Domini, in divino videlicet servitio per vitæ hujus annos nutriverit, videritque jam æterno maturum esse Regno, tunc toti Militiæ cœlesti cum Jojade Sacerdote eum sistit. In extremo proin judicio eum Mundus aspicet, sicut Athalia aspexerat Joas *stantem supra Tribunal juxta morem: & cantores, & tubas prope eum,* v. 14. cap. cit. ejusque Majestate Regiâ perterritus, exclamabit cum omnibus insensatis Sectatoribus Mundi Sap. 5. *nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce! quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Imperabit ibidem divina Justitia instar Jojadæ centurionibus Angelici exercitus v. 15. cap. cit. *educite eam extra septa Templi &c.* O Christiane! si Deo servire, regnare est. Fias nunc parvulus Joas per humilitatem, acquiescens monitis S. Matris Ecclesiæ, quibus illa

illa fatalibus mundi insidiis te vult subducere, ut per exercitia virtutum Deo soli in abscondito paucîs annis serviens, aliquando voceris ad Regnum cœleste & æternum, Præconium cum Joa auditurus proclamari de te v. 2, capit. 12. *fecitque Joas Rectum cunctîs diebûs.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 12. & 13. lib. 4. Regum, in quibus describitur Reparatio Templi per Jojadam, accedente liberalitate Populi, ejus liberatio per munera oblata Hazaëli &c. Elisæi oraculum de clade Syriæ, miraculosa vis cadaveris.

Considera 1. QUàm ingens fuerit Hebræorum liberalitas erga Deum, dum S. Scriptura v. 1. cap. 12. testatur, inventam esse nimiam pecuniam in Gazophilacio, oblatam à Populo, ut exinde Sarta-tecta Templi reficerentur. Quantum inde proh pudor! confunditur Christianorum parsimonia & tenacitas, qui denarium unum centiès in manu vertunt, revertuntque: donec in Templi Thesaurum evertant. Cernunt quotidie curtam Ecclesiarum supellectilem, antiquitate exesa Paramenta, laceros parietes, fracta scamna, arctô pane viventes Templorum Ministros, nec tamen unquam cogitant; ut de Bonis etiam statui suo superfluis hanc sublevent inopiam. Eriguntur interim nova Palatia, augetur famulantium numerus, novæ comparantur vestes &c. Adeò beneficum & liberalem se Deus exhibuit Mundo, ut teste Joanne c. 3. v. 16. *filium suum unigenitum daret*, & nos omnia Bona damus vanitati, mundo, carni & Diabolo, à quibus sperare nihil possumus, in vicem accepturos, nisi pœnas Tartari æternùm duraturas. *Usura Mundi accipit centum ad unum*, ait S. Chrysolog. Serm. 25. *Deus unum accipit ad centum. Et tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti? quare? nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot ac tantîs voluminibûs cavet? &c.* Permiserat ille universum argentum, quod in Templi sui thesauris fuerat repertum, conservandæ hominis vitæ applicari v. 18. cap. cit. & nos Christiani ad conservandum Dei honorem, ad augendam ejus gloriam & cultum, ei paucos quoque numos negabimus? quid ergo mirandum: si tam iniuriosa tempora; tot annîs steriles agros & vineas, tot bellorum incursus, tot bonorum nostrorum prædas, tot

N. 312.

corporum infirmitates perpeti cogimur? debet sanè tanta Christianorum erga Deum suum avaritia, parî ipsius avaritiâ, si fas est ita loqui, compensari.

N.313. *Considera* 2. Per mortuum Elisæum, cujus ossa occiso homini reddidêre vitam v. 21. cap. 13. rectè intelligi Superiores illos & Magistros, qui subditos spiritualiter mortuos correctione suâ vitæ restituunt: ipsi verô in vitiorum tumulo remanent. Tales optimè comparat S. Greg. homil. 17. in Evangel. aquæ Baptismali, quæ peccata Baptizatorum abluens, illos ad cœleste Regnum transmittit, ipsa verò descendit in cloacam. Tristissimum plane spectaculum, & sanguineîs non sat deflendum lacrymîs, tot Sacerdotum manibûs adjutos homines ingredi cœlestem Patriam, à sordibus peccatorum expiatos, & Sacerdotes ipsos per vitam reprobam ad Inferni festinare supplicia, innumerîs conspurcatos delictîs. Ingeniosum nostroque peraccommodum proposito affert Alciatus emblema, asserens: Tibicinem in conflictu ab adversario milite comprehensum, veniam & vitam rogâsse, testatum, quòd innoxius constringeretur vinculîs, utpote qui nullô armorum apparatu instructus interfuerit pugnæ, nec unquam educens gladium ullius fuderit sanguinem, sed tantùm buccinâ fuerit usus, desides & timidos ad pugnam excitaturus. Quæ verba ut alii suîs hausêre auribûs, reposuêre: *quin ipse magis timidissime peccas, qui clangore æris alios in arma cies.* q. d. cùm tu nec gladium strinxeris, nec vibrâris hastam, alios tamen in furorem accenderis martium, & mutuas in cædes inflammaveris, magis te morte dignum comprobas illîs, qui gladiô strenuè in hostem strictô, ejus morte propriam mortem effugere conabantur. Idem Superioribus & Magistris spiritualibus obtrudi poterit, qui alios ad strenuam contra vitia pugnam buccinâ oris sui cohortati, nunquam educunt gladium, ut inordinatas passiones atque peccata sua trucident. Frequentur illi per Sanctas Inspirationes ea audiunt verba, quæ Joas Rex Israël audiit ab Elisæo v. 18. cap. cit. *percute baculô terram.* Parent quandoque; *sed cùm percussissent tribûs vicibûs*, stant quieti cum Joa, ne pluriès percutiendô Syriam, habituatam videlicet in peccato voluntatem, *percutiant ad consumptionem.* Quare Christiane Superior, aut Magister Spiritualis, qui Subditorum corripis delicta, te ipsum corripe, & emenda: ne tollens ex oculo fratris tui festucam, in tuo trabem circumferas non observatam, donec successu temporis omne tibi sanæ rationis lumen auferat. *Purgatum*

gatum decet esse oculum, ait Simon Cass. lib. 7. cap. 9. *Qui clarè vult alios intueri, & purgata debet esse ratio, quæ fugare aliorum nebulas cupit. Munda sit manus, quæ alios studet abstergere.*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 14. & 15. lib. 4. Regum, in quibus describitur Monitum ambitioso Amasiæ à Joa datum. Amasiæ infortunium in bello atque mors. Vita Azariæ &c.

Considera 1. QUàm paucos reperire sit, qui fraternis monitis à Joa Rege Amasiæ Regi cap. 14. v. 10. datis acquiescant, dum novos Dignitatum & honorum titulos affectu stolidô ambientes, nihil ægriùs ferunt, quàm audire cum Amasia Rege citatô locô: *tu esto contentus gloriâ tuâ, & sede in solio tuo.* Quotidianâ tamen experientiâ discunt: homines quô altiùs ascenderint, eò casui viciniores reddi, tam in propriam, quàm aliorum ruinam. S. Bernardus Epist. 9. Archiepiscopum coloniens. suô tempore viventem talibûs verbis monere voluit: *si cunctos, qui vocantur ad Ministerium, constat eligi ad Regnum, profectò securus est Archiepiscopus colonienſis. Quòd si etiam Saulem in Regno & Judam in Sacerdotio legitur elegisse non alius, quàm ipse Deus: timeat necesse est Archiepiscopus colonienſis.* Hoc periculum, de quò fugiendo hortabatur alios S. Bernardus, ipsemet declinaturus, amplissimos Italiæ Archiepiscopatus sibi oblatos respuit. Seraphicus Patriarcha teste Lyranô à Papa interrogatus: an fratres suos ad Prælaturas promoveri æquô ferret animô? reposuit: Domine! fratres mei ideò sunt minores, ut majores fieri non præsumant. Si vultis, ut fructum faciant in Ecclesia Dei, dimittite eos in statu vocationis eorum, & ad Ecclesiasticas Dignitates eos accedere nullatenùs permittatis. Mirabilis visio quondam Prophetæ Isaiæ cap. 6. vidit ille Angelos sex alîs instructos, sed taliter illîs usos. *Duabûs velabant faciem ejus, & duabûs velabant pedes ejus, & duabûs volabant.* Cur quæso (ingeniosè quærit Nazæra in Josuæ cap. 14. scribens) sex alas non adhibent Angeli, ut eò velociùs ad altiora dirigant motum? cur non quatuor saltem explicant, ut eò citiùs felicitatis apicem attingant? respondet citatus author: id ea de causa fieri, ut nos homines doceant, quàm periculosum sit, multô conatu honorum culmina ambire: quare eos sic alas disposuisse, ut

N. 314.

quatutor illorum quasi quatuor vinculîs Deo alligarentur, tanto securiùs in altum volaturi mediantibûs cæterîs : alisque caput pedesque ambiisse, ut initium & finem rite perpendant, ne cæcô impetu ducti & seducti tenderent ad sui perniciem. Optimè igitur S. Greg. M. ad supremam Pontificatûs Dignitatem quasi vi tractus lib. cur. past. p. 1. c. 9. ait: *quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis? in qua cogitationum procellis semper navis cordis quatitur, huc illucque incessanter impellitur, ut per repentinos incessus oris & operis quasi per obviantia saxa frangatur.* Ponderosa quis neget hæc esse S. Doctoris verba? sed malè metuo Christiane Lector, ne inordinatus Dignitatum & officiorum affectus, qui in te vivit, illis longè præponderet, & tam parum acquiescas salutaribus hîsce monitis, quàm parum acquievit Amasias monitis Joæ, *victus* tamen & *captus* meritas ambitionis suæ pœnas exsolvit.

*N.*315. *Considera* 2. Homines sæcularibus negotiis longô tempore addictos, tunc tandem fore beatos, quando cum Rege Azaria, de quo S. Scriptura cap. 15. tractat, ita puniuntur à Deo : ut talibûs curîs in alios translatîs incipiant Spiritui & Cœlo vivere *in domo libera seorsum.* v. 5. cit. capit. de his canit regius Propheta Psal. 149. *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* in quæ verba S. August. ait: *non in nugis, non in foris, sed in cubilibus suis.* Carolum V. illud Imperatorum Miraculum dixisse constat: se resignatôImperiô plus voluptatis & soliti gaudii in solitudine monasticâ unica die, quàm in omnibus victoriis & Triumphis sensisse. Æneas silvius, qui ante Pontificatum inter aulicos tumultus, litteris ac studiis obstrepentes, diu versabatur, hæc locutus esse fertur: *est magnorum virorum recreatio mentis secessus, cum se aliquis retrahit in solitarium locum, ac vel meditatur, vel legit, vel scribit &c.* Si quæratur Antistes Nolanus; quô nomine solitudinem compellet? reponet ille: *cœlestem esse officinam.* quod inter Idololatriæ tenebras ipsi quoque Ethnici cognoverant, Pyrrhus enim Philosophus Laertiô teste cùm solus deprehenderetur, rogatus: quid rerum ageret? *meditor*, inquiebat, *probus esse.* Seneca frequentes & serias admonitiones ingerens: *quid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris? turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam, nunquam mores, quos extuli, refero: aliquid ex eo, quòd composui, turbatur, aliquid ex his, quæ fugavi redit, inimica multorum est conversatio &c.* Christiane Lector, qui tot dies laboribûs trivisti vanîs, noctes egisti insomnes in tumultu, recede tandem à commercio rerum caducarum. Quid juvat, tantum videre, audire, & loqui, ex quo sequitur,

quitur, tam frequentur te inquietari, te lugere, te dolere? etsi foris invitet sapientia, corripiat, instruat, foris neminem osculatur. Philomelam argutè modulantem, ut quis audiat, sylvas necesse est, accedat: haud aliter Deum quis sibi loquentem, & intus suavitur canentem sentiat, solitudinem quærat, strepitum fugiat, oportet. Augustinus cantilenam hanc dulcissimam auditurus, fugiens Chartaginem, ubi omnia strepebant: etiam relictô sociô Alipiô, ad vireta silentis horti se conferre debuit, testatus de se lib. 8. conf. c. 13. *Ego sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo, & demisi habenas lacrymis, & ecce audio vocem: tolle, lege, tolle, lege.* Bernardus quoque de se fateri debuit: *quamdiu in exterioribus occupatus fui, vocem tuam Domine juxta audire non potui.* S. Macarius à Dæmone sollicitatus, ut solitudinem linquens procurandæ aliorum saluti incumberet, jactavit se pronus in terram, & extendit pedes suos à foris limen cellulæ suæ, clamans teste Rhosvv. atque dicens: *trahite Dæmones, trahite: ego enim pedibus meis non vado, sed si potestis me hîc abducite, ego quippe testor Deum, quòd hîc jaceo ad vesperam.* Bone Deus! si tantæ sanctitatis vir, ex causa tum pia, solitudini claustroque suo valedicere noluit, timens, ne quærendô aliorum salutem, propriam perdat, & turbæ loquens, non ampliùs audiat sibi colloquentem Deum: quid tibi Christiane Lector continget, qui solius curiositatis pascendæ gratiâ tam sæpè domum tuam aut cellulam egrederis?

FASCICULUS XLVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 16. & 17. lib. 4. Regum, in quibus describitur Impietas Achaz, superstitio erga Altare Damasci. Assyriorum pœna ob Idololatriam in Palestina commissum &c.

Considera 1. IMpium Regem Achaz: qui teste S. Scriptura cap. 16. N. 316. *filium consecravit, transferens per ignem secundùm Idola Gentium &c.* clarissimam esse figuram quorundam parentum,

tum, qui filios & filias suas jam à prima ætate consecrant Idolis & simulachris malarum passionum: dum nimiô amore eorum excæcati, ipsis fræna laxant ad amplexandum id, quô brutalis appetitus eos impellit; toties tamen, & tam seriò moniti ab Ecclesiast. c. 30. dicente: *lacta filium tuum, & paventem te faciet. Lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimis obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in juventute.* Est talium parentum erga proles suas amor haud dispar illi, quam natura indidit pellicano fœminæ erga pullos suos. Hos ut vix excluſos vivere conspicit, quantociùs amorosè complectitur, & stringit; quô tamen amplexu eos necat; nam improvidô rostrô eis colludens, latera perforat tenellula. In hoc tamen pejoris adhuc conditionis sunt pellicanô stolidi parentes: quod illi extinctis semel filiis, etiam maximô sanguinis profluviô reddere nequeant vitam; valeat tamen pellicanus. Conqueritur ipse Deus propheticô ore contra quasdam Matres Thren. 4. *filia Populi mei crudelis quasi struthio.* Dicturus per hæc verba: Matres illas gerere se struthionum instar erga liberos suos, dum sicut structiones ova sua publicis locis exposita, & hinc millenis periculis obnoxia relinquunt, ita matres illæ, dum proles suas liberius vivere permittunt, quasi extremis pereundi periculis obiiciant. Liber tertius Regum docuit: mulierem quandam proprium suffocâsse filiolum, quòd hâc solùm occasione evenerit: quia in molli culcitra eum deposuerit. O quòt habet Mundus, si moraliter loquamur, paris exempli matres, quæ præmaturæ mortis in anima & corpore prolium causæ sunt, qui animis delicatè eos nutriunt, mollitur educant, rarò aut nunquam corrigunt. O quàm afflicti sunt parentes multi, ingeniosè ait Paleotti Dom. infrà octav. Nativit. Dom. qui filiis suis semper vesperas defunctorum canunt. Primum ibi verbum: *dilexi.* & occasione hujus *placebo* intonant, ad genium vivere eos permittendô, quid tandem? miserrimè vitam perdunt, & parentibus canendum: *requiem* dolore sanè maximô. Si ergo Christiane Lector parentem agis: *noli à puero tuo subtrahere disciplinam; si enim virgâ percusseris eum, non morietur.* Proverb. 23.

N. 317. *Considera* 2. Quàm graviter Deus crimina puniat, commissa in locis, suo Cultui destinatis; etsi commissa sint ab hominibus, qui per ignorantiam videntur posse excusari. Enim verò S. Scriptura cap. 17. testatur Babylonios, qui in patria sua absque Dei vindicta servierant Idolis, ab immissis leonibus eô tempore esse necatos, quô Palæstinam super-

superstitioso Cultu defœdare præsumpserant. Quàm horrendas igitur pœnas dabunt illi, qui nullâ ignorantiâ excusantur à delictis, in loco sacro perpetratis? quamprimùm Lucifer rebellis ille angelus in superbiam elatus, in hæc sacrilega prorupit verba: *Similis ero Altissimo.* Absque ulla spe veniæ vidit tartareos rogos sibi accensos, & se conjectum sensit in illos. Econtra protoparentes nostri divino inobedientes Præcepto, non tantùm delicti veniam obtinuêre, sed deletô per pœnitentiam crimina se dignos effecêre Paradisô cœlestî. Quæris causam discriminis hujus? habebis illam in promptu, si locum consideraveris, in quo deliquerit Lucifer. S. Scriptura vocat illum *Montem Dei* Ezech. 28. & hinc asserit S. Chrysolog. Serm. 29. *de Cœlo cadit, qui in cœlestibus deliquit. Desperatus incurrit, qui in ipsius dominantis oculis offendit, & excusatione caret, qui ipsô Judice teste facinus committit; aut quam defensionem habebit, quem testimonium Conditoris accusat?* Non mirandum est: quòd David vir aliàs Deo gratissimus ob adulterium cum Bersabea commissum tam rigidas dederit pœnas: erat enim peccatum illud non in privata camera, non in domo meretricia, in hospitio aut loco profano, sed in regali Palatio, in quod Arcam Dei deportari fecerat, perpetratum; atque hinc audire debuit à Nathan 2. Reg. 12. *Quare contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* Christus Dominus ut ostenderet Pharisæorum & Scribarum delicta, non tantùm temporalem, sed & æternam quoque mereri pœnam, locum adducit, talibûs peccatîs conspurcatum, dicens Matthæi 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris.* Tales Dei vindictas Christiane Lector toties revolvas mente, quoties vel impurus amor ad procaces aspectus, vel levitas ad profanos sermones te pellicit in Templo: ne malum faciens *coram Domino* instar Achaz v. 3. citati capit. malum quoque patiaris cum illo.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 18. & 19. lib. 4. Regum, in quibus describitur Ezechiæ Regis Zelus contra Idola, Rabsacis convitia & blasphemiæ. Ezechiæ Oratio, Assyriorum blasphemantium cædes.

Considera 1. HOmines illos, qui de magna amicorum & Patronorum turba sibi applaudunt, iisdem compellari posse verbis, *N.* 318.

verbîs , quibûs cap. 18. Rabsaces compellavit Regem Ezechiam dicens: *An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus &c.* Vatablus legit: *Homines, quibus fidimus, sunt similes fragili arundini, cujus, cùm frangitur, fragmenta solent lædere innitentem sibi.* Poterat Husiticus Princeps gloriari de fortissima & frequenti amicorum manu, de præpotenti eorum auxilio, si vel unus unquam de hoc gloriari potuit: Verùm non sine lacrymis testatur c. 6. *Fratres mei præterierunt me sicut torrens.* Torrentem vocat amicos: hic enim eô tempore plerumque abundat aquîs, cùm Viator nullô cruciatur æstu & sitî, caret verò talibûs, cùm æstivô calore tortus vexatur sitî. Quare ne diutiùs vana delusi fiduciâ, hominum inniteremur auxiliîs, præsagit Deus Vaticiniô infallibilî Jeremiæ 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*; quæ verba tamen ritè pensata, etsi reprobent fiduciam in hominibus positam, non tamen reprobare videntur, recursum consilii gratiâ apud homines quærendum. Hêrcle nemo facilè negabit, utendum esse hominum consiliis in rebus dubiis, arduis & necessariis: etsi enim Moyses se totum commisisset Deo, cui loquebatur, attamen pro regendo Populo fratris & soceri sui uti debuit consiliis. Hinc ait S. Ambros. Epist. 3. *Moyses ille, quô nemo præsentius Deum coluit, neque surrexit amplius in Israël Propheta, qui Deum facie ad faciem videret. Ille qui quadraginta diebus jugiter & noctibus fuit, cùm legem acciperet in monte. Ille inquam, cui Deus dabat, quos loqueretur sermones, invenitur magis Aaronis fratris sui consilium, quàm suum probâsse.* Non dubito: Ezechiæ Regis laudatam in hoc capite Pietatem inde provenisse, quòd viros à consiliis habuerit probatos, quibus obsecutus, Davidem potiùs quàm alios Antecessores imitari studuit, *dissipans Excelsa & confringens serpentem æneum.* Atque ut affirmat S. Scriptura v. 5. capitis cit. *In Domino Deo Israël sperans.* Hunc ergo Regem exempli locô tibi præfigas Christiane, imitandum tam in sperando, quàm in consulendô.

N.319. *Considera* 2. Deum ad puniendos gravissimos peccatores uti hâc duplicî pœnâ: ut videlicet eorum miseriæ opponat inimicorum fortunam, & felicitatem, & amicorum objiciat calamitatem. Posteriorî modô puniit Regem Senacherib cit. cap. qui antequam morte impiâ simul & miserâ claudebat vitam, centum & octoginta millia militum fidissimorum intueri debuit, unâ tantùm nocte occisa: ut tot necibûs blasphemias lueret in Deum fusas, quot militibûs blasphemus ipse superbierat. Prioris pœnæ exemplum dedit dives Epulo, cui in tormen-

tis

tis infernalibus posito spectandum Deus dedit Lazarum, cœlestibûs deliciîs in sinu Abrahæ fruentem; & hinc asserit S. Greg. M. Homil. ult. *Credendum est, quòd ante retributionem extremi Judicii, injusti in requie quosdam justos conspiciunt: ut eos videntes in gaudio non solùm de supplicio, sed etiam de illorum Bono crucientur.* Christiane Lector, qui amicos optimos vel subditos doles cum Sennacherib præproperâ morte abreptos, aut aliàs gravî infortuniô tactos, cogita: id fortè ea de causa factum, ut non illi tantùm sua luerent peccata, sed & tu quoque eorum calamitate torquereris, inde sensurus pœnam, unde senseras voluptatem. Quare ne imposterùm talem Dei vindictam cogaris ferre, non impium Sennacherib, sed pium Ezechiam imiteris, *scindens cum eo vestimenta* pravorum affectuum, qui cor tuum magìs hominibus, quàm Deo adjunxêre. Operi illa saccô humilitatis & contritionis, ingressusque Domum Domini ora in conspectu ejus dicens v. 16. capitis cit. *Tu es solus Deus omnium terræ.* Non ergò regnet in anima mea peccatum. Non regnet in oculis curiositas, in gutture gula, in ore loquacitas, in lumbis libido, in pedibus motus ad currendam perditionis viam; sed lex Domini sola me regat, custodiat, & gubernet.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 20. & 21. lib. 4. Regum, in quibus describitur morbus Ezechiæ, signum obtinendæ sanitatis, opum ostentatio & correptio. Impietas Manassis, Dei mina de evertenda Jerosolyma &c.

Considera 1. TUnc Christianos spiritualis profectûs certum habitu- *N.* 320.
ros signum, quando in eorum cordibus umbra vanæ gloriæ, sicut umbra in horologio Achaz retrocesserit: non enim datur majus obstaculum, viam virtutum terentibus, quàm vana gloria; & hinc meritò S. Bernardus de trip. glor. asserit: *Consideravit Apostolus rationalem creaturam adeò affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc desiderio compesci possit. Propterea secundum datam sibi à Deo Sapientiam saluberrimum adinvenit consilium, dicens: quandoquidem persuaderi à nobis non potest, non gloriari, saltem qui gloriatur in Domino glorietur &c.* Ut enim ægroto potum pertinaciter petenti, Medicus importunîs tandem precibûs victus coctam admittit aquam, quô minùs ei noceat hausus; ita Apostolus perpendens gravissimam gloriæ sitim, quæ hominum

animos ad bibendam gloriam obstinavit, potum ipsis porrigit, minimè obsuturum. Præluserat huic piæ Apostoli astutiæ ipse Medicorum Princeps, Christus Dominus, ita temperans appetitum gloriæ quærendæ, ut dixerit: *Glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Patris autem gloriam, quis nescit redundare in gloriam filiorum? hinc Christiane Lector, si te quoque umbra gloriolæ titillat, monitis Christi & Pauli Apostoli obsecunda, per hoc medicamen æternæ gloriæ splendorem in altera vita, in hac verò spiritualis profectûs lucem habiturus. Quotiescunque aliquod arduum virtutis opus moliris, recordare verborum piissimi Ezechiæ dicentis v. 10. c. 20. *Facile est: umbram crescere decem lineis, nec hoc volo, ut fiat; sed ut revertatur decem gradibûs.* Si huic intentioni optimæ, operibus tuis præmissæ, inceperit repugnare depravatæ naturæ appetitus, ad tuos Patronos per preces & suspiria te confer: quatenùs illi instar Isaiæ Dominum pro te invocent, ut reducat gloriæ umbram per decem lineas & gradus humilitatis, à sanctissimo legislatore meo Benedicto præscriptos. Si quandoque contingat, te instar Ezechiæ, qui omnes thesauros Babyloniis monstraverat, ab ordinato vanæ gloriæ appetitu vinci, & in hujus peccati pœnam calamitatibus cum Ezechia premi: dic cum eo pœnitens & resignatus in divinam voluntatem v. 19. citati cap. *Bonus sermo Domini.*

N. 321. *Considera* 2. Manens in priori argumento: quàm parùm oporteat gloriari parentes, quòd nacti sint carnales filios: cùm illi tam sæpè à patria degenerent virtute, uti degeneraverat Manasses, testante id S. Scripturâ cap. 21. Sic etiam Abraham genuit degenerem Israelem, Isaac, Esau, Moyses, Gersam, Heli, Ophni & Phinees, David, Absolom, & sexcentis aliis parentibus idem contigit. Sin autem Christiane Lector non expedit gloriari de partu corporis, quia tam facile contingit, illum reddi degenerem, multò minùs expediet gloriari de partu animæ, quia hic per ipsam gloriam depravatur. *Nisi bonum opus*, ait Stella p. 1. c. 20. *quod est velut animæ tuæ partus, occultaveris, peribit, vanitate ejus meritum auferente.* Imitari te oportet apiculas, quæ flosculos à se studiosè collectos deferunt in alvearium, ut iisdem in secreto opus suum mellificum conficiant. Imitari oportet Hebræas mulieres, in Ægypto parturientes, quæ masculos vix natos absconderant, certæ: illos fore in flumen præcipitandos, si aliorum conspectum subiissent. Quare partus animæ tuæ, opera videlicet meritoria, non cum impio Manasse per lucidum ignem in Templo traducas, sed in

tene-

tenebris cubiculi tui abscondas, aliàs delebuntur illa, sicut teste S. Scripturâ v. 13. citati cap. *Deleri solent tabulæ.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 22. lib. 4. Regum, in quo describitur Josiæ Pietas, Zelus in reparando Templo, Oraculum de felici morte.

Considera: DEum Josiæ Regi piissimo in præmium heroicorum actuum, quorum meminit S. Scriptura c. 22. & sequentì, aliud non spopondisse, quàm felicem mortem dum v. 22. citati cap. dicitur: *colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* Hêrcle præmium tantis laboribus pro gloria Dei susceptis non indignum: quid enim nobilibus, quid præstantius exspectet Operarius, totâ die sacrîs laboribûs occupatus, quàm somnum placidissimum & quietem? mors autem Justorum, quid nisi somnus? quid nisi quies? *Sanctorum mors somnus est*, ait S. Chrysologus, *peccatorum verò mors, mors vera est, quia in Inferno pœnæ vivunt, vitæ pereunt.* Strenuum fuit illud Reginaldi Poli Cardinalis responsum: cùm ille audiret, Henricum VIII. Angliæ Regem, Ecclesiæ Catholicæ rebellem, sibi mortem machinari, dixisse fertur: teste Sanderô lib. 1. Schismat. Anglic. *Jam dudum vitæ tædiô affectus mortem optavi, tantò eam studiô inferre cùm contendat Rex, nil facit aliud, quàm si eunti dormitum detrahere conetur vestimentum.* Regius Vates morbum lethalem pii hominis, ad mortem properantis describens ait Psal. 40. *Universum stratum ejus versâsti in infirmitate ejus.* Constat autem: lectulos concuti, volvi & revolvi, quando decumbendum est, ut plumæ, quo lectulum implent, susque deque motæ, molliorem quietem faciant decubituris. Ita Deus dum Electos suos fatalibûs afficit morbîs, ad delicatissimam requiem post mortem possidendam, eis præparat lectum; atque hinc eôdem Prophetâ teste Psal. 149. *Lætabuntur in cubilibus suis*, in quibus moriuntur. Christus ipse: ut doceat Electorum mortes esse somnos, moriturus in cruce non erexit caput, sed inclinare visus est, quasi illud placitum componeret in somnum. Christiane Lector idem præmium cum Josia, tot sæculîs jam quiescente olim obtenturus, eundem laborem cum eo suscipe. Sis ergo ante omnia sollicitus de reparando, vel propagando Cultu Dei. Audi cum eo libenter verba *voluminis sacri, & inde*

N. 322.

perterreatur cor tuum. v. 19. capitis cit. Scinde cum eo vestimenta, non quidem externa, sed interna, passiones videlicet inordinatas cultrô mortificationis, & defleas delicta tam propria, quàm aliena. His perfunctus audies cum eo: *Colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* loc. citatô.

FASCICULUS XLVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 23. lib. 4. Regum, in quo describitur Josiæ Zelus in abolendis Idolis, celebratio Phasæ &c.

N. 323. *Considera:* JOsiam, priori in capite jam laudatum Regem, non priùs ad celebrandum *Phasæ* admonuisse Populum, antequam contrivisset statuas, succendisset lucos, repleviſſet eorum loca ossibus mortuorum, destruxisset Excelsa, destructa combussisset, & combusta redegisset in pulverem, occisîs etiam *Excelsorum* Sacerdotibûs. Ita Christianos non antea ad celebrandum Pascha animat Ecclesia, quàm per veram Pœnitentiam non tantùm Idola peccatorum contriverint, sed etiam per efficax propositum, occasiones malas fugiendi, ea in pulverem redegerint. Corporalis Christi Resurrectio Christiani spiritualiter resurgentis typus est; & hinc asserit Apostol. Rom. 6. *Ut quomodo Christus resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Est autem in comperto: Angelo Resurrectionem Christi indicanti non suffeciſſe, quòd dixerit: *surrexit.* Sed protinùs ab eo auditum: *non est hîc.* Sic pariter Christiano non satis est, à lapsu resurrexisse, detestandô peccatum jam perpetratum, sed necesse est: sepulchrum occasionis malæ egredi, à perversis sociis sejungi, suspecta vitare loca &c. Moyses divinô æstuans zelô Exodi 32. priùs in Idolum, quàm in peccantes Israëlitas desæviit, ut sic peccati extirparet radicem, futurum, non dubius; Populi Pœnitentiam Deo non placituram, si occa-

occasio peccandi proxima remaneret; quamdiu enim sub carbonibus gliscit ignis, incendio non erit satis præcautum. Nazaræi etiam ab acinis abstinere jussi sunt, ne ab illis ad uvas, ab uvis ad vina, à vinis ad crapulas, & inde ad carnis spurcitias transirent. Christus Dominus Jerosolymæ Templum, animæ Christianæ etiam typum, à profano quæstu ritè purgaturus, non tantùm nundinantium personas flagellô, ex funibus factô ejecit, sed & evertit cathedras, & expulit oves, boves & columbas, ut teste illustriss. Cardin. Toletô: *Nulla redeundi videretur esse occasio. Tunc enim malo subvenitur perfectè, quàndo etiam mali occasio amputatur.* Gentium Doctor longô catalogô describens ærumnas, à se exantlatas, meminit: tribûs vicibûs se subiisse naufragium, quæ verba expendens *Remigius* quærit: quî factum, toties naufragatum esse Apostolum? & dubiæ ociùs quæstioni respondens ait: *qui sæpissimè navigiô vehebatur per mare, non est mirum: quòd toties naufragium passus sit.* Mare dici poterit occasio propinqua peccandi; hanc qui frequenter adierit, certo peccati naufragio sese exponet. Hinc Christiane Lector: *Phase Domini* ritè celebraturus, te geras instar Josiæ, non dolendô tantùm de peccatis, sed adeò omnem peccandi occasionem vitandô, ut audiatur de te, quod de illo piissimo Rege v. 25. citati cap. dicitur: *Similis illi non fuit, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua &c.* Nihil prorsus in anima tua tanquam in Templo Dei relinquas: *nisi sepulchrum hominis Dei.* Memoriam videlicet Mortis Christi, & de reliquo in novitate vitæ per sacrum paschale tempus ambula.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 24. lib. 4. Regum, in quibus describitur Joachimi in Babyloniam abductio, dura captivitas, Sedeciâ succedente.

Considera: MYsteriô non carere, ad Doctrinam asceticam aptissimô: quòd teste S. Scripturâ cap. 22. Nabuchodonosor Jerosolymæ Urbis potitus, omnes incolas in servitutem dirissimam abduxerit, exceptis solis pauperibus; sic namque soli pauperes libertate spiritûs, *& visione Pacis*, quæ dicitur Jerosolyma, perfruuntur: dum divites omnes miserrimam agunt servitutem. Cornelius Janssen. considerans verba Christi dicentis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum* *N.* 324.

est Regnum Cœlorum, ait: Pauperes spiritu etiam in hac vita jam re ipsâ regnant, Regnô planè cœlestî longè feliciùs, quàm omnes Reges terræ: Hi enim ut plurimùm veriùs gravissimam ferunt servitutem, quàm regnent; multos enim patiuntur Tyrannos, discruciati ab avaritia, irâ, livore, cupiditate bonorum ac vindictæ: at humilis, terrenarum facultatum inops, liber est ab hujusmodi curis, & tranquillô semper existens pectore, securè exspectat dona cœlestia. Sicut homo nunquam gravî cupidine bibendi vexatus, beatiorem haud dubiè vitam vivit illô, cujus satiandæ siti nulla suppetunt pocula: ita ille, qui nulla opum cupidine cruciatus, inopiam suam æquô fert animô, longè feliciorem se experietur illô, quem etsi ditissimum, pecuniæ tamen augendæ ardor perurit. Pyrrhus Epirotarum Rex, suô non contentus Regnô & opibûs, ad bella Romanis inferenda se præparaverat, cui Cineas legatus ea dissuasurus: & quid agimus, inquit, victîs Romanîs? Italiâ, reponit Rex, totâ potiemur. Et quid tunc agemus? infert Cineas. Post debellatam Italiam, Siciliam invademus. Eâ captâ, quid porrò? Africam nobis adjungemus &c. & quid hîs omnibus tandem secundante fortunâ captîs, agendum restabit? quærit Cineas. Tunc bone vir, inquit Rex, vivemus in otio, compotabimus totîs diebûs, & mutuîs colloquiîs nos oblectabimus. At Cineas: & cur hâc quiete, hîs deliciîs, quibûs omnibûs sine bello, cujus sors tam incerta est, nunc frui licet, non fruimur? suasit, sed non persuasit. Diogenes Cyricus ab Alexandro Rege, ejus paupertatem cernente quæsitus: quid rerum peteret, largô munera à se donandus? respondit: *Utri Rex plura deesse autumas? mihine? quid præter hanc tunicam & manticam meam aliud planè non quæro? an tibi? qui ut Regno Macedoniæ alia adjicias, tot discriminibus caput tuum objicis, & cujus explendæ cupiditati vix totus sufficit orbis? ergo te multò ditior opulentiorque sum.* Socrates si quando forum obiens, magnam rerum venalium rerum copiam intuebatur, in hæc prorumpere solebat verba: *ò quàm multîs rebûs non egeo!* laudabilî ergò paupertate Diis ipsis simillimum se æstimabat, nullâ re egentibus. Quare ò Christiane Lector! si tranquillam, & omnis miseræ servitutis expertem cupis in hac terra vitam vivere, inordinatum habendi affectum abjice. Licet rerum omnium premaris inopiâ, liberum tamen retinere poteris animum: *est* enim *Paupertas* teste Senecâ, *nulli malum, nisi repugnanti.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 25. lib. 4. Regum, in quibus describitur Jerosolymæ obsidio & eversio per Nabuzardam facta. Sedeciæ supplicium. Joachimi exaltatio.

Considera: MYsterium, Doctrinæ morali accommodum latere sub hoc, quod S. Scripturâ citatô cap. testetur; Nabuzardan (*Principem Coquorum* Septuaginta vocant, destruxerit muros Jerosolymæ urbis, aliàs invictissimæ. *Hic equidem Princeps coquorum* teste S. Greg. M. curæ past. p. 2. admon. 20. *Venter est, cujus magnæ curæ obsequium impenditur à coquis, ut ipse delectabiliter impleatur cibis. Muri Jerusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium superni Patris elevatæ. Coquorum igitur Princeps muros Jerusalem dejiecit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* Antiquissimus ille hostis, qui teste Joanne patuit olim ruinæ magnæ, quasi resumptîs viribûs Arcem illam invictissimam Christum Dominum oppugnaturus, & ut sperabat expugnaturus, quid quæso moliebatur, nunquid flammas libidinis pectori ejus injecit, quales injecerat Davidi, Salomoni & Samsoni, & mediantibûs quibûs eos straverat? aut obtulit pecunias, per quas innumeros alios, virtute munitos corrupit viros? neutro ex his, etsi fortissimîs, usus loquitur. Sed lapides tantùm objecit, additîs verbis: *si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* Quod debellandi genus considerans S. Chrysologus Serm. 3. ait: quid est, quòd jejunante Christô Deitatis signa in sola panis promissione perquirit? & quem Dei filium continuâ significatione jejunii persentit, esse Dei Filium de provisione panis, de cura ventris desiderat approbare? *si Filius Dei es &c.* Quare non dixit: si Filius Dei es, dic; ut homines Angeli, aut aliquid aliud fiant? quia scilicet mediante gulâ etiam per solum panem Christum à se, quantumvis ipsiusmet Dei Filius esset, seducendum sperabat: sed delusus à Christo, quem hîs armîs vincere non valuit, illa in nos debiles convertit, quotidianas fermè victorias cantans. Nec saturatur, nocuisse animæ per gulam, etiam corpori fatales machinatur insidias per hoc vitium, sciens illud S. Ambrosii Serm. de Cain & Abel effatum, millenâ experientiâ probatum esse: *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas.* item

N. 325.

item illud Eccles. 37. *In multis escis erit infirmitas.* Nam sicut pleniluni tempore cæsa aut plantata ligna ob humoris abundantiam, à luna tunc causatam vermes generant, à quibus corroduntur: ita corpus humanum nimiâ ciborum abundantiâ pastum morbos gignit, à quibus sensim destruitur, maturè tumulo inferendum. Hinc non ineptè gulam comparaveris piscinæ probaticæ, circa quam Joanne teste cap. 5. *Jacebat magna multitudo languentium.* Antiphanes Delius artis medicæ peritissimus dicere consueverat teste Clement. Alex. Pædag. l. 2. vel unam hanc esse morborum causam, quam gula vel maximè nostris exposuit temporibus! *Quidquid avium volitat*, pulcherrimè asserit Seneca 10. Rhet. *quidquid piscium natat, quid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quares nunc: cur subitò morimur? quia tot mortibus vivimus.* Quare ò Christiane Lector! si animam tuam à vitiis, corpus verò à morbis securum habere cupis, gulæ vitium ante omnia fuge: aut Dæmon per Nabuzardan coquorum Principem te divinâ gratiâ & sanitate corporis privatum, captivum sistet illi Regi, qui locô sceptri falce dominatur in omnes mortales. Sin verô fueris moderatæ abstinentiæ deditus, tunc post obtentas virtutes & multa merita, atque sanos dies, quos in mundo duces longos, id assequeris à Deo, quod Rex Joachim, modicô pane diu in carcere victitans, assecutus legitur à Rege Babyloniæ v. 28. citati cap. Illum enim eduxit Rex de carcere, *& locutus est ei benè, & posuit Thronum ejus super Thronum Regum &c. & mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat Panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ.* Quæ vita respectu tui erit tunc vita æterna.

(o)

FASCI-

FASCICULUS XLIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 2. & 6. libri 1. Paralipomenon, in quo describitur Index filiorum David, & fit repetita mentio petitæ aquæ ex Cysterna Bethlehem. Zelus Azariæ. Notandum autem Lectori: in his duobus libris tantùm ex illis capitibus moralia seligi, quæ præcedentia non tam fusè repetunt, ut alio faciunt.

Considera 1. ET admirare Davidis verba, jam semel in præcedentibus in admirationem ducta, vî quorum ipse cap. 2. v. 17. hujus libri tam avidè desiderat aquam frigidam ex cisterna Bethlehem, dicens: *ò si quis mihi daret aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta!* nunquid enim nullibi reperire erat aquas, sedandæ siti aptas? verùm admirationi nostræ & dubiæ quæstioni, morale responsum petenti, clarâ solutione occurrit Hugo Cardin. in Matth. 5. c. dicens: *hæc est cisterna Bethlehem, cuius aquas desiderat verus David &c.* verus David Christus est, nullas magìs sitiens aquas, quàm quæ ex profunda contriti pectoris cisterna per oculorum vascula extrahuntur: quid enim in Domo Pharisæi accumbenti sitim sedaverat? nunquid pocula optimô phalernô impleta? quid quæso divinæ temperantiæ cum poculis? soli oculi amarîs madentes lacrymîs hi sunt, qui sitim ejus restrinxêre. Quando pœnitens, & ad pedes abjecta mulier cœpit lacrymîs rigare Christum, cœpit illicò salutis humanæ avidissima sitis compesci. Salvator noster Matth. 18. protestatur: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis Regnum Cœlorum.* Sed quid aliud parvulorum est, quàm minante patre, virgas monstrante matre, nutrice lac negante ad lacrymas recurrere, ut iisdem emolliant iratos sibi. Pulcherrimè ad propositum nostrum asserit Petrus cellesc. c. 12. de pane lug. *demergit lacrima populum, Judicis intentatæ iræ humilî ausu flectit minas, vibratas evaginat acies, erecta jam resupinat supplicia exundantes irrorat flammas, perfundit de silice aquas, emollit aspera, humectat arida, sterilia* *N.* 326.

fœcundat, sordida lavat, suscitat emortua, reserat clausa, portas refringit Inferni. Quid plura? vincit invincibilem, ligat omnipotentem, naufragium est vitiorum portusque naufragantium, filium Dei ad nos inclinat. Ad hunc fontem lacrymarum Adam confugit in exilio, Noë in diluvio, Populus in deserto, Ezechias in lecto, Job in sterquilinio. Ad hanc cisternam contulit se David post adulterium, Petrus post negationem, latro post perpetratas cædes. Ad eandem & tu Christiane Lector confugias, ut Christo vero Davidi, tuam salutem avidissimè sitienti, acceptum deferas haustum, & quem tremendum aliquando perhorrescis Judicem, hôc liquore emollias.

N.327. *Considera* 2. Quòd etsi Antecessores plurimos numeraverit Azarias, Sacerdotalî Ministeriô functos in Templô, nullum tamen ex iis tam speciosô præconiô condecoraverit S. Scriptura, de illo solo asserens citatô cap. *Ipse est, qui Sacerdotiô Dei functus est in Domo, quam ædificavit Salomon in Jerusalem.* Videtur autem hoc Encomium ea de causa promeritus esse, quòd divinô instigatus zelô Oziam Regem sacerdotali officio se temerè intrudentem reprehendere non sit veritus. Ita plane veri Superioris & Sacerdotis nomen sine omine portat, qui humanô terretur respectu; ut taceat crimina Principum & plebis. Præviderat Christus Dominus: discipulos suos totô animô fore consternandos, si abitum suum eis intimaret, brevî instituendum; attamen talî respectu nequaquam motus, candidè dixit Joan. 16. *ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.* Haud dubiè prænoverat Joannes Baptista, Herodianæ Aulæ furorem in se fore provocandum, si suô functurus officiô argueret Herodem, sed isthôc motivô nequaquam absterritus exclamat: *non licet tibi habere uxorem fratris tui &c.* Quid aliud præmii locô sperare poterat S. Thomas Cantuariens. Episcopus, olim Angliæ Cancellarius, quàm carceres & tormenta, quin & mortem ipsam; si Regi, Ecclesiasticæ libertatis inimico, scelus rigidîs exprobraret verbis? at nullô terrore regiæ Majestatis libertas sacerdotalis linguæ comprimi potuit, ut taceret, nullatenùs tacenda. *Quisquis leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle*, ait S. Greg. adversus mulieres se ambitiosè ornantes: *omnis enim, cui legum cura mandata est*, metu vacare debet. Christiane Superior, qui aliorum curam spiritualem suscepisti, ne aliquando exclamare cogaris: *væ, mihi, quia tacui!* Isaiæ 6. *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*, annuntians credito *tibi populo scelera eorum &c.* Satius utique est, disgratiam hominum, quàm æternæ salutis jacturam subire.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 13. & 15. lib. 1. Paralip. in quibus describitur Davidis consultatio de Arca, convocatio totius Populi &c. Translatio Arcæ, portatæ à Levitis &c.

Considera 1. & admirare: Quòd David Arcam Dei decentiori loco illaturus, convocari jusserit omnes subditos: dicens cap. 13. *mittamus ad fratres nostros reliquos in universas Regiones, & reducamus Arcam Dei nostri ad nos.* Verùm admirationi occurrit Abulens. p. 6. in lib. 1. Paralip. asserens: *David idcircò omnes subditos convocavit, ut crederent, quòd ad omnes pertineat Deus.* Nempe tam communem vult Deus omni homini esse suam benevolentiam, ut nec ullus de infima sorte ansam habeat conquærendi: sibi non æquè ac Principi ad eum patere accessum. Quare *Lucem Mundi* se vocat Christus, innuens per hoc teste Hugone Cardin. *sum lux Mundi non Galileæ tantùm, non Palæstinæ, sed Mundi totius, illuminans scilicet Mundum luce naturæ, fortunæ, gratiæ & doctrinæ.* Confluxerat olim, ut refert S. Marcus c. 14. ingens turba, Salvatoris concioni interfutura. Quid tunc egit: ut ageret erga omnes parî affectu & effectu beneficium Doctorem? en! nulli auditorum obversurus tergum, relinquit terram, conscendit navem, & ex ea ad omnes à fronte positos dirigit Doctrinam suam. Quin imò vix natus evidentî argumentô docuit: quòd communi omnium bono sit natus; utpote non in Aula Cæsaris, aut Prætoris Palatio, quæ loca plebem ab ingressu arcere solent, sed in stabulo & quidem publicis usibus deputato nascitur. Nec tantis satur testimoniis etiam omnibus omnia factum se esse demonstrat, juxta effatum S. Ambrosii lib. 3. de virg. ante finem dicentis: *Christus est nobis omnia. Si vulnus curare desideras Medicus est. Si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, Justitia est: si auxiliô indiges, virtus est: si mortem times vitæ est: si cœlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.* Consonat Ambrosiô Chrysologus asserens Serm. 33. *tibi Rex, tibi Sacerdos, tibi pastor, tibi Sacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factum est, qui fecerat totum. Et qui sibi nunquam, toties tibi immutatur. Propter te varias mutatur in formas, qui manet unica Majestatis suæ forma.* N.328.

Considera 2. Per Levitas Arcam Dei portantes, & in hoc negotio teste S. Scripturâ c. 15. adjutos à Deo, Christianos moraliter intelli- N.329.

gi, qui facilî negotiô divinis obtemperant mandatis: eò quòd in ferendo legis onere adjutricem experiantur Dei manum. Quare Christus legem suam suave jugum appellat non tantùm ea de causa, quòd gravissimô pondere legis Mosaicæ exonerata sit, sed quòd Christus fortissimâ gratiâ illis succurrat, qui lubentî animô huic legi colla submittunt. Hinc asserit S. August. lib. de Spirit. & Pat. c. 19. *Gratia data est, ut impleatur lex.* Canticorum 4. Sponsus trinâ vice advocat dilectam suam, dicens: *veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis.* Libanus iste Ecclesiæ militantis typus est, de quo per sedulam legis observantiam evocatur Sponsa, Christiana videlicèt anima, ad Ecclesiam triumphantem ventura. Trinâ autem vice vocatur, quia à tota Trinitate vocatur; clamat enim Deus Pater *Itthi.* Quod latinè sonat: *veni mecum*, aderit tibi mea Omnipotentia, vires tibi additura, si credis, te huic itineri imparem. *Veni mecum* clamat filius. Si defuerit tibi sapientia, aderit mea sapientia, quâ illustraberis: *intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris &c.* Psal. 31. v. 8. *Veni mecum* clamat Spiritus Sanctus: ego igne amoris divini inflammabo pectus tuum, ut fervore conceptô non eas tantùm in hac via, sed & salias, aut voles: nam amor addit alas. Quemadmodùm ergo pondus etsi gravissimum, beneficiô plurimum rotularum unicô digitô tractum, altissima turrium conscendit sine labore: ita Lex Evangelica tot divinîs adjuta auxiliîs facillima redditur impletu. Quàm felicem igitur reputare te debes Christiane Lector, quòd ex tot millionibus hominum vocatus, Evangelico Jugo colla submiseris.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 17. & 21. lib. 1. Paralipom. in quibus describitur Davidis mens de exstruendo Templo, Israëlitarum electio, initus Populi numerus rejectô illorum consiliô, qui contrarium Davidi suaserant, inde secuta Dei pœna.

N. 330. *Considera* 1. QUàm ingens sit gratia vocationis ad veram Fidem catholicam: de catholicis enim solis dicitur, quòd olìm dictum de Hebræis cap. 17. v. 21. *Gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, & faceret Populum sibi &c.* Verùm quantò major hæc ipsa

ipsa censetur, tantò gravior & damnabilior est eorum nequitia, qui vocationi suæ difformiter vivunt: adeò, ut meritò eis obtrudat Apostolus Apocal. 3. v. 1. *nomen habes, quod vivas, & mortuus es &c* Substantiam sine accidentibus perire necesse est, ita fidem sine operibus. & sicut homo in optima navi positus, si nec vela explicet, quô ventum capiat, nec manus exserat, quâ remos ducat, & propellat navim, optatum non assequitur littus: ita qui verâ fide imbutus, virtutis opera negligit, æternæ Beatitudinis portum non obtinebit. *Quid faciendô?* non quid tantùm credendô, *vitam æternam possidebo?* quærit Salutis suæ cupidus adolescens Lucæ 10. atque hinc S. Petrus 2. c. 1. admonet: *satagite, ut per bona opera certam vocationem & electionem faciatis.* Cœlum merces est, ergo illud emi oportet. Corona est; ergo præsupponit conflictum. Lucrum est; ergo pretium exigit. Terminus est: ergo viam objicit transeundam. Non tantùm comparatur *thesauro*, qui merâ sorte quandoque reperitur, sed & *Margaritæ*, ad quam è profundo mari extrahendam requiritur labor. Non tantùm assimulatur *fonti hortorum*, qui sæpè beneficiô naturæ scaturit, sed & *puteo aquarum viventium* Cantic. 4. v. 15. Quem humanâ industriâ fodi necessum est. Etiam Dæmones dicuntur credere, & contremiscere, inde tamen salutem suam non assequuntur. Rectissimè igitur Fidem Catholicam S. Vincentius Ferrer. *Rachelem* nominat, quæ Christianum hominem mariti locô compellat, asserens: *Da mihi liberos*, id est bona opera, *alioquin moriar.* Genes. 30. pulcherrima sunt, quæ ad hoc propositum fusiorî quidem, sed non minùs gratô calamô scribit S. Chrysost. Serm. 23. ad Popul. *fidelem non ex solo munere Dei, sed ex novitate vitæ videre oportet: honoris enim magnitudo pro honoris Dignitate vivere nolentibus, fit major supplicii accessio. Fidelem igitur non tantùm ex his, quæ ipse præstat, par est effulgere, & ex omnibus esse partibus manifestum: ex incessu, ex aspectu & ex voce. Non ad ostentationem, sed ad videntium utilitatem Nunc autem unde te queam agnoscere? nam sive à loco te discere voluero? in theatris & in locis iniquis commorantem te intueor, in malignantium consiliis, in foro & in conventiculis hominum perditorum. Sive ab aspectus forma? video, te cachinnantem, & dissolutum. Sive à vestitu? cerno te, nihilomeliùs compositum à versantibus in scena. Sive à sociis? video, te mundanis & peccatoribus stipatum. Sive à verbis? nihil sanum aut necessarium aut vitæ nostræ conferens loquentem audio. Sive in mensa? & hic major apparebit accusatio. Unde igitur te potero fidelem agnoscere? &c.* hæc verba benè ponderes Christiane Lector; annon & te quoque tangant?

N.331. *Considera* 2. Quid mali evenire soleat illis, qui bonis aliorum consiliis non acquiescunt, suæ tantùm rationis ductum sequentes. David enim, etsi virorum prudentissimus, pessimè tamen erravit, dum rejectô Ministrorum suorum consiliô cap. 21. numerari voluit subditos suos: quare peccati sui ultorem illico sensit Deum, horrendâ peste subditos ejus affligentem. Sicut homini ignota loca peragranti nil magis necessarium, quàm Ducem itineris peritum sequi: ita cùm ob naturæ per peccatum corruptæ statum virtutis tramitem & veræ sapientiæ semitam ignoremus, aliorum consiliis & auxiliis obsequi oportet. Ingeniosa est illa de hirundine fabula. Hæc avis cùm semel iterumque alias monuisset volucres, ut semina lini eruerent, hoc verò consilium surda aure acciperent omnes, illa quantociùs in urbes & oppida sese contulit, ibidem moratura. Cæteris deinde avibus subsidiô lini captis strenuè illusit, tuta suo in tecto sedens. Quare ò Christiane! ne tartareus auceps frequenter te per illecebras capiat, prudentiûm & piorum virorum consiliis utere: divinô probata Oraculô res est Proverb. 15. *dissipari cogitationes, ubi non est consilium.* & eruditè admodùm S. Greg. Nissen. cap. 3. de Opif. humil. ait: ò rem admirabilem? sol creatur nullâ deliberatione præcedente, eôdemque pactô Cœlum, quibus duobus nihil potest esse par in rebus creatis. Ad solius hominis formationem Creator ille rerum quadam cum consideratione accedit: nam naturam nostram condidit velut Instrumentum quoddam, Regno administrando idoneum, quasi diceret: *creatus est homo, ut cum consilio gubernet, & ex sui molitione disceret, quô pactô & ipse reliqua moliretur &c.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 22. & 28. lib. 1. Paralipom. in quibus describitur Davidis zelus in præparandis ad Fabricam Templi expensis. Ejus Oratio ad Proceres de ornatu Templi & Vasorum &c.

N.332. *Considera* 1. CHristianos Voluntariæ Paupertatis amatores iisdem verbis uti posse, in Spirituali sensu acceptis, qualibus usus fuerat Rex David cit. cap. 22. v. 14. asserens: *ecce! ego in Paupertate mea præparavi impensas Domûs Domini.* Enim verò si ad Spirituale Ædificium, divinæ Majestati erigendum, se instar Impensarum habent variarum

rum virtutum actus, utique eò ditior quis erit, quò fuerit, virtuosior? Angelus in Apocalypsi scribens, calamum suum in hæc verba acuit c. 2. v. 9. *scio Paupertatem tuam, sed dives es.* in quem locum Hugo Cardin. ait: *dives es, scilicet divitiis spiritualibus*: credo Paupertate Magistrâ obtentis. Et hinc Eccles. homines quosdam vocat *divites in virtute*, atque Apostolus de primis Christianis, qui nil majori in pretio quam voluntariam paupertatem cum aliis virtutibus habuêre, dicit 2. Corinth. 6. *sicut egentes, multos autem locupletantes.* Maria Virgo, quæ per profundissimam humilitatem fundamentum in se jecerat præstantissimo Templo Dei, illud mediante maximâ paupertate ceû impensis confecit, apud S. Brigittam testata lib. 1. revelat c. 10. *omnia, quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque nisi victum tenuem, & vestitum reservavi. Nulla mihi nisi Deus placuerunt &c.* Christiane Lector cum Davide non tantùm de materiali, sed etiam Spirituali Templi ædificio sollicitus, collige sumptus in Voluntaria Paupertate, id est: non coacervandô Bona, sed relinquendô, si quæ habes, ut te admonet Beda noster in Lucam scribens. Nec satis est ea relinquere corpore, si retineantur mente, dum Christus Spiritu pauperes, ut alibi jam memini, petit. Non reliquit omnia teste Senecâ de paupert. *Qui retinuit seipsum. Imò verò,* subjungit noster Petrus Dam. de S. P. Benedicto, *nil prodest sine se ipso cætera reliquisse.*

Considera 2. Si singula Ministerii Sacri vasa necesse fuerit confici *N.*333. ex auro, puritatis symbolo, ut loquitur S. Scriptura cap. 28. quanta requiratur puritas in vasis illis, quæ non ad quodvis obvium & leve Templi Ministerium, sed ad tractandum, & recipiendum ipsius Domini corpus & sanguinem ordinata sunt. *Quâ igitur non oportet mundiorem esse eum, qui hoc Sacrificiô participatus est?* exclamat S. Chrysostomus homil. 83. in Matth. *quos radios non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem pertractat? os, quod igne impletur Spirituali? linguæ, quæ cruentatur admirabili sanguine?* in primitiva Ecclesia teste Pædag. Christ. c. 1. §. 3. Diaconus Communionem Populo præbiturus, altâ voce clamare consueverat: *Sancta Sanctis. Si quis non sit Sanctus, Sacramentum non accedat.* Ipsis etiam Angelis purissimis Spiritibus imperatur Genes. 18. ut accepturi figuram panis Eucharistici lavent pedes: quanta igitur cura lavandus homo, non figuram, sed figuratum ipsum sumpturus? Christus Dominus in montem Thabor discipulos suos ducturus, non lavit pedes eorum, sed ducturus eos ad mensam corporis & sanguinis, ut

per

per hoc doceat teste Sylveriâ hîc q. 26. majorem requiri puritatem in eo, qui accedit ad sumendum corpus Christi, quàm ad spectandam ejus gloriam. Curiosè forsan inquiret nonnullus, cur inter homines in morte discumbentes, viri tantùm censeantur ab Evangelista? nam Joannes ait: *discubuerunt viri quasi quinque millia.* Matthæus expressè excipit mulieres & parvulos. Responsum in promptu est, si consideremus, mulieres & parvulos à natura delicatulos, omne illud refugere, quod rigidum est, & naturæ vim infert, à Christo tamen requiritur ad obstergendas animæ maculas. Prout illud testatur S. Cyprian. Serm. de lapsu asserens: *quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens, & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit.* Virum se non mulierem probavit S. Margarita Virgo Regis Hungarorum filia, quæ pridiè Communionis jejunare in pane & aqua solebat, totaque nocte in oratione pernoctare. Pudeat Christiane Lector, te virum, virili in pœnitentia à fœmina vinci.

FASCICULUS L.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 2. Paralipom. in quibus describitur Salomoni collata Divitiæ, Sapientia & Gloria. Pactum ejus cum Hiram de Lignis & Operariis.

N. 334. *Considera* 1. SAlomonem etsi teste S. Scripturâ cap. 1. *Divitias, Substantiam & Gloriam* acceperit adeò copiosam: *ut nullus in Regibus nec ante nec pòst ei fuerit similis.* Nihilominùs tamen coactum esse fateri Eccles. 2. *vidi in omnibus vanitatem & nihil &c.* atque hinc illô etiamnum tempore, quô talibûs fortunæ Mundique Bonîs fruebatur, exclamare auditus est: *ego Ecclesiastes fui Rex in Jerusalem.* Utens tempore præteritô præsentis locô, quasi illud ipsum esse Divitiarum, Honorum & Voluptatum, quô tunc actu fruebatur, adeò

adeò vanum sit, ut merum fuisse, & non esse reputet, prout pulcherrimè explicat Hugo à S. Victore dicens: *fui, jam non sum. Et si sim, id ipsum jam nihil esse cognosco, quod sum.* Sunt porrò perquàm accommoda, quæ præfatus Salomon, suam probaturus sententiam, affert similia. *Umbram* primò vocans terrena omnia. Quid autem aliud umbræ proprium, quàm transire, & continuò declinare? vocat secundò *cursorem*, qui utique nunquam firmum figit pedem, sed perenni in motu cernitur. Tertiò *navim* nominat, quæ aquas velocî cursu pervolat, nullô sui vestigiô relictô. Quartò sagittam dicit, quæ perniciissimè aërem permeat. Hussiticus ille Princeps, qui unicô quasi momentô ad extremam redactus miseriam, opes & honores mundi, quibûs abundaverat, omnes perdidit. Exclamat cap. 30. *& velut nubes transiit salus mea.* Quintum afferens simile, planè adpositissimum. Quid enim nubes, nisi vapor ex humili regione terræ ortus, aliud fundamentum non habens cui innitatur, quàm aëris elementum, quod perinde est, ac dicere: caret omni fulcrô, cui innitatur? non durat longiùs, quàm nullus exsurgat ventus, qui eam dissipans annihilet. *Væ! vapor ad modicum parens*, ait mellifluus Bernard. Epist. 103. Quasi innuens: gloriam hujus mundi excelsam reddi instar nubis, sed ruinis subjici: plenam fieri luce, sed facillimô lapsu obscurari: resonare quidem per famæ rumorem, sed modicô afflatu dissipari. Atque hæc est ratio, cur omnem terræ gloriam & divitias Christus Dominus unico in momento sibi à Dæmone monstratas viderit Lucæ 4. Nec enim aliter monstrari potuêre, utpote quæ non nisi unicô momentô durant: quæ verba Evangelistæ expendens S. Ambros. ait: *benè in momento temporis temporalia & terrena demonstrantur: non enim tam conspectûs celeritas indicatur, quàm caducæ potestatis fragilitas exprimitur; in momento enim cuncta illa præterreunt, & sæpè honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi possit esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula?* quare ô Christiane Lector! relinque vana vanis, discens, quod discendum tibi præscribit S. Ambros. lib. de Virg. inquiens: *discite in hoc Mundo supra Mundum esse, & si corpus geritis, volitet in vobis ales Superior.*

Considera 2. Confessarium verumque Patrem Spiritualem moraliter fieri debere talem artificem, qualem physicè loquendô Salomon à Rege Tyri voluit sibi mitti cap. 2. scribens: *mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro & argento, ære & ferro &c.* noverit ergo *N.* 335.

confessarius operari in auro & argento: ut Christianos divinâ charitate aureos, & puritate à gravioribus culpis argenteos, ita sensim mediante suâ directione expoliat: quatenùs nihil in eis residuum sit, quod notabilis maculæ mereatur nomen. Quare doceat eos; quâ ratione non tantùm peccata venialia, sed ipsas etiam imperfectiones evitent, ut sic in vas Electionis perfectissimum cum Paulo Apostolo evadant. Noverit operari *in ære & ferrô:* ut indurata in peccatis gravibus pectora infernalium pœnarum metu ad veram emolliat pœnitentiam; ita tamen, ut limites non excedat discretionis, ne nimiô terrore utens, in desperationis barathrum tales abigat pœnitentes. Atque hinc venerab. noster Beda lib. de Salom. Templo c. 20. ait: *Super leones & boves. lora dependent, quando Sancti Doctores & in severitate districtionis, quâ peccatores judicant, & in mansuetudine lenitatis remittunt, judicium sibi timent auctoris: re fortè injustè ligandô ipsi justè ligari ab eo, cujus judicium errare nequit mereantur.* Meminerit sæpè historiæ illius, quæ contigit Christum inter & Samaritanam, peccatricem utique obduratam. Hæc haustum præbere rogata, roganti non tantùm obloqui, sed quasi in convitia contra eum erumpere est ausa, exclamans Joan. 4. *quomodo tu Judæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* quid ad hoc impudens quæsitum reponit Christus? en! non jubet illicò è Cœlo cadere flammas, è sylvis prodire leones, aut terram sub pedibus mulieris aperiri: sed lenî voce, vultu amænô replicat: *si scires Donum Dei &c.* Quare etiam Petro, qui zelô indiscretô in Malchum exarsisse videbatur, indignabundus imperat Matth. 26. *converte gladium in locum suum.* Hanc ergo duplicem, pœnitentes tractandi artem, disce Christiane, qui confessarium agis: ut fias cum Paulo omnibus omnia. Sin verò pœnitentem agis: tunc artificis Confessarii manibus te totum committe: urat ille, secet, expoliat &c. lubentî speras animô; cum in hoc negotio de tua tantùm agatur salute.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 9. & 14. lib. 2. Paralipom. in quo describitur Salomonis magnificus Thronus. Armamentarium nemore consitum &c. Asæ Victoria, de Zaran Æthiope obtenta.

*N.*336. *Considera* 1. MYsteriô non carere, quòd summæ Magnificentiæ Rex Salomon arma bellica poni voluerit in Viridario,

in

in loco deliciis destinato, dum asserit S. Scriptura cap. 9. *posuitque ea* (ducentas videlicet hastas, & trecenta scuta) *in armamentario, quod consitum erat nemore.* Volebat enim (si factum hoc moraliter interpretamur) indicare: nullibi magis opus esse spiritualibûs armîs, quàm ubi deliciîs sensualibûs indulgeri solet; ne tartareus hostis inermes facilî negotiô vincat, à sensualibus trahendô ad venerea, & illicita carnis oblectamenta. Uti fœcunda tellus sibi relicta, & non laboriosâ manu exculta, nil nisi carduos, spinas & tribulos parturit: ita corpus humanum inter aulæ illecebras, & quotidiana deliciarum objecta versans, si mortificationem penitùs abjiciat, defluit in carnales spurcitias. Hoc optimè compertum habens Casimirus, Sanctus ille Regis Poloniæ filius, inter medias Aulæ illecebras adeô ferendis ciliciîs, & frequentandis jejuniîs studuit, ut talium armorum subsidiô gravissimas tentationes facile perfregerit, mori malens, quàm castitutis jacturam, ex Medicorum nuptias suadentium judiciô, facere. Philippus II. magnus Hispaniæ Rex morti proximus cistulam eburneam sibi afferri petiît. Detinebat illa Crucifixi Imaginem cum flagellô, quæ filio suo Philippo III. porrigens dixit: Patrem Imperatorem Carolum V. Crucifixi imaginem manu tenentem exspirasse: se vero Deum precari, ut filio suo eandem gratiam concedat, quatenùs & ipse moriturus hoc salutis trophæô discedat armatus. Cum flagello autem posse sanguinem ejus cum *Avi* & *Patris* sanguine commisceri. q. d. en! flagellum istud in regia Aula Carolus & Ego Spiritualis armaturæ locô servavimus, non sine sanguinis effusione illô sæpiùs usi contra ingruentes carnis stimulos: tu quoque ò fili! parem in finem côdem utere. Hæc monita Christiane Lector tibi quoque dicta putes; & hinc eisdem morem habiturus, mortificationis arma tibi familiaria habe, usurpanda iis vel maximè in locis, qui gulæ illecebris & sensuum oblectamentis deserviunt.

Considera 2. Regem Asa non copiosô gladiorum apparatu, non *N.*337. curribûs falcatîs, non cataphractîs equitibûs, sed parvulâ militum manu, quam solâ oratione armaverat, obviam perrexisse Zaram Æthiopi, cum exercitu centenorum millium militum approperanti, planè capaci: non tantùm Palæstinæ Regionem, sed mediam orbis totius partem susque deque vertendi. Sed hem! res tam felicî eventu agitur, ut teste S. Scripturâ c. 14. *exterritus hostis fugeret, quem persecutus est Rex Asa: grandis quippe terror cunctos invaserat.* Verisimè igitur exclamat S. Chry-

Chrysost. super Matth. cap. 18. *nihil potentius homine orante.* Ægesippus lib. 5. cap. 16. narrat: Ezechiam Regem ingentî hostium exercitu circumdatum, non verba verbis, nec arma armis conferenda credidisse: sed inductum esse ciliciô, texisse caput, cinere pro galea usum, pro jaculis intorsisse orationem. Citati authoris verba sunt: *ascendit oratio, descendit Angelus, cæsu per noctem Assyriorum 185. millia. Cadavera numeravimus, percussorem non vidimus.* S. Jacobus Nisibensis Episcopus, ut vidit, civitatem suæ creditam tutelæ, à ferocibus hostium turmis quaquaversùm cingi, & extremum ei excidium parari, non tela in obsidentium cohortes, sed preces in Cœlum misit: quô factum, derepentè pulicum & ciniphum agmina in ferreos eorum cuneos invecta esse, quibûs territi, fugam ociùs capessebant. O Christiane! quot sunt, qui diu noctuque te impetunt? quot membra, tot hostes numeras, quot appetitus & passiones tot inimicos, ad quam ergo armaturam aliam in tui tutelam confugies, nisi ad fervidas preces?

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 15. & 16. lib. 2. Paralip. in quibus describitur Populi devotio, Simulachrum Priapi comburentis. Asæ impœnitentis fiducia in medicis posita, & non in Deo.

N.338. *Considera* 1. PUlchram & utilem in hoc latere Doctrinam moralem; quòd venereum *Priapi* simulachrum in frusta comminutum, combustumque sit in *torrente Cedron* teste S. Scripturâ cap. 15. nomine torrentis hujus, de quo Vates regius Psal. 109. cantat: *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Amarissima Christi Passio designatur, dum asserit Evangelista Joannes c. 18. *egressus est cum discipulis trans torrentem Cedron*, initium positurus Passioni suæ, cui tanquam *torrenti* per fervidas meditationes immersa, extingueretur omnis veneræ voluptatis flamma. Ad hunc torrentem se contulit S. August. asserens de se in manuali c. 22. cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm me premit caro, recordatione vulnerum Domini resurgo. Cùm Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera Misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filii extinguitur, Crediderim; eandem Augustino fuisse mentem

inter

inter carnis incendia, qualem habuit olim Ægyptius Joseph, qui fortissimos, impudicæ Dominæ assultus his excussit verbis: Genes. 39. dicens illi: *ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat: quid habeat in Domo sua: nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es. Quomodo ergo possum hoc malum facere? & peccare in Deum meum?* non disparibûs inquam verbis credo, Augustinum fuisse usum, ad retundendos veneris assultus dicentem: ecce Dominus meus omnia mihi tradidit, *imò tradidt semetipsum*: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? captus est ille amore mei, & ego capiar amore meretricis lascivæ? ille pro me vulneratus est, & ego obscœnis voluptatibus cum illius gravissima offensa inserviam? ille non habuit, ubi coronatum caput reclinaret: & ego reclinem caput meum rosis cinctum Samsonis ad instar in protervæ Dalilæ sinu? quomodò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? non erat ille mihi obstrictus, & tamen redemit me: ego me illi obstrictum profiteor, & offendam illum? debebat mihi flagella, crucem & mortem, quæ tamen omnia pro me lubens subiit: hinc debeo illi, quidquid possum obsequii & rependam summas injurias? quomodò possum hoc malum facere? &c. Oseas Propheta obscœnæ amatricis concupscentias ita describit c. 2. *vadam post amatores meos &c.* At quô tandem modô putas, hanc amantis amentiam, & æstuantem à libidine impetum esse repressum? en! respondet S. Textus: *propter hoc ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam macericâ, & semitas suas non inveniet.* Quænam verò spinæ, nisi illæ, quæ Sacratissimam Christi frontem transfixêre, ab Osea tot abinde sæculis jam prævisæ? quis ergo cum Augustinô non dicat: *nullum tam potens esse tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quàm mortem Redemptoris.* Manu. c. 23. quare etiam inter septem hebdomadæ dies sextum videtur Christus elegisse, ut die illô, veneri ab antiquis dicatô patiens, fortius venerem impugnaret, à fidelibus in mente volutatus. Hinc Christiane Lector projice te in torrentem Passionis Dominicæ, & extinctô libidinis igne exardescet in te ignis divini amoris. Quotiescunque turpis cogitatio tuam subit mentem, dic ociùs: quomodo possum peccare in Deum meum, amore mei tam amara passum?

Considera 2. Ex sexcentis peccatoribus vix unum reperiri, de quo non idem verificandum, quod S. Scriptura testatur de Asa *c.* 16. dicens; *Nec in infirmitate sua quæsivit Dominum &c.* naturale enim est, ut ait *N.* 339.

S. Bernardinus tom. 1. serm. 13. art. 3. c. 2. *& experientia hoc clarè ostendit: quod ea, quæ versantur in mente viventis versantur etiam communiter in mente morientis, dilexit in vita sua gloriam & honores, fastum & pompam &c. iisdem quoque in morte affectus erit.* Evangelicus ille Dives eâdem nocte, quâ in ultimum somnum oculos debebat claudere, non alias mente versabat cogitationes, quàm istas Lucæ 12. *Anima mea habes multa bona, reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Aptissimè comparatur tempus mortis somno: ut enim in somno occurrunt species de rebus per diem in mente agitatis; ita in morte objici plerumque solent gesta per vitam. Quare avarus ille, qui teste Josephô Mansiô in maxima annonæ penuriâ Arimini noluit triticum suum vendere, donec ejus pretium summè accrevisset: postquam audiit, advenisse peregrinas naves, quæ illud duobûs solidîs & mediô exponerent venale, in rabiem puniente Deô actus, has in voces erupit: *duo solidi cum dimidio!* quæ verba longiorî tempore repetens, cum illis effudit animam. Talia benè ponderans Christiane Lector morem habe monitis Eccles. cap. 5. dicentis: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem &c.* Sera parsimonia in fundo est. Quæ homo seminaverit per vitam, in morte metet. Si tuo in pomario staret arbor, per integros viginti aut triginta annos nullîs fœcunda fructibûs, nisi merè sylvestribûs, crederesnè: illam tunc nobiles fructus producturam, cùm de ea cogitares, securî scindenda? quomodo igitur præsumes: paucîs diebûs, quas forsan in infirmitate tua vives, te dignos pœnitentiæ fructus pariturum, qui viginti aut plures annos inter mera vitia transegisti? repones forsan: non paucos peccatores tranquillè mori. Ah! tranquillitas ista pejor est omnî tempestate: tam placida enim mors nasci non potest aliundè, quàm ex præsentia Dæmonum, tentationum suarum impetu etiam ipsam fidem eripientium. Arida & nigrescente linguâ si æger non quæritur sitim, signum præsentis delirii præbet. Haud secus peccator moribundus, qui eò devenerit, ut nihil videatur formidinis pati, ipsô factô indicat: quòd Atheistarum deliriô captus, nec Deum, nec Infernum, nec Paradisum agnoscat. Adhæc quis persuadeat sibi: Dæmonem tunc temporis adeò quietum fore, nisi prædam jam quasi intra suas fauces hærentem haberet? canis si coturnicem stiterit, etiam subsistit, non latrans, nec se movens; hæc verò ipsa quies certum venatori dat indicium volucrem jamjam esse deprehensam. Ita peccatoris, sine ullo timore morientis status

signum

signum est: illius animam jam certâ quasi spe à Dæmone captam esse. Quare refutatâ hâc futilî objectione, argumentum Eccles. tibi iterum propono: *non tardes converti &c.* ne vanâ fiduciâ cum Asa delusus, pereas.

FASCICULUS LI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 19. & 22. lib. Paralip. in quibus describitur reformatio Levitarum & Judicum, facta à Josaphat. Impii Ochoziæ misericordia exhibita Joram ægrotanti, invisendô eum &c.

Considera 1. QUàm salubrem & summè necessariam Superioribus Judices agentibus, proponat Doctrinam Rex Josaphat, dum cap. 19. asserit de S. Scriptura: *Præcipiens Judicibus, videte ait: quid faciatis?* hoc est Lyrano teste: *ne præcipitanter, sed cum magna deliberatione sententiam feratis.* Quare non absque notamine Matthæi 5. dicitur: Christum Dominum *sedisse*, ut teste Abulensî signaretur hâc sessione maturitas Judicii; quam exigunt Jura dum volunt, sententias nonnisi à sedentibus ferri. Nautæ Jonam in mare jactaturi, etsi jam haberent fatentem reum, & petentem: ut mitteretur in mare; manus tamen ab illo retraxêre, antequam sollicitâ, & scrupulosâ indagine quæsissent: *quid fecisti?* imò jam cognitâ ab eo gravis inobedientiæ causâ, adhuc morabantur, secundam movendô quæstionem v. 11. cap. 1. *Quid faciemus tibi?* tunc demum spumantibus cum procellis ad certum vitæ periculum committunt. Hic Jonas tertiâ die ex faucibus balenæ ejectus, typus est Christi, quem ea de causa scimus, à Judicibus Hebræis & Pilato damnatum injustè: quòd nimis præcipitanter in illo Judicio res acta sit, invidiâ sententiam urgente. Aderant tot clarissima Innocentiæ testimonia, sed hîs omnibûs nullatenùs auditîs, cæcô impetu & furore concluſum est ociùs; *N.* 340.

ociùs: *Moriatur unus &c.* Veros Judices imitari Cytharædos oportet teste Didacô Nyss. lib. 8. c. 3. Hi antequam cytharas animent, singulas probant chordas, an concordent? certi: vel unius chordulæ discordantiâ integram musicam corrumpi. Varia S. Scripturæ loca, quæ Deum ipsum sub forma Judicis adducunt, testantur: Illum *descendere, venire &c.* quasi verò motu localî indigeat, qui rebus & Personis omnibus intimè præsens est, & cujus oculis teste Apostolô Hebr. 4. *Sunt omnia nuda & aperta?* verùm hîs terminîs ideò utitur S. Scriptura, ut juxta effatum Magni Basilii Psal. 32. omnes intelligant; *quia ad judicandum requiritur summa attentio, & operum examen*; ò Christiane Lector! si Judex iste Supremus præcipitî zelô contra te processisset, quas pœnas nunc inter tartareos rogos, aut saltem inter purgantes flammas sentires? disce ergo, imperiis Regis Josaphat morem gerere, si Judicem agis in foro. Aut si tali non fungeris officiô, disce saltem, non præcipitare sententiam temerè judicandô ubi aliorum delicta ad tuas devenerint aures.

*N.*341. *Considera* 2. Tam præstantis apud Deum Meriti & æstimationis esse Misericordiæ charitatisque fraternæ opera, ægrotis impensa: ut inglorium hominis nomen mutent in aliud apprimè glorioſum. Enim verò postquàm Ochozias descendit, ut inviseret Joram filium Achab, in Jezraël ægrotantem cap. 22. aliud nomen obtinuit, *Azarias* appellatus testante græcô textu: *Descendit Azarias de Juda*, quod nomen denotat *Adjutorium Dei*, prædicatum planè excellentissimum. Verba S. Hieronymi, hanc miram nominis mutationem notantis, sunt ista; *Ideò mutatur ei nomen in melius, eò quòd juxta Præceptum Domini ad visitandum infirmum descendit.* Tam insigne nomen apud cœlites habiturus S. Bernardinus: annô supra millesimum quadringentesimô, quando horrenda lues Senîs grassabatur cum fœtore propemodùm intollerabilî & plurimorum morte, duodecim adolescentibus ignitâ oratione persuasit, ut se Duce ægrotis totos sese impenderent, quod fecêre promptissimè, ut refert Surius 20. Maji in vita Sancti. Par nomen obtentura Placilla Theodosii Imp. uxor, miram ægrorum & mutilatorum curam gerebat: in illorum enim domicilia se conferre, & quâ quisque re indigebat, hanc liberalî manu subministrare consueverat. Ecclesiarum hospitales domos circumiens, eos, qui gravibûs morbîs lecto affixi erant, curabat. Vide Niceph. lib. 12. c. 42. Taceo stupenda misericordiæ opera, quæ eôdem teste lib. 11. cap. 35. quidam Ap-

pol-

pollonius nomine, Nitriæ montem inhabitans, ægrotantibus exhibuit: Nam Ille cùm provectæ ætatis virum ageret, nec litteras, nec ullam artem discere valentem, viginti integrîs annîs se totum curæ ægrorum impendit, omnia, quibûs opus habebant illi, procurare laborans. S. Thomas Angel. Doctor, in 2. 2. q. 30. Subtilem movet quæstionem de Misericordia: an illa cæteris virtutibus præponderet? & affirmativam defendens sententiam, in hæc verba calamum acuit: *Tantò aliqua virtus est melior, quantò facit hominem Deo similiorem: quia per hoc melior est homo, quòd est Deo similior. At hoc maximè facit Misericordia, quia de Deo dicitur in Psalmo: miserationes ejus super omnia opera ejus.* Christus Dominus Evangelicam perfectionem in suis habiturus discipulis, eis originale proponit imitandum, dicens Matth. 5. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester perfectus est &c.* Verùm ò Christe, Magister optime! dic quæso: quômodô id continget? ergonè humanam exuent naturam, induturi divinam? dubiæ quæstioni occurrit Hebræa phrasis, juxta quam *Tò Sanctum & perfectum* idem denotat, ac esse *Misericordem.* Vide ergo Christiane Lector Evangelicæ perfectionis Tyro, quàm facilis tibi monstretur via, ad illam pertingendi. Stude Misericordiæ operibus, invisendô ægrotos, eos quâ factîs, quâ verbîs adjuvandô, & magnîs passibûs ibis Evangelicæ perfectionis viam.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 25. & 29. lib. 2. Paralip. in quibus describitur Amasiæ Victoria de Idumæis obtenta, Idolorum Cultus &c. Ezechiæ Pietas.

Considera 1. QUàm ingens exstiterit Regis Amasiæ dementia, dum S. Scripturâ teste cap. 25. *Post cædem Idumæorum & allatos Deos filiorum Seir, statuit eos in Deos sibi, & adoravit eos, & illis adolebat Incensum.* Clarâ experientiâ didicerat, Deos illos nihil auxilii tulisse Cultoribus suis: quid ergo subsidii Ipse à talibus poterat sperare? Verùm utinam non parem in amentiam prolaberentur plurimi Christianorum! utinam non paris stultitiæ tu quoque Lector de te præberes signa! nonne divinâ adjutus gratiâ varia vicisti vitia tanquam hostes tuos: & tamen Idolum illud, quod Mundus in sui perniciem adorat, tulisti, statuens illud in Deum tibi, quem adorares, vanam videlicet gloriam per heroicos virtutum actus quæsitam. *ò novæ calamitatis* *N.* 342.

tatis genus! exclamat S. Chrysost. Homil. 72. in Matth. 22. *ò furiosam turbationem! quæ tinea corrodere non potest, nec fur violare, ea inanis gloria omninò dispergit &c.* Hanc pestilentiam satis perspectam habens Vates regius, ne vincendô tot hostes Dei, à vana gloria Ipse vinceretur, in psalmis nil nisi sua decantat peccata: nullibi Philistinorum stragem, aut Moabitarum cladem, aut prostratum Goliath memorans. Judith de impiissimo triumphans Holoferne juxta S. Scripturæ effatum narratur bis percussisse cervicem ejus, & amputâsse caput: ut geminô hoc ictu duplicem reportaret Victoriam, Tyranni videlicet & simul vanæ gloriæ debellatæ. Ita hostes animæ nostræ per virtutum actus binâ vice feriendi sunt. Quare jam memoratus Vates pro nobis Deum precatur Psal. 120. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* Dandô non tantùm auxilium pro vincenda tentatione, & exercenda virtute, *quæ introitûs* nomine intelligitur, sed ferendô quoque opem, ne obtentâ victoria, quæ *exitûs* dicitur, per vanam gloriam mercedem perdamus.

*N.*343. *Considera* 2. Quomodo Ezechias cap. 29. hujus lib. Deo gratissimum daturus sacrificium, Levitas animârit ad Laudes Illi concinendas. *Quantum enim aurum præstat lapidibûs*, ait Philo Hebræ. lib. de Vict. off. *Tantum acceptior est suffitus gratiarum actionis.* Atque hinc Propheta regius, cùm ob tot tantaque à Deo accepta Beneficia, cogitaret: quîs tandem muneribûs suam testaretur gratitudinem? & inter tot pecorum greges, inter tot thesaurorum varietates nil reperiret, quod dignum tantis Beneficiis æstimaret: anxiâ dubiâque mente fluctuans, quôdam die in hæc erupit verba: *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* sed supernô tandem lumine illustratus concluſit: *tibi sacrificabo hostiam laudis?* quasi verò cæteris omnibus victimis & rebus in honorem Dei oblatis longè præponderet Hostia laudis. De Husitico legitur Principe: illum singulîs diebûs obtulisse sacrificia pro filiis & filiabus, ne in conviviis temperantiæ limites excedendô *peccârint.* Verùm eô tempore, quô tristissimum tulit nuntium de subitanea prolium morte, nullum legitur mactâsse vitulum &c. quem Deo Sacrificii locô daret: cùm tamen de æterna eorum salute magìs sollicitus esset, quàm de temporali; & hinc credi posset, duplicatis Sacrificiîs illum coram Deo compariturum. Sed re ipsâ duplô triploque majus, quàm aliîs vicibûs tunc obtulit Sacrificium, etsi nec vitulum, nec ovem, nec bovem visus sit obtulisse; talium enim locô in divi-

nas

nas laudes & gratiarum actionem erupit, resignatâ penitùs in divinum beneplacitum mente exclamans: *Sit Nomen Domini benedictum &c.* Quare S. Chrysost. Homil. 1. in Job. ait: *perfectam gratiarum actionem locô Sacrificii obtulit dicens: sit Nomen Domini benedictum.* Colliges inde ò Christiane! quô signô testari debeas gratam pro divinis beneficiis memoriam.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 33. & 36. lib. 2. Paralip. in quibus describitur Manassis Impietas, captivitas, pœnitentia &c. Impietas Israëlitarum, gravis pœna ipsis inflicta per Chaldæos.

Considera 1. QUòd verissimè dixerit Isaias cap. 28. v. 19. *Vexatio intellectum dabit.* Hoc enim præter innumeros alios suô testabatur exemplô Manasses olim Regum impiissimus, sed talî stimulô ad pœnitentiam compulsus. Is omnem Dei veri notitiam videbatur à mente excluisse penitùs, donec in servitutem abductus, & in obscurum carcerem conjectus *cognovit* teste S. Scripturâ c. 33. supra cit. *Quòd Dominus Ipse est Deus.* Non secus mentis oculos Regi Antiocho aperuit calamitas, quos ei clauserat terrena felicitas; fatalibûs enim corporis doloribûs pressus, exclamare auditus est Machab. 1. c. 6. *Nunc verò reminiscor malorum, quæ feceram in Jerusalem,* Saulus, etsi sedulam studiis locaret operam in schola Gamalielis; mansit tamen tam densîs in intellectu suô tenebris obsitus, ut nihil de clarissima Christianæ fidei luce intueretur; donec in Campo Damasceno ex equo præceps actus, & in corporeis oculis tetrâ cæcitate percussus, audire meruit; *ego ostendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati.* Tam insignem tribulationis effectum contemplatus Laurent. Justin. lib. 2. de Spirit. animæ resurrect. inquit: *Videsnè, quàm fructuosa sit tribulationum vexatio, quæ æquô animô adversa patientibus tam præclarum tribuit intellectum?* hêrcle sicut stellæ serenâ die nostris oculis suum abscondunt lumen, quod tamen in nigra monstrant nocte: ita tribulatio intellectum illuminat, quem Mundi Felicitas & optatus terrenarum rerum successus ob curaverat; atque hinc Zeno Citicus Philosophus dicere consueverat, nunquam se meliùs, nunquam feliciùs se navigâsse, quàm cùm fractâ navî & ampliissimîs opibûs naufragiô amissis enatârit; N.344.

tunc enim se ad Philosophiæ studium incubuisse, magnô scientiæ thesaurô illustrandum. Adhortor ergo te Christiane Lector verbis Apostoli Jacobi, dicentis: cap. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, scientes: quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia verò opus perfectum habet.* Sic imitaberis pœnitentem Manassen: auferendô de Templo cordis tui *Deos alienos*, inordinatas videlicet supprimendô Passiones. *Instaurabis* cum eo Altare Domini, immolans super illud gratissimas laudum hostias, & præcipies omnibus tuis Potentiis sicut Manasses Judæ: *ut serviret Domino Deo Israël* v. 17. cit. capitis.

N.345. *Considera* 2. Et admirare: Hebræos eò tandem impietatis devenisse: ut non tantùm Personæ Laicæ, sed etiam ipsi Principes Sacerdotum relictô veri Dei Cultu *Thus* abolerent Diis Gentium. Verba S. Scripturæ cap. 36. sunt: *universi Principes Sacerdotum & Populus prævaricati sunt iniquè juxta universas abominationes Gentium, & polluerunt Domum Domini.* Causam verò hujus pessimæ metamorphoseos si inquiras? respondebit illicò sacer textus v. 15. citati cap. *Mittebat autem Dominus Deus Patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, & quotidiè commonens: at illi subsannabant nuntios Dei, & parvi pendebant sermones ejus, illudebantque Prophetis.* Sicut aqua in hortis optimis deficiente necesse est, arescere flores omnes, ita non accepto in auribus fidelium Verbi Divini fonte, quidquid residuæ pietatis est, perire cogitur. Cyrillus Alexandrinus in Joan. c. 19. scribens opinatur: Dæmonem post acceptam in ultima Cœna buccellam Judam intrâsse, ut perurgeret eum, ad cœnaculum ociùs deserendum: ne moram ibi diuturniorem trahens, sermoni Salvatoris interesset, & per eum conversus resipisceret, potatus ex fonte, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum. S. Epiphanius, Dorotheus & Chronicum Alexandrinum referunt teste Sanctiô in 2. Regum cap. 7. prævidisse Nathan Prophetam gravissimum Davidis adulteri lapsum, quem Verbô Dei præverteret, celerrimè è patria advolâsse Jerosolymam: verùm Belial seu Dæmonem ei objecisse corpus exanime, cui à volucribus & feris vindicando, dum Propheta admoverat manus, illud sepulturæ tradens, transiisse interim tempus, peccâsse Regem, & divinâ revelatione, de peccato certiorem redditum Prophetam re infectâ remeâsse Domum. Historia hæc, etsi nullis S. Scripturæ innitatur verbis, innititur tamen gravium Doctorum authoritati, docens; quantum machinetur Dæmon, ut homi-

nes

nes à verbi divini fonte avertat. *ò quanta oblivio*, exclamat S. Thomas à Villanova in sexages. *quanta negligentia ! quantus contemptus esset ! quomodo inundarent omnia peccatis ! cùm etiam inter reprehensiones & exhortationes abundent satis delicta.* Loquitur S. Præsul de miserando hominum statu, qui contingeret ex defectu Evangelicæ Prædicationis. Theodoretô teste Persæ ante audita sacri Evangelii verba, adeò extra limites honestatis & temperantiæ vagabantur, ut non sorores tantùm, sed filias etiam, & matres sibi conjugio copularent. Eò adhæc crudelitatis devenerant, ut defunctorum hominum cadavera sepulturæ locô canibus objicerent devoranda. Scythæ verò eò immanitatis fuerant progressi, ut tumulo vivos mortuosque reconderent. Omnium immanissimi Massagetæ non usu tantùm, sed latâ lege senes suos mactatos, in lætis conventiculis devorare consueverant. Verùm gentes istæ divini verbi fonte per Apostolicos viros potatæ, magna ex parte in alios transiêre homines, & quidem in tales, qui cum vera fide pulcherrimos virtutum actus conjunxêre. Saracenus quidam teste Bernard. Busto: cùm Florentiæ concionem audiens in uberrimas solveretur lacrymas, rogatus: cur fleret? reposuit: fleo Saracenorum calamitatem & Christianorum ingratitudinem, si namque hæc concio Damasci facta esset in centum millium corona, plures octoginta sex millibûs ab errore conversos crederem. Christiane Lector, si tuorum criminum & neglectæ hucusque pœnitentiæ causam inquiras? eandem deprehendes, quam de Hebræis superiùs citata affert Scriptura. Ad vanos hominum discursus, ad novellas, ad verba detractoria vel etiam lasciva paratam semper defers aurem: at surdescis ad fervidas prædicantium voces, si non etiam easdem rideas. *Ex Deo est, qui verba Dei audit.* Ergo ex Deo non eris, qui adeò divinum abhorres verbum: haud aliter neglectum hunc luiturus in anima tua, quàm luerant Hebræi in corpore: *Ascendet enim furor Domini in te.* Tartareus *Rex Chaldæorum adducetur super te*, & in infernalem *Babylonem*, æternâ captivitate premendus te abducet, nisi fueris emendatus.

FASCICULUS LII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 1. Esdræ, in quibus describitur Cyri Regis Persarum mandatum de exstruendo Templo per Israëlitas, è captivitate dimissos, eorum fervor in factis Oblationibus &c. Reducum numerus.

N.346. *Considera* 1. QUanta vis insit bonis Superiorum exemplis; enim verò quamprimùm teste cap. 1. v. 5. *Surrexerum Principes. Patrum de Juda & de Benjamin &c.* Manus & divitias suas admoturi Templo in Jerusalem, illicò *universi, qui erant in circuitu adjuverunt manus eorum in vasis argenteis & aureis, in substantia & jumentis, in suppellectili: exceptis his, quæ sponte obtulerant* v. 6. citati cap. Venerat aliquando (ut referunt Evangelistæ) Salvator noster in partes Cæsareæ Philippi, & interrogans discipulos Matth. 16. ait: *quem dicunt homines esse filium hominis?* postquam responso tulit; alios Joannem Baptistam, alios Eliam, alios Jeremiam, aut unum ex Prophetis illum credere; auditis Populi sententiis quærit v. 15. *Vos autem, quem me esse dicitis?* cùm enim discipulos in Principes totius mundi, & in primum Mobile universæ militantis Ecclesiæ designâsset: hinc volebat ex eorum sententia cæterorum omnium verum dependere Judicium; illis ergo rectè sentientibûs cæteros errare nullatenùs posse. Quare regius Vates de veris Rectoribus Ecclesiæ canit Psal. 44. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram, memores erunt nominis tui.* Futurumque inde præsagit effectum optimum, cantans: *Propterea Populi confitebuntur tibi.* Nec enim creaturæ usu rationis præditæ (ut jam fusius alibi probatum est à me) sed etiam sensu carentes dirigi videntur exemplis Superiorum. Quando fluvius Jordanis vidit mare Israëlitis siccum præbuisse iter, Superiorem suum imitatus (nam teste Eccles. c. 1. *Omnia flumina intrant in mare*) liberum quoque transitum eis concessit. Quare Christiane Superior! ut verba tua, quibûs ad virtutem accendere conaris subditos tuos, effectu non careant,

careant, exemplô tuô dicta confirmes: *non enim* teste Cassiodorô lib. 11. var. qq. *potest authoritatem habere sermo, qui non juvatur exemplô, dum iniquum sit bona præcipere, & talia non facere.*

Considera 2. Hebræos è servitute Babylonica liberatos: ut tædium longô gravique itinere conceptum lenirent, jussisse puellas prodire in medium teste quodam Recentiorum: Has verò puellas suavî concentu & honestô saltu ad residuum iter Populum animâsse. Ubi specialî notamine dignum est: quòd cantatrices & saltatrices istæ, dum suô fungebantur officiô, Jerosolymam versùs contenderint, terga vertentes Babyloniæ. Inversô proh dolor! modô gerere se solent Christiani, dum cantibus & saltibus indulgent: illi enim nunquam magis Jerosolymam, Patriam videlicet cœlestem, fugiunt, eique terga obvertunt, quàm illô tempore, quô talibûs exercitiis indulgent, quorum naturam describens Patriarcha ait: *esse Veneris præludium, libidinis stimulum, laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces.* Quando Delphini in undis læti tripudiant, certissimum nautis præbent indicium secuturæ tempestatis; ita cum ad choreas publicas hilares confluunt viri & fœminæ timendum erit, orituram brevi tempestatem, in qua pudicitia naufragium sit subitura. Ludovicus Garon Cent. 3. §. 100. narrat: ad fœminas nocturnis choreis occupatas intrâsse maritos larvatos; ubi dum quisque suam in gyrum duxisset, tandem post tapetes abductam ad flagitium invitâsse. Annuisse singulas, conjugalis fœderis oblitas, clarissimo existentes argumento, quanta vis frangendæ pudicitiæ insit choræis. Hinc asserit citatus Author: *hic ludus multorum dedecorum causa fuit: sæpè illic matrona diu servatum decus perdidit. sæpè infelix virguncula ipsô nuptialî die didicit, quod melius ignorasset.* Quî enim fieri potest, ut ignis paleæ junctus, non excitet incendium? & sal appositum aquæ non resolvatur? saltus Herodiadis adeò rapuit Herodem, ut ei promitteret dimidium Regni, quin & caput Joannis, summè tamen à se æstimati? quid saltatrices non impetrabunt ab aliis, quos manu tangunt, quibus oculis & gestibus colludunt, accedente Musices concentu, qui ipsô magnete fortiòr est in captivandis animis? Fridericus III. teste Æn. sylvio lib. 1. coment. in Panorm. dixisse fertur: *malim febribûs in lecto detineri, quàm minimam saltationi operam dare.* Sentiens, ipsum saltandi studium febrim esse, eò magis abominandam, quô certiùs ipsi animæ æternam minitatur mortem. Videtur tartareus hostis, chorearum inventor Hanniba- N. 347.

nibalem imitari. Is aliquando inimicam urbem armîs expugnare non valens, isthoc dicitur cœpisse consilium. Noverat: cives illos ad celebrandum inter choreas & tripudia sacrificium Urbem quandoque egredi. Hinc suos milites, parem saltandi artem edoctos, jussit saltantium choro se immiscere, qui strenuò imperiis hisce obsecuti, cum civibus devenêre in Urbem, leviſſimô molimine ab Hannibale subactam. Talî astu aut stratagemate utitur Dæmon: si puellam, si juvenem cernit, nullîs tentationum machinis, nullis sensuum illecebris vinci posse, ut abjectâ verecundiâ Veneri se in servum tradat, ad choreas, sub prætextu honestæ & ex objecto indifferentis recreationis invitat, dumque ibidem manus manibus implicat, potitur urbe, quam diu irritô cantu obsederat. S. Augustinus exponens verba regii vatis Psal. 96. cantantis: *inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Asserit: quia saltandô in Gyrum & circuitum proceditur; hinc Dæmon chorearum Author occasionem sortitur, quâ utens inflammat inimicos suos, id est fidelium animos igne amoris impuri. Ergo Christiane Lector, ne amoris divini ignem, per pudicitiam hactenùs in corde tuo nutritum, extinguas, inter alia Veneris incentiva choreas fuge, tam frequenti eorum lapsu perterritus, qui stultorum instar in circuitu ambulantes, à cœlesti Jerosolyma excluſi sunt. Non affero tibi majoris terroris gratiâ horrenda illorum exempla, qui subitaneâ morte saltûs sui pœnas dedêre. Nihil ergo referam de Qualensibus Nuptiis, quibus intererat frequens mulierum & virorum turba choreas ducens, ex qua 180. utriusque sexûs per exortum repentè incendium absumpti sunt, solâ sponsâ & sponsô evadentibûs. Vide Albertum Cranzium lib. 12. Wandal. Hist. c. 14. Taceo interitum Marchionis Misnensis, in oppido Calven saltantis, qui ei, ruinâ Domûs oppresso, obvenerat. Pia curiositas si te titillet, lege Thomam Cantiprat. qui lit. 2. apum, de quibusdam in Gallia super ponte choreas ducentibus narrat: eos ruptô ponte foracibus aquis in prædam cesisse. Addit: puellam se præsente subitaneâ morte percussam expirasse.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. 1. Esdræ, in quibus describitur Zelus Judæorum in reparandis sacris. Eorum fervor.

Considera 1. PLurimos Christianorum à Judæis erudiri, quò zelô & fervore operibus benè pieque inceptis insistendum sit: terror namque, qui à Populis per circuitum positis Hebræis incutiebatur, non potuit efficere, ut ab incepto Altaris ædificio removerint manus. Sed teste cap. 3. versu 3. *collocaverunt Altare Dei super bases suas &c. &c. obtulerunt super illud Holocaustum Domino manè & vesperè.* Quàm multos econtra reperire est Christianos, qui plurima pietatis officia vel imperfecta relinquunt, vel bona proposita nullatenùs executioni tradunt, solô hominum respectu absterriti? aliqui ne Principum gratiam perdant, cum Pilato malunt veritatem indefensam relinquere. Alii ne pro piis Christi discipulis habiti, reproborum cachinnis & risibus exponantur, cum Petro si non verbîs, saltem factîs exclamant: *non novi hominem.* O quàm verisimè de talibus asserit S. Greg. homil. 3. in Evangel. *sæpe agenda aliqua bona proponimus: sed si unicus contra nos ab ore irridentis eruperit sermo, ab intentione actionis nostræ fracti protinùs, & confusi resilimus.* S. Vincent. Ferterius tales comparat puerulo, qui à matre in locum missus, ùt vix obvium sibi conspicit caniculum, & se allatrantem audit, pedem ultrà movere non audet, sed vel subsistens pro ope clamat, vel celerî reditu matrem requirit; cùm tamen nihil periculi subsit, quod timeat à tali caniculo. Hâc præmissâ similitudine dein subnectit serm. 3. Dom. advent. dicens: *talis stultitia est eorum, qui ex locutionibus hominum non volunt vitam continuandô transire. Pater noster Christus, Mater nostra Ecclesia mittit nos, ut vadamus ad civitatem Ecclesiæ &c.* quæso! quid egerant olim tres Reges illi, etiamnum Ethnici, quando stellâ Duce venerant ab oriente, Christum recèns natum adoraturi? en! civitatem Jerosolymam intrepidô pede ingressis, audacî linguâ, non tremulâ voce percontantur: *ubi est, qui natus est Rex Judæorum!* non ingens civium copia, non plebis petulantia, non Herodis invidia eos ab incepto tramite, à proposito Dei Cultu removebat; & te christiane Lector à promovendo honore Dei, ab extraordinariis Virtutum exercitiis removeant paucula tantùm calumniantium & sidentium verba? *Con-*

N.349. *Considera* 2. Electum Dei populum manifestô docuisse exemplô: à persecutionibus nunquam fore liberos, qui Deo servire studuerint: nam ut meminit capit. 4. non tantùm barbarus terræ Populus turbaverat Judæos, variis molestiis inceptum Templi ædificium remorandô, sed falsis quoque litteris ad Regem datis, eos pessimè traduxêre. Ad iracundiam inde commotus Rex hanc rescripsit contra Judæos sententiam v. 21. capit. citati: *prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur.* O quot ex afflictis cordibus suspiria, ex oculis madentibus lacrymas provocavit hæc sententia! nec tamen illis deleri potuit, aut retardari testente Scripturâ: Judæos coactos esse ab opere removere manus usque ad annum secundum Darii Regis Persarum v. 24. cap. cit. quàm diuturna igitur accidit afflictio, ferenda Populo, divini Cultûs tam studioso, cujus intuitu non mirentur ampliùs Christiani, prædixisse ipsis Apostolum Philip. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eo credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Hujus luculentum testimonium daturus per seipsum, erat in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter &c. pulchrè admodùm asserit S. Greg. lib. 21. moral. c. 4. sicut vitulus ad laboris usum Victurus, subjugo retinetur, mactandus autem in liberis pastibus saginatur: & sicut arbores frugiferæ in colligendis fructibus vexantur, spoliantur, diutissimè tamen vivere permittuntur, infrugiferæ verò stant intactæ, citiùs tamen exscinduntur, ut in ignem mittantur. Et sicut ægris desperatis omnia conceduntur, illis verò, quibus spes salutis subest, amara medicamina applicantur: sic reprobi bonis hujus mundi saginantur, à tribulationibus immunes, dum interim Electi laboribûs ærumnis & calamitatibûs premuntur: at quô aliô fine? nisi ut æterna sentiant gaudia, fruantur deliciis perpetuò duraturis, & requiem capiant, nullâ unquam adversitate interrumpendam. Rectè igitur Verbô *Donare* usus est Apostolus superiùs citatô textu. Cùm enim pro Christo tribulationem perpeti, signum Electionis sit; hinc maximi Doni locô habendum, prout habitum est ab Apostolô testante 2. Corinth. 7. *repletus sum consolatione in omni tribulatione nostra.*

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 5 & 6. lib. 1. Esdræ, in quo describitur Magnanimitas Israëlitarum Templum ædificantium.

Considera 1. QUanta fortitudine animi excelluerint Hebræi, dum contra Edictum regium manus applicavêre ædificando Templo, & interrogati à Ducibus cap. 5. v. 3. *quis vobis dedit Consilium, ut Domum hanc ædificaretis?* animosô ore & voce non trepidâ respondêrunt: *Nos sumus servi Dei Cœli & terræ & ædificamus Templum &c. v. 12. cap. citati.* Similitudine perquàm aptâ utitur sapiens, dum Justum & Divini Cultûs studiosum hominem comparat Leoni Prov. 30. ùt enim Leoni fortissimum est caput, quod hostibus audacter opponit: ita Justo omne robur in capite, in mente videlicèt generosa residet. Sic Moyses Hebræorum Ductor Pharaoni erectâ cervice sese objecit, sic Eleazarus tortoribus caput opposuit, nullîs frangendum minîs, asserebat enim 2. Machab. 6. *fortiter vitâ excedendô, senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem forte exemplum relinquam si promptô animô ac fortiter pro gravissimis & sanctissimis legibus morte honestâ persungar.* Sic Daniel Martyr Africanus teste Drex. in rosis: p. 1. c. 13. §. 1. ad Tyrannum conversus dixit: *ure, tunde, lania: Idola tua non adorabimus, quô magîs nos affligis, eò digniores vitâ alterâ efficis. Tua sævitia nostra est gloria: ejecti è terra in Cœlum admittimur.* De S. Vincentio glorioſissimo Athletha Christi S. Augustinus serm. 12. de SS. disuevit: tormenta defecerant, & adhuc membra durabant. Judex verus, tortor cruentus, Martyr invictus. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce: tanta pœnarum asperitas sæviebat in membris, ut meritô modô putaremus, Vincentiô patiente alium non loquentem torqueri. Et verè fratres ita erat, prorsus ita erat: caro ergo patiebatur, & linquente Spiritu non tantùm convincebatur impietas, sed etiam confortabatur infirmitas: nam rabidi hostis atque in Christianos sævientis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit; sciens paratus esse, ut resisteret, nesciens elatus esse, quô vinceret. Hêrcle sicut ignis ea est natura, ut quô plus ligni ei objeceris, eò magìs accrescat, & surgat in altum; ita viri fortis animus per adversa & pericula magìs augetur. Atque si ut ramus Cedri onere sibi im- *N.* 350.

positô nequaquam deprimitur, sed renitens contra sarcinæ pondus sese erigit; ita ille, quô majorî hostium & tribulationum impetu premitur, eò fortiorem se comprobat, exclamans cum Apostolo Philip. 4. *omnia possum in eo, qui me confortat.* O Christiane! malè metuo, ne Christus te meritô illîs compellat Verbîs, quibûs in libello aureo utitur Asceta dicens: *fili! non es adhuc fortis & prudens amator.* Et si reponas: *quare Domine?* respondebit ille: *quia propter modicam contrarietatem deficis à ceptis, & nimis avidè consolationem quaris. Fortis amator stat in tentationibus, nec calidis credit persuasionibus inimici: sicut ei in prosperis placeo, ita nec in adversis displiceo.*

N. 351. *Considera* 2. Deum eò majorem Providentiam demonstrare erga servos suos, quô major eorum fuerit fortitudo & zelus in defendendo honore Divino: testatur enim cap. 6. Darium Regem Judæis propter attentatum Templi ædificium apud se pessimè traductis, non tantum veniam gratiosè impertitum esse, sed publico Edictô Ducibus suis demandâsse: *procul recedite ab illis & dimittite fieri Templum Dei illud à Duce Judæorum, & à Senioribus eorum, ut Domum Dei illam ædificent in loco suo &c.* v. 7. cap. citati. adhæc v. 8. addidisse expensas de Tributis trans flumen sumendas. Quin imò v. 9. & seqq. obtulisse omnia, quæ pro peragendis Sacrificiis videbantur requiri. Compleverat hîc Deus Promissum illud in Posteris, quod pridem fecerat eorum Antecessori & parenti dicens: *noli timere Abraham, Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Planè merces magna nimis, si consideremus opes, quas Abraham ex Ægypto ditissimus rediens secumtulit. Merces magna nimis: si in memoriam revocemus gloriosam victoriam, quam de hostibus, noctu à parvula suorum manu invasis, reportavit Abraham. Merces magna nimis, si intueamur immensam posteriorum copiam arenæ maris aut cœli stellis comparandam, quam Abraham à Deo obtinuit. Non afferam plura admirandæ Dei Providentiæ & fidelitatis erga servos suos exempla. Loquantur rubri maris undæ, quæ instar murorum steterunt erectæ, ut transitum præberent Populo, à Pharaone extremam persecutionem passo. Loquantur durissimæ petræ, quæ in uberes sunt resolutæ fontes, & sitientium jam penè emortuas fauces recrearent. Loquatur columna illa; quæ inter obscurrissimas noctis umbras viatoribus Israëlitis securum monstravit iter. Loquatur nubes illa, quæ à gravissimis caloribus solis defendit ex Ægypto reduces. Loquantur conturnices è cœlo missæ, aut

Manna

Manna abinde delapsum. Loquantur denique innumera hostium cadavera, subactæ Regiones, expugnatæ à Judæis urbes. Si tot luculenti testes id roboris non habent, ut te disponant ad plenam in Deum fiduciam, surdo fabulam cantabo, quidquid tandem dixero.

FASCICULUS LIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 7. & 9. lib. 1. Esdræ, in quibus describitur Iter Esdræ ex Babylonia, Regis Artaxerxis sollicitudo pro Cultu Dei, & rebus ad eum spectantibus. Luctus Esdræ ob inita Connubia cum Gentibus.

Considera 1. SI Artaxerxes Rex, homo Idololatra & Ethnicus tam sollicitè imperaverit Esdræ Sacerdoti: Munera Deo, per Populum oblata, in Cultum Divinum exactissimè impendi; quanta requiratur cura à Christianis Clericis Sacerdotibus, ne profanis usibus Patrimonium Christi & pauperum applicetur. Cap. 7. v. 17. hæc habet formalia: *studiosè eme de hac peccunia vitulos, arietes, agros & sacrificia & libamina eorum, & offer super Altare Templi Dei vestri, quod est in Jerusalem.* Legant, volvant, & revolvant isthæc verba Procuratores quorum curæ Ecclesiastici redditus commissi sunt. Utinam rarò contingeret: tales Ministros studiosè quidem emere cum Esdræ vitulos, arietes & agnos ex pecuniis Ecclesiæ, sed ut iisdem ad lauta convivia abutantur. S. Brigittæ revelat. lib. 4. cap. 134. apparuerat olim Christus, contra quosdam Ecclesiarum administratores conqueri auditus: *Judas vendidit me, antequam redemissem Mundum; isti postquam redemi Mundum, & non compatiuntur super sanguine meo, qui plus clamat vindictam, quàm sanguis Abel &c.* Sponsus cœlestis de sua profitetur Sponsa in Canticis: quòd illa deferat manus tornatiles. Hoc ipsum de Sacerdotibus aut aliis bonorum Ecclesiasticorum dispensatoribus dicit verificandum esse, S. Greg. Nyss. eos nempe talibus instructos N. 352.

structos debere esse manibûs, quæ rebus sint similes tornô elaboratis, rotundam plerumque figuram monstrantibus: & hinc si quid eis imponatur, illud subitò effundant; adeoque thesauros Ecclesiæ non retineant, profanis usibus suisque commoditatibus applicandos; sed eos in pauperum manus, Ecclesiæ fabricam, ornatûs augmentum sedulò effundant. Quare orat. 16. inculcat: *minimè fratres mei, amici mei, minimè committamus, ut ad ea, quæ nobis divino munere data sunt, mali œconomi & præpositeri inveniamur; ne alioquin dicentem Petrum audiamus: erubescite, qui aliena detinetis.* Si perversissimi olim scribæ Pharisæi projectam ante pedes suos pecuniam, à proditore Juda acceptam, tantâ curâ & studiô in rem sacram & causam piam impendi debere censebant: quid agant cum Patrimonio Christi homines illi, qui nolunt aliter videri, & æstimari quàm fidelissimi Ecclesiasticorum reddituum dispensatores? quare Christiane Lector, si talem agis Ministrum: vide, ne sis de damnabili eorum numero, contra quos intonat Doctor mellifluus Epist. ad Senes Episcop. *clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: nobis fame & frigore laborantibus quod conferunt tot mutatoria, servata in domibus vestris? nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis, nostris necessitatibus subtrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris.*

N. 353. *Considera* 2. Quanto cum gemitu & pœnitentiæ rigore Esdras Sacerdotes cap. 9. nitatur divinam inhibere vindictam, Israëlitis meritò timendam ea de causa: quòd contraxerint illicita connubia cum Gentibus. *Scidi pallium meum*, lamentabatur ille versu 3. cap. citati, *& tunicam, & evulsi capillos capitis mei, & sedi mœrens.* Nec cassæ cecidêre lacrymæ, nec irritæ preces, dum communi suffragiô acta est pœnitentia, uxores rejectæ, & qui de his nati sunt *juxta voluntatem Domini* v. 3. cap. seq. Sed ô pessimum malæ societatis semel initæ effectum! brevî intervallô ibat Populus iste in antiquam sylvam, dum Judæorum filii denuò filialibus Gentium fuere conjuncti. Sicut animalcula parva ita mordent, ut morsus quidem non sentiatur, noceat tamen graviter, partemque læsam faciat intumescere, sic prava societas occultô parvoque lædit vulnere, sed perquàm nocivô. Multô jam tempore in omnibus Judeæ angulis suum promulgaverat Evangelium Salvator, propagandô vel tuendô Patris æterni Honorem & gloriam occupatus: hôc tamen non obstante Sacrô negotiô, videbantur Pharisæi & Scribæ causam nacti, eum Samaritani nomine compellandi Joan. 8. dicentes: *Samaritanus es tu.* Biduum tantummodo

consum-

consumpserat apud Samaritanos, peccatricem conversurus, & Evangelicâ Luce cæteras terræ illius Incolas illustraturus: tam parvô tamen tempore durans cum Samaritanis societas videbatur, sufficienter causam dedisse, etiam divinam Christi puritatem de turpi Haraseos maculâ suspectam fieri. O Christiane! quanta tu dabis perversionis tuæ signa, qui non Religionis Zelô, non pietatis studiô, sed levitatis vel curiositatis gratiâ suspecta de vitiis quæris, aut saltem non fugis consortia?

Doctrina 2.

Desumpta ex capite ultimô lib. 1. *Esdræ, in quo describitur Pœnitentia Esdræ & Populi &c.*

Considera 1. QUàm sollicitos oporteat esse superiores, præsertim N. 354.
Ecclesiasticos pro salute subditorum: Esdras enim pro obtinenda Populo venia, & amovenda Dei vindicta, tamdiu in pavimento pœnitens jacuit, donec rogatus sit à suis subditis, ut rigidissimæ pœnitentiæ tandem imponeret finem *surgendô*. Patriarcha Jacob veri Superioris & Pastoris Ecclesiastici in se typum exprimens, dum familiæ suæ ob barbarum fratris Esau furorem ruinam timeret, eam primò in duas turmas divisit, asserens: *si venerit ad turmam unam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur.* Deinde ipsemet in prima turma & in acie animosi Ducis instar periculo caput exposuit. Quare de illo exclamat S. Chrysost. velut propugnaculum eorum quoddam se ipsum ante cæteros locans paratus erat ferum illum & minas, quemadmodum suspicabatur, spirantem excipere primus. Salvator noster, Gregis sui Petro salutem commissurus, non unâ tantùm, sed trinâ vice de amore, quem erga se gereret? quæsivit, dicturus per hoc: plus amoris & sollicitudinis in pastore requiri, ut crediti sibi gregis saluti, quàm propriæ impendat. Atque hinc idem Salvator Joan. 11. inquit: *bonus pastor animam dat pro ovibus suis &c.* Talem hêrcle se ipsemet comprobaverat: timens enim in horto periculum, quod discipulis eô tempore imminebat, ociùs omnem Judæorum furorem in se solum concitavit, asserens: *si me quæritis, sinite hos abire.* Sicut figurato figura, sic Moyses præluxit Christo; is siquidem vindicem Dei manum à Populo amoturus Exodi 22.

excla-

exclamat: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Non defuerant ad probandam Aaronis vocationem aliæ arbores: & tamen divinâ agebatur Providentiâ, solam Amygdalinam virgam fuisse assumptam: cui sicut natura indidit, alias omnes arbores præcedere germinandô, & exponendô se manifestis tempestatum periculis, ita Pastorem per hanc Deus admonere voluit: ut insignî floreſcens fortitudine, nulla refugeret pericula, pro salute gregis sui subeunda. Hæc considerans Christiane Superior & Pastor, vide: quomodo tuo satisfacias officio? quomodo resistas rapaci lupo, tuum gregem per varias tentationes infestanti? quomodo pro avertenda Dei vindicta inpœnitentiæ exercitiis perdures cum Esdra? quomodo ægrotis succurras Sacramentorum administratione? erras nimiùm amore tui, si ea de causa remissior es in cura animarum, & providendis ægris, quòd tuæ cuti metuens, deferendô paucos dicas: te integræ communitati conservandæ & salvandæ laboraturum. Si talia egissent Apostoli, quibus penè solis ædificium totius Ecclesiæ nitebatur, nec sanguinem, nec vitam profudissent: quod tamen efficacissimum fuerat antidotum perfidiæ tollendæ, ac stabiliendæ fidei.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 2. Esdræ, in quibus describitur Luctus Nehemiæ ob Judæorum afflictionem, ejus Acta cum Artaxerxe pro obtinenenda Jerosolyma.

N. 355. *Considera* 1. INsignem Nehemiæ zelum, quem gessit pro Jerosolyma & Incolis ejus, vî cujus tam amarîs lacrymîs ruinas murorum & portarum hujus urbis deflebat, rogans pro eorundem reparatione, & restitutione Gentis Hebraicæ in statum pristinum. Verba sunt cap. 1. *murus Jerusalem dissipatus est, & portæ ejus combustæ sunt igni. Cumque audîssem verba ejusmodi, sedi, & flevi, & luxi, multis diebûs &c.* O Christiane! si ruina materialium murorum unicæ civitatis tam amaras lacrymas ex oculis Nehemiæ extorsit, quas extorqueat ex oculis tuis ruina tot animarum, peccatîs suîs ad interitum properantium? & quid oporteret impendere: ut illæ per veram pœnitentiam restaurarentur? Christus Dominus tantô ardebat zelô salutis animarum, ut S. Brigittæ apparens lib. 7. revelat. c. 12. dixerit: si foret etjamnum

jamnum possibile se tot mortes subiturum, quot animas Infernus haberet. Ut æternum mortuis ipse temporaliter moriendô vitam daret. Gentium Doctor adeô fratrum salutem sitiebat, ut Roman. 6. optârit anathema esse pro illis. Hinc quoque 2. Corinth. 11. in hæc erùpit verba: *quis scandalizatur, & ego non uror? quis infirmatur, & ego non infirmor?* atque alibi profitetur de se: *per triennium die ac nocte non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum &c.* S. Maria Magdalena de Pazzis eô amore æstuabat lucrandi animas, ut teste ejus vitâ cap. 99. aliquando orationi incumbens pro illarum conversione in exstasin rapta exclamârit: *Domine! si non facis mihi hanc gratiam dandi istas animas, quas ego peto; dicam etiam ego, nolle venire ad gloriam, quam mihi præparâsti.* Aliâ vice audita est dicere; si Deus à me peteret, ut olim petiit à S. Thoma Aquinate: quam cuperem mercedem pro laboribus meis? non aliam peterem, quàm salutem animarum. Videbatur beata isthæc virgo compertum habere illud commune placitum Theologorum, vî cujus volunt: unius animæ salutem plus gloriæ & laudis divinæ Majestatis conferre, quàm omnes actus virtuosos, ab origine Mundi factos, faciendoque, usque ad illius finem: eò quòd omnes actus illi in se spectati limitati sint, & finiti; laudes autem, quas Deus ab anîma beatitudinem assecuta sit totâ æternitate accepturus, infinitæ & illimitatæ existant. Mirabitur nonnullus: Christum è cruce pendentem Miraculum edisse nullum, quô suam tunc temporis testaretur Divinitatem. At Miraculô plane maximô non caruit mira illa latronis inveterati conversio, quod optimè advertit S. Chrysost. homil. de latro. inquiens: *latronis mentem perversam voluit commutare: ut ex omni parte Divinitas ejus sentiretur.* Hæc paucula considerans argumenta Christiane Lector glacies es, si non inflammeris zelô lucrandi animas eorum, qui peccandô æternæ damnationis periculo sese exposuêre.

Considera 2. Mysterium detegi per hoc: quòd Nehemias interrogatus ab Artaxerxe, cur tam gravem tristitiam circumferat in vultu? responso dederit: *quare non mœreat vultus meus, quia civitas Domûs sepulchrorum patris mei deserta est?* v. 3. c. 2. Voluit nempe per hoc responsum futuros confundere Christianos, qui cùm videant à tot jam sæculis Domum sepulchrorum Patris sui, Jerosolymam videlicet, propè quàm sepulchrum sibi elegit Christus Christianorum communis parens, à Barbaris profanatam, & à vera Religione desertam esse: nec tamen ex- *N.* 356.

inde moveantur, ut dicant cum Nehemia: *oravi Deum Cœli &c.* v. 5. citati cap. pro recuperando hoc thesauro. Verùm quid juvaret: magnîs fletibûs prosequi jacturam loci hujus, aut pro eo ex hostium manibus liberando multas fundere preces, dum ex notissima illa compertum est revelatione: tunc denique locum istum à Christianis fore obtinendum, quando eorum peccata minora fuerint peccatis Turcarum. Si bestiæ hortum Principis ingressæ eum devastant, non adeò iracundiam ejus provocant, ut provocarent Ministri ejus, id facere ausi. Ita Christus non ita ægrè fert, peccata à barbaris commissa, quàm comissa à Christianis, quos verâ fide & altiorî doctrinâ imbutos in servos elegit. Quare sui corporis custodiam non his, sed barbaris credere voluit, imitatus Scipionem Africanum, qui post insignes victorias de hostibus obtentas, ab Acteo Tribuno iniquè accusatus connivente Populô in exilium concessit, ibidem moriens mandavit uxori, sepulchro inscribi curet hæc verba, *ingrata patria! non habebis ossa mea.* Hinc Christiane Lector detestare peccata tua, defle ingratitudinem tuam, quæ unica tantæ jacturæ causa, & cave à patrandis.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 3. lib. 2. Esdræ, in quo describuntur Nomina & Ordo eorum, qui portus varias & muros Jerosolymæ restaurabant.

N. 375. *Considera:* HUmanum caput esse instar Urbis Jerosolymæ variîs portîs Instructæ. Vix enim aperitur oculus, & velut per portam ingrediuntur curiosi aspectus, qui animam ad concupiscendum illi cita provocant. Vix audit auricula, & mens novellîs redditur inquieta. Vix pascitur gustus, & hebetari incipiunt Spiritus ad alta nati. Verbô: quot organa sensuum, tot portæ, per quas ad ipsum usque Palatium sedemque animæ ingrediuntur varia, & plerumque noxia rerûm terrenarum objecta. Unica has inter portas est, quæ non dispar nomen cum *Porta stercorum*, Jerosolymis data, sibi vendicat, per quam videlicet contractas peccandô sordes efferre oportet. *Os hominis* intelligo, in confessionali aperiendum, ut hortatur S. Ambros. lib. 2. de Pœnit. c. 7. *delictum proprium pande, ut justificeris: ore enim confessio fit ad salutem.* Sicut enim Dæmon alias capitis nostri portas semper cupit esse apertas, sic istam clausam vult teneri, quando vel maximè

ximè aperienda foret: & sicut homines loquaces efficit, quando eis foret tacendum, ita mutos reddit, quando urget tempus loquendi. Novit callidus hostis: pro salutis æternæ remedio in omni lege requisitam esse confessionem peccati, testabitur id Protoparens noster Adam vix lege naturæ quæsitus, & ad confessionem instigatus à Deo dicente: *Adam ubi es?* testabitur etiam Cain audiens à Deo: *ubi est Abel frater tuus?* in quæ verba S. ait Ambros. *interrogat Dominus Cain de fratre, ut moneret eum ad confessionem.* Testabitur id ipsum in lege Scripta Moyses, dum Num. 5. Dei nomine præcipit: *Vir sive Mulier cùm fuerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Testabitur demum in lege gratiæ requiri confessionem peccati tum textus Christi Lucæ 17. v. 14. *ite, ostendite vos Sacerdotibus*, tum textus Apostoli Jacobi, Christi nomine præcipientis: *confitemni alterutrum peccata vestra.* Quare totus in eo occupatur Dæmon, ut cum quibusdam Sectariis vel hæc præcepta perversæ Doctrinæ velô contegat, vel ora hominum per verecundiæ pessulum occludat. Ita occluserat ora viro cuidam potenti, de quo sequentem historiam narrat Crombet de perfect. lib. 2. c. 6. Quam nonnihil pro more contractam, tibi submiistro Christiane Lector. Patraverat is facinus, quod fateri gravius ducebat, quàm ipsam subire mortem: conscientiæ tamen stimulis agitatus, nec horam unam vivebat quietam. Cùm autem Confessionatorem Antverpiæ audiens intellexisset: neminem teneri illa faceteri peccata, quæ memoriâ excidissent; hanc doctrinam tegendo sceleri opportunam ratus, nihil non egit, ut peccati obliviscceretur. Dedit se imprimis variis sensuum illecebris sed quô profundiùs se spurcitiis inergebat, eò atrociùs rodebatur interius. Verme igitur per delicias non extinctô, animum adiecit studiis, quæ attentionem requirunt majorem, ut his mediantibûs gravissimos conscientiæ stimulos obrueret: sed actum egit. Tandem cùm audîsset, contritione peccata deleri, ad opera pœnitentiæ confugit, in cinere & ciliciô non paucîs diebûs versatus. Verùm nec hîc atrocissimo vulneri medelam invenit. Quare demum violentâ morte malo finem impositurus, rhedam conscendit, domum ut rediret, à quæ tum aberat. Eô tempore per Brabantiam agebat iter quidam Societatis Presbyter cum socio, quem è rheda sua conspicatus vir, rogavit: comitem itineris se jungeret, vicitque recusantem importunitate suâ. Divinâ porrò con-

contigit Providentiâ Presbyterum per viam multa narrare de peccatorum confessione, sicque tangi ulcus desperabundi hominis, qui indignatus: *quid*, inquit. *ais tu? unde me nôsti*? reponit Presbyter: talia loqui moris est apud nos, ne vanis discursibus terantur horæ. Nec mireris: nisi fortè aliquid in tua lateat anima, cujus causâ juvari velis? juvetis, ait: Sed quis juvare me poterit, si confiteri renuam? quod planè in æternum non ero facturus. Solatus hominem Spiritualis Pater, bonô sis animô asserit: aliud tibi suggeram remedium. Piâ astutiâ capiendus, & ad frugem reducendus peccator, dum talia audit, illicò statum desperabundi pectoris exponit, ad quævis alia etsi asperrima sint, se offerens præstanda, dummodo sine confessione in gratiam redire posit divinam. Quare totum hac sub conditione se Presbytero subdit. Cùm interim domum rediissent, interrogat: fieri à se quid jubeat? reponit Pater; instrue lætum convivium, & animum mœrore depressũ releva. Hôc perfunctus totâ nocte securus dormi, me & sociô meô pro te in oratione vigilaturîs. Rediit postridie peccator, & quid ultra agendum sibi, quærens? accepit quædam meditationis puncta, considerandæ distributîs horîs, rogatus insuper, ut conscientiæ instituat examen, scribatquè quæ venerint in mentem peccata, non quidem, ut ea confiteatur, sed ut de illis clarè perspectis doleat. His omnibus obtemperans tandem à Spirituali Patre ductus est in silvam, & rogatus, an benè excussisset animum? annon fortè hoc, vel illud enorme crimen, (enarrabat propemodùm omnes enormium peccatorum species) recogitasset? tandem tetigit illud ipsum, quod ei fauces adeô præcluserat. Ubi perturbatus miser, horrore concussus, patratum à se ultrò fatetur. Tum benignè jam fatentem reum allocutus Pater: bone vir, longè graviora mei describunt liberi, pro quibus omnibus absolvendis mihi potestas data est: adde cætera, quæ scripsisti in tabula, & ab omnibus eris absolvendus, si de illis pariter doleas. Procidit ille in genua, & ritè confessus beneficium absolutionis obtinuit, domumque lætô animò reversus est. Dein alibi copiam nactus, confessarium suum alloquendi, inquit; ò Pater; peccatorum confessio quàm securum & quietum me reddidit! hæc ultima pœnitentis verba altè ruminans Christiane Lector, si verecundia tibi *portam stercorum* præclusit, haud dubiè illam imposterum laxissimè aperies in confessionali, ut civitas animæ tuæ, expulsis per confessionem sinceram peccatîs, hilares quoque agat dies.

FASCI-

FASCICULUS LIV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 4. & 5. lib. 2. Esdræ, in quibus describitur structura muri, Israëlitis unâ manu gladeos tenentibûs alterâ ædificantibûs. Invectiva Nehemiæ in usurarios: ejus liberalitas &c.

Considera 1. QUòd peccator Christianus, destructum per peccata animæ suæ murum mediante pœnitentiâ erecturus, imitari debeat Judæos, de quibus asserit c. 4. *unâ manu faciebant opus, & altera tenebant gladiũ &c.* non ergo tantùm de peccatis agenda est pœnitentia, sed per sedulam sensuũ custodiam tanquam per acutum Mortificationis gladium proximæ occasiones juratissimi animæ hostes propulsandæ sunt. Hæc armatura si defuerit, vix benè inceptum destruetur ædificium. Maria Magdalena pœnitens non tantum obortîs lacrymîs sua deflevit peccata, sed & alabastrum unguenti dicitur fregisse, ac Domino litâsse: *nec enim sufficit*, (ut pulchrè, advertit Escobard. tom. 3. coll. Chr. p. 2. Serm. 4. obser. 7. *ab impudica vita abstrahi, si cultûs superfluitate & deliciis rursus allicitur ad scandalum.* Petrus non solùm amarîs fletibûs suam abluit perfidiam, sed solidum positurus fundamentum, cui tanquam Petræ totius militantis Ecclesiæ ædificium imponeretur Lucæ 24. *surgens cucurrit ad monumentum.* in quæ verba ingeniosè asserit Didacus Nyss. Serm. 4. de Dom. Quadrages. §. 2. *Petrus fœminæ non credens -- memor lapsûs, in quem à muliere impulsus erat, surgens cucurrit &c.* Quamdiu præfatus Apostolus Actor. 12. versabatur in carcere, licèt omnibûs vinculîs jam esset expeditus, non tamen putabat, securam & certam nactus esse libertatem, æstimans: se *visum videre.* At è carcere eductus, & in patentem positus campum, auditus est dicere: *nunc scio verè &c.* Parî modô Christiane pœnitens tibi prospice: Diabolicum hêrcle phantasma est, si credas: nihil periculi ampliùs tibi imminere ab hoste peccato, per pœnitentiam semel expulso, si desit tibi armatura solidæ mortificationis, & fuga malæ occa- *N.* 358.

sionis. Nocet captæ aviculæ vel unô dumtaxat pede teneri. Aversabatur vel maximè peccatum castissimus Joseph, & impudicas fœminæ voces surdissimîs auribûs excipiebat : nec tamen suæ castimoniæ satis consultum credidisset, nisi dimissô in manibus adulteræ palliô celerem arripuisset fugam : in hac illum sequens tu quoque effugies peccatum.

N.359. *Considera* 2. Quàm enorme & crudele crimen sit avaritia : adeò, ut homines exuat naturâ humanâ, mutans in feroces rapacesque belluas, testante id Vate regiô Psal. 103. *Catuli rugientes, ut rapiant &c.* S. Thomas Angel. ait : carnem & sanguinem auferre raptores pauperibus, cùm auferant eis bona, quæ illi comparant labore & sudore, ac proprii corporis viriumque consumptione. Ita ille lib. 6. c. 2. de erudit. Princip. Quare etiam conqueritur Michæas cap. 7. dicens : *qui optimus in eis, est quasi paliurus*, spinosus & asper, pungens & vulnerans. Videns ergo Esdras tam enorme & barbarum crimen inter Judæos magnîs incrementîs nasci, ut quantociùs illud suffocaret : Optimates & Magistratus severissimîs increpavit verbîs, exclamans cap. 5. v. 7. *Usurasne singuli à fratibus vestris exigitis?* & v. 8. citati cap. *Vos igitur venditis fratres vestros? &c.* ò utinam ! hæc invectiva Esdræ Christianorum quorundam pectora taliter emolliret, qualiter emolliit pectora Judæorum ! hi enim tam acrî reprehensione conversi, dixêre v. 12. cap. citati : *Reddemus, & ab eis nihil quæremus. Sicque faciemus, ut loqueris.* Christiani econtra velut in marmoream mutati statuam surdissimâ aure, & corde penitùs obduratô similia admonentium verba excipiunt. Justiniani Imperatoris Æmuli, qui teste Evag. lib. 4. c. 24. tam inexplebilî ardebat avaritiâ, ut penè innumeros causâ falsâ fictisque argumentîs de crimine convictos, jusserit bonîs suîs spoliari, nil ægriùs ferens, quàm admoneri, malè parta suis ut reddat Dominis.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 6. 7. & 8. lib. 2. Esdræ, in quibus describitur Constantia Nehemiæ in perficiendo muro. Esdræ adhortatio ad servandam legem & celebrandum convivium.

N.360. *Considera* 1. Christianos insigne virtutis ædificium in anima sua erecturos, imitari debere insignem Nehemiæ constantiam,

tiam, quam exercuit cap. 6. nullîs adversantibûs minîs, aut fraudibûs hominum ab incepto ædificio deterritus. *Rectè inchoare, & non consummare monstro portentoque est simile: cùm enim sic agitur*, ait S. Hieronymus, *humano capiti cervicem pictor equinam jungit.* Nunquam laudabitur Gubernator, qui etsi furentibus procellis sese strenuè objecerit, navem tamen in portum non deduxit. Quis sanctior Paulo? quis illô fortior? non tamen antea coronam gloriæ promeritum se fatetur, quàm certamen omne consummâsset, inquiens: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Nunquam ad altum Sanctitatis Fastigium surrexisset Hussiticus Princeps, nisi divitiarum omnium jacturam, filiorum orbitatem, corporis morbos & miserias, uxoris & amicorum pessimas linguas infractô animô semper sustulisset. Josepho Patriarchæ nil adeò in votis erat, quàm totum se Deo devovere, & fieri divinum: Verùm tam sublime Propositum non poterat priùs consequi, quàm fratrum suorum lethalem invidiam, Dominæ suæ insidias, carceris squalores & sexcenta alia perrupisset obstacula. Noë totîs centum annîs, quibûs Arcam fabricaverat, varia haud dubiè, & penè innumera est passus incommoda; manum tamen, quam operi semel cepto applicaverat, nec unicô die removit, donec illud ex integro viderit perfectum: atque hinc solus cum familia salutem invenit. Quin imò Ipse æterni Patris filius non ante paternæ dexteræ jussus est assidere, quàm propinatum sibi ab Angelo amarissimæ Passionis calicem ad fundum usque ebibisset auditus testari: *consummatum est.* Vide nunc Christiane Lector, quàm longè absis à solidæ virtutis ædificio, utpote qui tam sæpè à bono opere vix benè cepto retrahis manum, ubi vel leve occurrit obstaculum, aut exigua obvenit adversitas. Si ad virilem constantiam te non commovent illustrium virorum exempla: fœminæ saltem illius, quam Domini tui virgineam Matrem & vocas, & veneraris, te permoveat. Cerne: quomodo illa ad omnia Filii sui tormenta stet perstetque, adeò: ut licèt sol ipse ab immani laniena deterritus oculos clauserit, illa tamen semper apertos teneat. Licèt rumpantur petræ, ipsa tamen infracta perduret. Adeoque verissimè de illa dixit S. Bernardus Serm. 21. in Cantic. *Inter adversa & prospera mutabilium temporum quandam æternitatis imaginem; utique hanc inviolabilem & inconcussam animi æqualitatem benedicens Dominum in omni tempore, in mota immota manet.*

Considera 2. Etsi rariùs contingat, sine omni peccato lauta celebrari *N.* 361.

brari convivia : tamen actus ex se laudabilis, & nonnisi ex accidenti reddatur vitiosus ; aliàs Deus nunquam præcepisset Populo cap. 8. Celebrare convivia, *commedendô pinguia, bibendô mulsum.* Sacræ paginæ etiam laudibûs efferunt Tobiam, de quo asserunt : quòd Festis solemnioribûs adornârit epulas, vicinos cognatosque invitans. Licèt Judith jejunio esset addictissima, diebûs tamen festivîs corpus animumque recreabat convivii apparatu. Et quis nescit sumptuosas illas Abrahami epulas, in die ablactationis Isaac institutas ? quis non laudat splendidum illud convivium, quod Pater prodigi filii eô celebrari voluit tempore, quô domum rediit miserandus ille porcorum conviva ? Christus ipse parentis illius nomine testatur Lucæ 15. *Epulari autem & gaudere oportebat, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit.* Est inter Reges vix reperire unum, cui tam insigne Præconium posuit S. Scriptura ut Josiæ, dum Eccles. 45. de eo dicitur : *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii, in omni ore quasi mel dulcorabitur ejus memoria, & ut Musica in convivio vini.* Et tamen eâdem Scripturâ teste constat : illum Regem instruxisse epulas, comedisse, & bibisse. Damnatur ergo tantummodo excessus, qui solet vitiare convivia, dum vel lautè nimis adornantur, vel in iis temperantiæ limites exceduntur. Quare audiamus Chrysostomum tom. 1. in Genes. Homil. 2 præscribentem : quomodo inter epulas se gerat Christianus, ut nutriendô carnem, non maculet mentem ; ait ille : *epulis vestris interfit Christus, in facie prandeatur authoris, honestate convivii natura ipsa, qua producit, honoretur. Lætitia mensæ vestræ pertingat ad pauperes Christi. Familia vestra Innocentiæ tripudiet disciplinâ. Absit ebrietas, luctus abscedat, fugetur effusio. Saltatricum pestis, lenocinia Cantorum, fomenta voluptatis, ventris onera, naufragium virtutis à convivio abscindatur.*

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus lib. 2. Esdræ, in quibus describitur Numerus beneficiorum, à Deo Israëlitis collatorum, sed eorum subsecuta ingratitudo. Sabbathi & Festorum observandus Cultus &c.

N. 362. *Considera* 1. LOngum Catalogum beneficiorum, quæ acceperant Judæi à Deo teste cap. 25. dum illud ait : *possederunt domos plenas cunctis bonis, vineas & oliveta, & ligna pomifera multa, & comederunt,*

runt, & saturati sunt, & inpinguati, & abundaverunt in deliciis in bonitate magna. Verùm quid tandem boni evenit ex tanta bonorum copia? quomodo iisdem ad munifici Datoris gloriam usi sunt? en! mox respondet S. Textus: *Provocaverunt Deum ad iracundiam, & recesserunt à te, & projecerunt legem post terga sua.* Ita proh dolor! contingere solet in hoc mundo, ut bonorum temporalium abundantia plerumque cum divinarum legum transgressione conjungatur; hinc conversio S. Matthæi Apostoli eô tempore facta, quô permagnis mundi favoribûs fruebatur, meritô magnum divînæ Omnipotentiæ Bonitatisque prodigium dicitur à S. Petro Dam. Serm. 51. Ecclesiasticus etiam beatificat hominem, qui terrenis refertus bonîs, inordinatô tamen eorum appetitu affectuque non abripitur: asserit ergo cap. 31. *Beatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris &c.* S. Bernardus æstimat hominem, qui ancillantem fortunam sentiens innocentiam ad tumulum deferat illæsam, Martyrii meritum consequi: ait namque in Serm. quodam: *Non quod Martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire? inter vestes multas & pretiosas algere? paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostendit mundus, quas desiderat noster appetitus?* Non miremur; quòd Deus Populo suo dederit leges in deserto; nullus enim locus ad earundem observantiam videbatur aptior, quàm qui rerum omnium indigentiâ laborabat. Atque hinc etiam facile colligimus; cur Moyses Tabulas legis projecerit de manu sua eo in loco, in quo vidit, Populum deliciîs & aliarum rerum abundantiâ frui. Igitur ò Christiane! si animus tibi est, serviendi Deo, & hâc servitute consequi æternum in Cœlo Dominium, exclama cum Salomone ore & corde Proverb. 30. *Divitias ne dederis mihi. Tribue tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis est Dominus?*

Considera 2. Frequentiorem illam mentionem, quæ in residuis hujus libri capitibus fit de debito Sabbathi & Festorum Cultu: nam capite 10. unanimî votô verbôque concluditur, nullas merces die Festô accipere venales à Populo terræ, dum asserit S. Textus v. 31. *Populisque terræ, qui important venalia, & omnia ad usum per diem Sabbathi, ut vendant, non accipiemus ab eis in Sabbatho & in die sanctificato*, cap. vero 12. & v. 42. dicitur: *immolaverunt in die illa victimas magnas &c. & custodierunt observationem Dei sui, & observationem expiationis* v. 44. Verùm enim verò quàm parvô tempore stetit tam exactus Sabbathi Festorumque Cultus; *N.463.*

Cultus: dum cap. 13. testatur Esdras: *Vidi in Juda calcantes torcularia in Sabbatho, portantes acervos, & onerantes super asinos vinum & uvas & ficus & omne onus, & inferentes in Jerusalem, & objurgavi optimates Juda, & dixi eis: quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Festum?* ò utinam tales querelas solus Esdra effudisset contra Judæos! utinam non Christus Ipse pares nostris temporibus cogeretur effundere contra Christianos? dum Festis diebus videt sæpius locò precum pretia tractari, sub fictò necessitatis titulò vehi merces, celebrari nundinas, institui contractus &c. Quid ergo modernus Festorum profanator mundus aliud audiat, quàm quod audiit Populus Hebræorum v. 18. citati cap. dicente Esdrâ. *Et adduxit Deus noster super nos omne malum, hoc est super civitatem istam.* Hoc comprobant diuturna bella, queis Regiones spoliatæ, civitates dirutæ, domus succensæ, in captivitatem abducti sunt incolæ. Singulis quasi horis inculcatur nobis: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Sed ob actus contrarios videmur. Quasi omnem hujus Præcepti memoriam exuisse. Non miremur ergo, si Deus quoque non recordetur lacrymarum & precum nostrarum, quibus petimus: *Da pacem Domine in diebus nostris.*

FASCICULUS LV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. libri Tobiæ, in quibus describitur Pietas Senioris Tobiæ erga Deum & homines, Salmanasar Regis erga eum Clementia. Somnus Tobiæ & excæcatio. Servata erga omnes exacta Justitia &c.

N. 364. *Considera* 1. TObiam inter impiissimos versantem Barbaros, summæ Pietatis officia nullatenùs deseruisse, consolandò mœstos, alendò esurientes, vestiendò nudos, sepeliendò mortuos & occisos, ut refert primum hujus libelli caput. Sin autem quæras: unde venerit tam constans, & nunquam interrupta viri

viri Pietas? respondebit sacer Textus v. 8. citati cap. *Hæc, & his similia secundùm legem Dei puerulus observabat.* Sicut ex lacte, quod infantibus ministrant ubera nutricis, corpulentia hominis componitur, dum ejus substantia in medullas, venas, arterias & cætera corporis membra distribuitur: ita Pietas, quæ primâ ætate per frequens exercitium quasi imbibitur, adultos quoque annos & canos ipsos sequi solet; hinc ait Clemens Alexand. lib. 1. Pædagog. cap. 9. *Est in nobis ætatis uber ipsa juventus.* S. Matthæus c. 2. de infantia Salvatoris differens, non absque Mysterio ait: *Nazaræus vocabitur*, quod idem dicit ac *floridus:* ut enim ex floribus arboris alicujus fœcunditas fructuum cognoscitur, quos aliquando protrudet, sic quoque ex primorum annorum pietate virtutes maturæ ætatis colliguntur. Utque vineæ florentes dare solent odorem, arcendis serpentibus & viperis aptissimum; ita juventus hominis, piis actibûs floreſcens, exhalat odorem, qui vitia ab homine ad seram usque senectutem arcere solet. Jam semel allegatus Evangelista c. 19. Memorat: venisse ad Christum adolescentem, æternæ salutis cupidum; & hinc interrogâsse Salvatorem: quid faciendô suum assequeretur intentum? cui illicò repositurus requisitus Magister: *Serva mandata &c.* at illum replicâsse: *Omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deest?* dictabat novam lectionem divinus Magister quærenti discipulo, inquiens: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes &c.* Subdit autem Evangelista: *cùm audiîsset adolescens verbum, abiit tristis.* Author Operis imperfecti adolescentem hunc mendacii arguit, negans: ipsum à prima ætate divinis ad amussim obtemperâsse mandatis; hôc enim factô non potuisset tantâ affici tristitiâ, qualî affectum fuisse testantur S. Paginæ auditîs Christi verbîs: *Vade, vende omnia &c.* Christiane Lector, quæ causa est torporis illius, quem in adulta ætate experiris in te ad omnia pietatis opera, nisi malè transacta adolescentia? nam indubitatum est illud Scripturæ Proverbium: *Adolescens juxta viam suam ambulans etiam cùm senuerit non recedat ab ea.* Dole ergo de culpa tua, & illum, qui per gratiam suam solus renovare potest ut aquilæ juventutem tuam, instanter ora, quatenùs dignetur: te per aquas pœnitentiæ renatum cooperante Spiritu Sanctô instar Tobiæ solidâ pietate imbuere, in qua habituatus transigas residuum vitæ tuæ tempus.

Considera 2. Per Tobiam de quo cap. 2. memorat S. Scriptura: *N.* 365.
quòd dormienti super oculos cecîderint calida hirundinum stercora,

& exinde contraxerit cæcitatem, in sensu morali posse intelligi homines illos, qui in Mundo possident magnam Bonorum temporalium copiam, quæ ab Apostolo 3. Philipp. 2. *stercoris* nomine intitulata, tantam quandoque mentis inducit cæcitatem, ut lumen Cœli, æternam videlicèt Beatitudinem, rarò aut nunquam ampliùs aspiciant, suîs cogitationibûs terræ penitùs infixi. De augendis ergo rebus terrenis solùm solliciti oblivisCuntur operum Misericordiæ, quæ exercuerant cum Tobia, quamdiu prætactum *stercus* nondum eis ademerat mentis visum: oblivisCuntur pariter operum Justitiæ, in quibus imitabantur Tobiam, timentem: ne quidquam inter Bona sua furtivum haberet; & hinc v. 21. capitis cit. dicentem: *Reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis aut edere aliquid ex furto, aut contingere.* Verùm (ut dixi) infelicî hôc stercore prorsus excæcati, sese erga pauperes durissimos, erga concives injustos demonstrant. Quæres nunc: quid antidoti locô cæcitati huic opponendum? repono: efficacius non reperiri remedium felle illô, per quod Paschasiô teste in lament. Jerem. lib. 3. *Amaritudo Passionis Tribulationisque* designatur. Nam effatum S. Gregorii est: *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit.* Probavêre hoc exemplô suô Israëlitæ, de quibus regius cantat Vates: *Cùm occideret eos, quærebant eum, revertebantur, & diluculò veniebant ad eum.* Expertus id ipsum pariter exclamat Jeremias c. 31. *Castigâsti me Domine, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* Quare ò Christiane Lector! si varii tibi obvenerint casus, quibûs Bona fortunæ sensim dilabantur, cogita: Deum Oculistam agere, qui animam tuam, perituris terræ Bonis excæcatam, talî medicamine sanet & reddat aptam spectandis Cœli Bonis, quibûs æternùm fruaris, visurus Deum facie ad faciem. *Anima Justi,* ait S. Bernardus tom. 1. serm. 16. a. 2. c. 2. *Per adversa illuminatur ad cognitionem mundi, ex forti namque nubium concussione coruscatio in aëre generatur: unde etiam in noctis tenebris circumstantia pericula subitò demonstrantur. Sic ex tribulationum quassatione Mundus iste plenus periculis & laqueis & malignitate potest cerni.*

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Tobiæ, in quibus describitur Saræ afflictio & Oratio. Admonitio Senioris Tobiæ data Juniori &c.

Considera 1. SAram inter alias Virtutes, quas vitæ suæ tempore præ- *N.*366.
ter insignem in adversis patientiam exercuerat, eam præcipuè solatii causâ in oratione sua retulisse cap. 3. Quòd nunquam se cum ludentibus miscuerit: etsi enim ludere ex objecto actus sit indifferens, rarò tamen contingit, eum absque delicto exerceri; & hinc tam sacris, quàm profanis legibûs certi quidam lusus prohibentur. Ipsa adhæc experientia comprobat: nasci ex lusibus inimicitias, odia, rixas, duella, quæ etiam pacem publicam, & non tantùm privatam quandoque perturbant. S. Antoninus de homine lusibus inordinatè addicto asserit: *Maledicit se & alios, nulla pax & quies potest esse in domo ejus.* Annô 1609. in Anglia filius Baronis Warthonis Joannem Stuardum Angliæ Regis cognatum in lusu mendacii arguit, ideoque à Stuardo colaphum accepit. Tam propè Londinum se ad duellum provocârunt, in quo ambo mutuis vulneribûs confecti, jussu Regis eodem in tumulo sepulti sunt. Eman. de Mettern. lib. 29. Hist. Belg. Taceo juramenta & blasphemias, quibus Deo sæpè maledicunt lusores. Unicum pro me loquatur exemplum, quod M. Fritschius in Meteoris scribit de duobus Aleatoribus, qui Budæ in Pannonia convenerant, ut alter in Dei, alter in Diaboli nomine luderent. Prior cùm pecuniam unâ cum vestibus perdidisset omnem, noctu domum rediens per cœmeterium inter blasphemias saxum arripuit, quod adeò fortiter crucifixo illisit, ut ex capite læso copiosus difflueret sanguis. Eô factô vicinus quidam lanio podagricus ter in somno monetur: surgeret, hominem proximè obvium confossurus. Paret ille, & surgens sanatum se deprehendit. Cultrô igitur lanariô armatus foras prodit, & Aleatorem sibi obviam factum configit. Nil dein cunctatus, rem gestam Magistratui indicat, quô adveniente Dæmones cadaver Aleatoris in præsentia astantium in sublime abreptum, oculis subducunt. Hem! Christiane Lector, qualem cum lusoribus ludum ludat Dæmon. Quare felicem te dixeris, *si cum* Sara gloriari poteris; *Nunquam cum ludentibus miscui me.* Quàm læto animô ulti-

ultimum cum morte ludum exspectabis. Fateris nunc cum Tobia v. 2. citati cap. *Justum esse Dominum, & omnia Judicia ejus justa*, & ideò strictissimam te rationem ei redditurum ratione temporis malè impensi: ut taceam prætacta, quæ ludendô commisisti peccata, & quorum intuitu meritò times rigidum Judicem. Age ergo, dum bonâ adhuc frueris valetudine: ita lude, ut Diabolo ansam non præbeas, in extremis tibi illudendi. Utere lusu velut generosô vinô, quod mensuratè haustum confortat, roborat stomachum, animumque exhilerat; absque moderamine verò sumptum caput turbat, sanitati officit, usum quoque rationis impedit, & obscurat: Utere lusu, qui magis exercitium corporis, quàm solarum manuum requirit, & magis arte, quàm fortunâ regitur.

N.367. *Considera* 2. Tobiam seniorem corporali cæcitate affectum, voluisse filium suum cæcitate morali affici, quæ *cæca obedientia* ab Ascetis vocatur, ratus: illum nunquam fore magis in anima sua illuminandum, quàm si cæcô modô divinis præceptis esset obediens. Imperat ergo v. 6. capite 4. *Cave: ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri.* q. d. nunquam aperi oculos mentis tuæ, ut excogites prætextum aliquem, vi cujus te excusatum putes ab executione alicujus Præcepti. Propheta regius cæcam, mandatis omnibus à Deo acceptis testaturus obedientiam Psal. 72. exclamat: *Ut jumentum factus sum apud te.* Sed cur non asserit, se factum mancipium Dei? huic dubio ut satisfiat, observare oportet: hanc inter jumentum & mancipium dari differentiam, quòd mancipium advertens onus sibi impositum superare vires suas, vel se honestè excuset, vel saltem oneris ferendi experientiam tentet priùs, antequam humeros plenè submittat: jumentum verò absque ullo discursu, aut examine præmissô obtemperet imperiis sui Domini. Abbas Nestero in ipso Religionis ingressu dicere auditus est: *Ego & asinus unum sumus, quidquid ei imponitur, hoc portat sine mora.* Tres Magi puerum in Bethlehem natum venerati, ut barbaras Herodis manus effugerent, jubentur: aliâ via reverti in Regionem suam. Et ecce! parent ociùs, etsi viderentur habere causam, isthoc imperium discutiendi, dicendô: nunquid Deus, quem in stabulo adoravimus Omnipotentem, non æque poterit Nos in antiquo itinere, jam satis probato, securos domum reducere? quid ergo novas & millenis periculis aberrandi obnoxias quærere jubemur semitas? Pater viventium Abraham jussus, vitam proprio adimere filio

in

in victimam offerendô, poterat Præceptum isthoc vocare in dubium: an divinis illud sit conforme promissis, sibi olim de multiplicando semine factis? sed teste S. Chrysost. Homil. 47. in Genes. *Horum nihil cogitabat Justus ille, sed sicut gratus famulus omissâ omni ratione humanâ, unam tantùm rem curabat, ut imperata opere impleret.* Poterant servi illi, in Nuptiis Evangelicis Hydrias aquâ implere jussi, ociùs replicare: ad defectum vini supplendum non aquâ, sed vinô opus esse: sed nec ullum verbum reponere auditi, *impleverunt eas usque ad summum.* Quàm multos econtra inter Christianos reperire est subditos, qui si audierint aliquid sibi imperari novum, cujus rationem non satìs perspectam habent, imitantur Apostolos Matth. 14. dicentes: *quia Phantasma est.* Mussitant ergò, carpunt imperia; cùm tamen probè sciant: Deum ipsum per Prælatos imperare. Examina: an non & tu quoque ex talium subditorum sis numero? & nî velis æternam animæ tuæ ruinam cum rebellibus Angelis intueri, claude nunc mentis oculos auditîs Dei & Superiorum tuorum mandatîs. Habebis haud dubiè *multa Bona*, in perpetuum cum Tobia viro obedienti possidenda, si cum eo *timueris Deum*, & eos, qui locô Dei tibi præsident, talique timore adactus cæcam eorum imperiis obedientiam impenderis.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 5. & 6. lib. Tobiæ, in quibus describitur Tobiæ Senioris gaudium ab Angelo nuntiatum recusantis desolatio. Junioris Tobiæ itinerantis timor, conceptus à viso pisce, sed animati à Raphaele ad apprehendendum eum, & exenterandum &c.

Considera 1. SI Tobias Senior vir apprimè pius, & plenè resignatus *N.* 368. in Dei beneplacitum, tam ægrè tulerit corporalem cæcitatem, ut ab Angelo Raphaële sibi denuntiatum penitùs recusârit gaudium, inquiens cap. 5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen Cœli non video?* ô quàm ægrè laturi sint homines cæcitatem illam, quæ non tantùm corporales eorum oculos, sed & animam ipsam totâ æternitate afficiet, & vî cujus tartareis involuti tenebris, nec minimum divini solis radium, quô sancti perfruuntur in Cœlo, erunt unquam visuri. Non sine Mysterio Christus Dominus post hæc verba Evangelii: *Projicite eum in tenebras exteriores*, immediatè subjungit:

jungit: *ibi erit fletus & stridior dentium.* Ut sic amarissimas lacrymas, & inexplicabiles animæ mœrores exprimeret, quos in damnatis infernales generant caligines. Si teste Joanne Apocalypseos cap. 9. per unicam Tartarei abyssi aperturam, brevissimô tantùm temporis spatiô durantem, tanta in copia obscurrissimus exiit fumus, qui ad obtenebrandum universum aërem, & obscurandum integrum solem sufficerit: ò quàm spissæ tenebræ replebunt Infernum, in quo fumus iste quaquaversum dispersus, totâ durabit æternitate, novis semper incrementis auctus? & quas inde pœnas sentient, talibûs tenebris circumspectæ, & obvolutæ animæ? si materialis sol, extremis mundi temporibûs obscurandus, miseros mortales eâ cruciabit plagâ, ut juxta effatum Christi præ nimio timore *arescent:* quàm plagam experientur illi, quibus non materialis tantùm, sed & spiritualis ille sol, qui teste Joanne illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, occidit, totâ æternitate non ultra eis oriturus? ò Christiane Lector! ne tu à via veritatis aberrans, in tantas aliquando tenebras incidas, Angelum tibi in custodiam datum, instar junioris Tobiæ semper sequere, ejus monitis & inspirationibus promptum gerendô morem. Utque emensâ hujus vitæ viâ jucundô oculô aspicias Cœli solem, & fruaris cœlitûm deliciis & divitiis, sufficiat tibi cum inope Tobia *Paupertas tua:* ne auri argentique fallacissimô fulgore deceptus, & excæcatus, cogaris inter tenebras exteriores, æternam corporis & animæ tuæ cæcitatem cum miserrimo Epulone Evangelico deplorare.

N. 369. *Considera* 2. Christianos, iter Perfectionis Duce Deô & Angelô Custode ingressuros, ut vix cœperint, pedes bonorum affectuum lavare in fluvio austerioris vitæ, illicò experiri gravissimas carnis Dæmonisque tentationes, quæ instar voracissimi piscis contra eos assurgunt, ut ad sæculi vanitates, & perituras delicias eos pertrahant. Inde exterriti sæpè cum Tobia juniore c. 6. v. 4. exclamant: *Domine! invadit me.* Verùm adest talibus divina Inspiratio, voce Archangeli Raphaëlis utens, dicendô: *apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te &c. exentera hunc piscem &c.* Considerans intestina ejus, invenies in eis fel, quod mundus & caro suis in deliciis & voluptatibus reconditum habet, & hoc ipsum ritè perspectum medicinæ locô tibi serviet, ad ungendos mentis tuæ oculos, in quibus est *Albugo* vanitatis, & *sanabuntur* v. 9. citati cap. Eris ergò per contemplationem intuiturus æternas cœli delicias, & in uxorem venustissimam obtenturus *Saram*, unionem

nem videlicet cum Deo. Quis talia perpendens non exclamet cum nostro Gersen. lib. 3. cap. 10. §. 5. de imitat. Christi: *ò amplectendum, & semper optandum servitium, quô summum promeretur bonum, & gaudium acquiritur sine fine mansurum!* Quid ergo Christiane Lector diu moraris, tam beatum ingredi iter? quid vanô timore sacræ disciplinæ rigorem horridi instar piscis fugis? quid varii tentationum impetus te ita examinant? his omnibus si strenuè obviaveris, facili conatu per divinam gratiam ea mactabis. Cogita: quot pueri & puellæ complexionis tenerrimæ repertæ sint, qui omnes glorioſissimè de isthoc pisce triumphârunt. At repones forsan: eò res tuas jam deveniſſe, ut monitis Apostoli obtemperaturus, non valeas quærere solutionem, uxori alligatus. Ergo hoc saltem age, quod idem Apostolus 1. Corinth. 7. monet agendum, asserens: *reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint &c.* Imiteris Tobiam, cohabitandô uxori tuæ amore filiorum magìs, quàm libidine ductus v. 22. citati cap. *Qui enim conjugium teste* S. Scriptura ibidem v. 17. *suscipiunt, vel eò utuntur, ut suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.*

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 7. 8. & 9. lib. Tobiæ, in quibus describitur quomodo Tobias junior à Raguele agnitus, honorificè exceptus, & Sara copulatus sit. Raguel verò Tobiæ viventi fodi jusserit sepulchrum, ratus: eum ab Assmodeo instar priorum maritorum fore necandum &c.

Considera 1. QUàm clara paternæ Pietatis Imago soleant esse filii, benè educati; Raguel enim, qui Seniorem Tobiam testibûs Chronitûs quadraginta quatuor annis nunquam fuerat intuitus, maximô itineris spatiô ab eo sejunctus, juniore Tobiâ vix conspectô exclamat cap. 7. v. 2. *Quàm similis est juvenis iste consobrino meo*, puta Tobiæ Seniori. Verissimè igitur ait Eccles. c. 11. *In filiis suis cognoscitur vir*, non spectandô tantùm corporalem, sed vel maximè moralem figuram, dicente S. Ambrosiô in Glossa: *Unusquisque in filiis suis æstimatur: si filios suos benè instruxit, & disciplinis erudivit.* Christus Dominus incredulæ Synagogæ demonstraturus, verum se esse filium æterni Patris, hâc utitur Phrasi apud Joannem c. 8. dicens: *Antequam Abraham* N. 370.

ham fieret, Ego sum. Noverat Ille, Judæis ex lege divina constare: æternum Patrem suum Nomen Moysi olim manifestantem, usum esse his verbis Exodi 3. *Ego sum, qui sum.* Ut ergò tanti Parentis non degener Filius ab eis haberetur, parem loquendi modum tenuit cum Illo. Callidus serpens, qui nostros Protoparentes tentandò vicit, & à Patre Deo tam turpiter degenerare fecit, Ipsum quoque Christum naturalem Dei Filium in deserto tentaturus, non dixit: *Fac, ut lapides isti panes fiant.* Sed *dic*, ut fiant. Sciebat enim: Deum Patrem unicò verbo *Fiat* creâsse universa; & hinc de divina Filiatione certum habiturus indicium, talî stylô usus est. Quid Joannem Baptistam magìs prodidit esse filium humillimæ Elisabethæ, quàm humilitas illa, quâ instigante se indignum profitebatur solvendìs corrigiis calceamentorum Christi? nonne verbìs & moribûs expressit matrem illam humilem Lucæ 1. dicentem: *unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me.* Judæi olim filios Abrahæ se esse professi, quantociùs audiêre Christum, id penitùs negantem, addità hujus rei causâ Joannis 8. *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Meliorî ergo jure filios Diaboli, quàm Abrahæ nominandos esse judicaverat Christus, utpote qui Diabolum potiùs, quàm Abrahamum suîs exprimerent moribûs. Christiane Lector, nonne te Filium Christi profiteris ipsô nomine, quod circumfers? sed audi S. Augustinum de vero Christi filio discurrentem, & vide: an talis filii Nomen non tibi magìs affingas, quàm illud jure feras. *Ille est verus Christianus*, ait S. Doctor, *qui omnibus misericordiam facit, qui nullâ movetur injuriâ, qui alienum dolore tanquam proprium sentit, cujus mensam nullus pauper ignorat, qui coram omnibus hominibus habetur inglorius, ut coram Deo & Angelis glorietur. Terrena contemnit, ut possit habere cœlestia, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui ad fletum fletibus provocatur.*

N.371. *Considera* 2. Quàm proni sint homines ad temeraria judicia: ut etiam viri, magnâ aliàs pietate prædìti, talibus reperiantur addicti; Raguel enim eâ ipsâ nocte, quàm Tobias junior transegerat cum Sara, sepulchrum ei parari jusserat cap. 8. Quasi certus foret: hunc novum filiæ suæ maritum parî fatô cæteris septem viris associandum esse. Sicut phantasia in Cœlo leonem, scorpionem variaque affingit monstra & bestias, quæ tamen lucidissimæ sunt constellationes: ita sæpè evenit, pessima ferri judicia de hominibus etiam optimis. Hinc obtruserat Christus Judæis Lucæ 7. *Venit Joannes Baptista neque manducans*

panem

panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. Christiane Lector tua examines judicia: an non illa Pharisaicis multum conformia? si vides humilem, vocas illum abjectum: si cernis erectâ cervice incedentem, arguis illum superbiæ: si intueris abstemium, avaritiæ illum accusas: si lautè prandentem aspicis, edacem dicis. Si deprehendis silentio deditum, mutum bovem appellas. Si audis linguâ promptum, garrulum & blateronem judicas. Sic aliorum actiones non tantùm indifferentes, sed & sanctas pravô judiciô detorques. ò quàm verè cum Abbate Machete fateri cogeris: multa fuisse, quæ de aliis judicata, & in malam partem tracta, patraveris ipse, instar pueruli lapsus in foveam, quam ille incautô pede volantem aviculam insecutus, non declinavit. *Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo judicatur sinistrè: ei autem nocet, qui temerè judicat. Ipsa temeritas necesse est, ut noceat.* S. August. lib. de Serm. Dom. in Monte. Hoc damnum optimè perspectum habens S. Joan. Eleemosinarius: cùm audiret aliquos, de raptu monialis ab adolescente commisso murmurantes, eos compescuit dicens: nolite filii, nolite sic arguere; nam ostendam vobis, quia duo peccata facitis, unum, quia transgredimini mandatum, imperans: *nolite judicare &c.* Alterum, quia nescitis, si usque hodiè peccent, & non pœniteant: multotiès enim peccatum fornicationis vidimus, pœnitentiam autem ejus, quam fecit occultè, non aspeximus. Ergò Christiane ocius cum Raguele iterum repleas fossam, quam temerè judicans proximo foderas, & dic cum illo v. 18. citati cap. *Non contigit, quemadmodum putabamus.* Quô factô dices aliquando in judicio finali v. eôdem: *exclusisti à nobis inimicum persequentem nos*

(o)

FASCICULUS LVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 10. lib. Tobiæ, in quo describitur Fletus parentum Tobiæ junioris propter diuturniorem ejus absentiam.

N.372. *Considera* 1. ANimam peccatricem, quæ divinô præventa auxiliô & gratiâ incipit, miserrimum vitæ suæ statum agnoscere, in quem se peccandô conjecerat, à cœlesti parente cum filio prodigo peregrinata in Regionem longinquam, iisdem meritò uti posse verbis, quibûs longiorem filii sui absentiam deflebat Anna uxor senioris Tobiæ cap. citatò v. 4. exclamans: *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere.* Quid enim homo non habet, qui Deum per gratiam habet? Ipse est contra paupertatem opulentia, contra mœrorem lætitia, contra famem & sitim saturitas, contra laborem requies, contra mortem vita: atque hinc regius Vates ait Psal. 122. *Nam etsi ambulavero in medio mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hoc ipsum paribûs confirmat verbis Sophonicas cap. 3. asserens: *Dominus in medio tui, non timebis ultrò malum.* Jeremias mittendus ad tremendos Reges & Principes, ut eorum scelera acrî reprehenderet censurâ, poterat meritò capiti suo timere: sed timorem omnem ei abstersit Deus hôc unicô emplastrô: *quia ego tecum sum.* Jacobus Patriarcha, dum paternis ædibus egressus timidam cervicem duro imposuit lapidi, tantam illicò concepit audaciam, ut quidquid tandem in ignoto itinere horridum sibi foret obventurum, nihili duceret, & ridendum potiùs, quàm timendum. Venerat ei tam heroicus animus à paucis illis verbis, quæ Genes. 28. audierat proferri à Deo dicente: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac Patris tui, & nunc tecum sum &c.* & vero quid unquam mali prudenter timendum occurrat illi, qui omne Bonum sibi conjunctum habet? ò miserrime igitur peccator, à Deo tuo deserte! quid moraris: instar Annæ uxoris Tobiæ circumspicere, & circumire vias, *per quas spes remeandi* videtur ad Deum. Viæ tales sunt sincera *peccatorum confessio, contritio & satisfactio,*

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 11. *&* 12. *lib. Tobiæ, in quo describitur restitutio visûs Tobiæ mediante felle piscis. Gratitudo Raphaeli exhibita medietate omnium rerum, quas attulerant, mercedis locô oblata.*

Considera: SOlida piorum gaudia ex nullo fonte, nisi ex crucibus & pressuris nasci: enim verò Senior Tobias visum solô felle, tribulationis symbolô, recepit, perfusus inde ingentî gaudiô, ut prædixerat Angelus cap. 11. v. 8. *Ini super oculos ejus ex felle isto piscis. Scias, quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus Lumen Cœli, & in aspectu tuo gaudebit.* Spiritus Sanctus supernam dulcedinem devotis animabus infundi solitam, non nectari, sed melli comparat, asserens Eccles. 24. *Spiritus meus super mel dulcis.* Cùm autem constet: mel ex apibus, pungentî aculeô armatis, ortum trahere; hinc mysterioså hâc similitudine edocet: Spirituales piorum hominum suavitates ex eorum tribulationibus desumi. Pari de causa charissima Dei Sponsa, cœlestî dulcedine à Sponso suo replenda, testatur: ductam se esse in cellam vinariam Canticorum 4. ut nempe recrearetur succô, qui ex uvis fortiter compressis fluere consuevit. Flos præcedit fructum, fructus autem teste Apostolô Galat. 5. est *gaudium, pax &c.* sed quinam horum fructuum prævius flos? respondet Chrysost. in hunc locum scribens: *sicut fructum flos antecedit, sic dolor lætitiam præit, & dolori lætitia succedit.* Et sicut generoso Duci accepta in bello vulnera magnæ lætitiæ materiam subministrant, sic ipsa calamitas, à Deo Justis immissa, ipsis solatii & gaudii est mater. Hinc Jonas Martyr (ut alios innumeros taceam) natione Persa noctem illam, quam nudus totoque corpore cruentatus in summo frigore exegerat, adeò suavem & jucundam sibi accidisse retulit, ut similem totâ vitâ se expertum esse negârit Suriô teste 29. Martii. Quid dicis ad ista Christiane delicatule? an fortè fruiturus terrâ promissionis quæ melle & lacte fluit supernô, tibi persuades, incommoda deserti non esse sustinenda? an credis: posse te Rachelis amplexibûs gaudere sine duro & diuturno servitio? an autumas, tua tempora laurô coronanda esse, quando certaminis locô semper arripuisti fugam? quæso: *non despondeas animum*, alloquor te verbîs Theophilacti in cap. 2. Corinth. 1. Epist. *quisquis audis afflictiones & mala: quantò enim hæc exuberant, tantò exuberant* con-

N. 373.

consolationes. Quò amarius tibi venerit fel tristitiæ, tantò dulcius tibi veniet mel veri gaudii; lacrymas, quas tibi dolor & tristitia extorserat, lætitia absterget, infusa ab eo, de quo canit Ecclesia: *& absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Dices cum Tobia Seniore v. 17. citati cap. *benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigásti me, & tu salvâsti me.*

Considera porrò: Quàm insignem Doctrinam Raphaël præbeat. Rogatus enim cap. 12. ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, accipere, id constanter renuit, Angelum Dei se esse professus, docturus per hoc: in Angelos Dei homines mutari, qui sine laboris stipendio obirent Ministeria, in salutem proximorum ordinata, quando jam aliunde eorum victui & vestitui satis prospectum sit. Matth. cap. 20. Christus Dominus Parabolam in medium producit, de operariis ad excolendam Ecclesiæ vineam conductis, quos imparî licèt tempore laborantes, parî tamen præmiò donatos esse testatur. Sed unde hæc ex dispari labore mercedis paritas? videtur eam explicare Evangelium, dum ait: primos operarios nonnisi pactò priùs pretiò manus suas operi admovisse: *conventione autem factâ &c.* posteriores verò exstitisse spontaneos, ut adeò nullâ mentione pretii mercedisque factâ, sed solùm auditâ vocantis voce: *ite & vos in vineam meam &c.* Jam alacres inceperint sudare. Sententiam hanc confirmant aurea Nazianzeni verba Orat. 40. dicentis: *quantum alios antecelluerint videamus; illi enim non priùs crediderunt, & ingressi sunt, quàm illis ex conventu merces constituta fuisset. Hi nullâ condictâ mercede ad laborem accesserunt.* Vates regius Psalmò 109. meminit cujusdam diei, quæ virtute splenduerit Sanctorum. At quænam ista? respondent Interpretes, qui *pro tecum Principium* legunt: *tecum Spontanei*: illam diem refulgere Splendoribûs Sanctorum, quâ instar ipsius Dei (absque nulla mercede facientis, oriri solem super Justos & injustos) servi spontanei ministrant, & Sacra operantur in salutem proximi absque ullo temporali stipendio. Rectè igitur admonet Paschalius lib. 3. c. 3. *quisquis Deitatis opus exercet, pari muneris gratiam consecutus, pari muneris gratiæ sit devotus, ut dispensator potiùs videatur esse, quàm mercator.* Quid ista audiens cogitas Sacerdos animarum Pastor? qui etsi beneficiò fruaris sat pinguî, tam beneficum tamen te non exhibes, ut quandoque gratis Missam pro salute subditorum legas? & cum Raphaële nil aliud stipendii locò petas, quàm *benedicite Deum Cœli.* v. 6. citati cap. cave: ne temporali nimiùm inhians præmio, perdas æternum. Do-

Doctrina 3.

Desumpta ex capitibus reſiduis lib. Tobiæ, in quibus deſcribuntur Canticum Tobiæ ejusquè Vaticinium &c.

Conſidera: ME quidem ſuperiùs dixiſſe: Seniorem Tobiam tam ægrè tuliſſe oculorum cæcitatem, ut Angelo ſibi gaudium denuncianti ſurdas aures objeciſſe videretur, nullum admiſſurus gaudium, puta tale, quod terrenum & ſenſibile vocari ſolet. *Cùm enim* (ut S. Scriptura loquitur cap. 2.) *ab infantia ſua ſemper timuerit Deum, & mandata ejus cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra Deum; quòd plaga cæcitatis evenerit ei, ſed immobilis in Dei timore manſit, gratias agens Deo omnibûs diebûs vitæ ſuæ.* Hinc cum triſtitia ſenſuali, ex malo tantùm corporeo nata, ſtetit in Tobia gaudium Spirituale, ſicque mœrente inferiorî homine, exultabat Superior, qui tandem cap. 13. in pulcherrimas laudes linguam reſolvit, ut ſic Spiritualis lætitiæ, & debitæ erga Deum gratitudinis teſtimonium daret extrinſecus, quod omnî tempore intrinſecus fovebat, divinô lumine in anima illuſtratus, dum oculorum uſu carebat in capite. Tale gaudium devotis Deo ſervis promittens Iſaias cap. ultimò aſſerit: *lætamini cum Jeruſalem, & exultate omnes in ea, qui diligitis eam: gaudete cum ea, ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis ejus, ut mulgeatis & deliciîs affluatis ab omnimoda gloria ejus.* Quæres autem: ex quo fonte trahatur hoc gaudium? reſpondent præcedentia Prophetæ citati verba, verſu quintô legenda: *audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus.* Ergo ſoli divino timori hoc gaudium, nullîs ſat explicandum præconiîs debetur, prout ſuô confirmat exemplo ſenex ille, qui primus meruit gaudium univerſæ terræ Chriſtum Salvatorem geſtare in ulnis, eâ ſolùm de cauſa, quòd fuerit *homo juſtus & timoratus.* Lucæ 2. Chriſtiane Lector quid doles: nullum tibi in terris eſſe gaudium, teque ab omni ſiniſtro caſu adeò affligi, ut mori delectet, vivere tædeat. Planè ſola divini timoris inopia, mœroris continui cauſa eſt. Times quidem, ſed inſtar Petri, qui dum mori timuit, vitam negavit. Times inſtar Pilati, quo dum gratiam Imperatoris perdere timuit, authorem omnis gratiæ perdidit. Bonorum temporalium jacturam ſubire times, ſed illum, qui omne Bonum eſt, offendere non times. Sanitatem corporis aut vitam amittere times, ſed vitæ Domino injurius eſſe non times, verborum N. 374.

borum Christi oblitus, quibûs tam seriò admonet: *hunc timete, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam*, tam temporalî, quàm æternô gaudiô te privandô.

FASCICULUS LVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. Judith, in quibus describitur Victoriosi Nabuchodonosoris Arrogantia, & consilium de obtinendo Dominio totius orbis.

N.375. *Considera:* NUllum tam enorme flagitium committi à Regibus & Principibus, quod à Populo visum vel auditum non illicò trahat ad parem sequelam instar magnetis. Vix Nabuchodonosor de Rege Medorum triumphans, summum arrogantiæ & superbiæ gradum conscenderat, ocius sequaces habuit omnes ministros, quibus parî jam superbiâ tumentibus teste S. Scripturâ capite cit. Placuit Regis consilium de subjugendo universo terrarum orbe conceptum. Qui integram Civitatem toxicô molitur inficere, venenum fontibus injicit, non dubius: eventurum inde, ut illud in omnes aquas propagetur, & per cuncta bibentium colla fluat. Parî proh dolor! astutiâ utitur Dæmon: integrum Regnum aut Provinciam venenô criminum infecturus, Principis aut Regis pectori ceù fonti illud primitùs injicit, probè sciens: exinde brevi deventurum in subditos, quos constat ad Regum exempla componi. *Sicut parvus lapis*, ait S. Vincent. Ferrer. Serm. 3. Dom. 20. Pentecost. *solus cadit, & non præcipitat alios, sic nec parvæ Personæ, sed magni lapides, id est, personæ notabiles exemplô malô multos præcipitant.* Erat Pharaoni juratissimô Hebræorum hosti fixum ratumque eos in extremam usque devolvere miseriam; quare operibus luti & lateris illos adjicit, proponens Magistros magnæ authoritatis homines, qui tum

tum verbô tum verbere eos ad laborem impellerent. Erat Pharao iſte infernalis Tyranni figura, qui ut electum Dei Populum ſubigat: Magiſtros operum, Principes & Reges curat præfici, qui malæ vitæ exemplô eum ad lutoſos vitiorum labores compellant, miſerrimè tandem periturum. Chriſtiane Superior hæc omnia exactè ponderans, vide: quid agas, malè agendo? annon Miniſter Dæmonis publicè peccandô evadis? utinam Nabuchodonoſoris ſuperbiam non tam verbô quam factô deteſtans, coram ſubditis tuis exemplò proteſtareris: cogitationem tuam in eo poſitam eſſe, ut omnem terram contemneres, cum S. Ignatio totius Societatis Jeſu Generali & Patriarcha exclamans: *ò quàm ſordet mihi tellus, cùm Cœlum aſpicio!*

Doctrina 2.

Deſumpta ex cap. 3. lib. Judith, in quo deſcribitur Nabuchodonoſoris, divinos etiam Honores & Cultum ambientis ſuperbia.

Conſidera: QUousque tandem creſcat hominum ſuperborum amentia; non enim ſuffecerat Nabuchodonoſori plurimas ſubjugâſſe Gentes, horrendô terrore univerſum concuſſiſſe orbem, premere pedibus colla Principum; ſed divinos etiam affectans honores, ſibi ſoli impoſterùm impendendos, imperat Holoferni exercitûs Duci citati cap. v. 13. *ut omnes Deos terræ exterminarent, videlicet, ut ipſe ſolus diceretur Deus.* Erat ingens olim Luciferi malitia, quando ſuæ immemor Originis, arrogantî ore exclamavit Iſaiæ 14. *in Cœlum conſcendam, ſimilis ero altiſſimo.* Verùm hanc Dæmonis ſuperbiam magno adhuc ſpatiô transgreſſa eſt Nabuchodonoſoris & aliorum ſequacium malitia. Lucifer enim Deum ſuô thronô expellere, ut illi ſolus inſideret; nunquam cogitâſſe creditur; utpote ſatis perſpectum habens, id fore penitus impoſſibile; tantùm igitur eò ſurrexit ſuperbiæ, ut ſimilem Deo affectaret Majeſtatem & Potentiam, inquiens: *ſimilis ero altiſſimo.* Nabuchodonoſor autem hâc æqualitate nondum ſatur, ſolus divino inſidere Throno petiit, ut allata probant S. Scripturæ verba. Cùm vero eò profundior ſequatur lapſus, quò ſublimior fuerit aſcenſus: hinc mirum non eſt, ſuperbos homines pœnis nonniſi abjectiſſimîs deprimi, uti Regnô ſuô dejectus docuit Nabuchodonoſor iſte, & alius ejusdem nominis, etiam in beſtiam mirâ N. 376.

metamorphosî mutatus. *Omnis superbia tantò magìs in imo jacet, quantò magìs in altum se erigit, tantoque profundiùs labitur, quantò excellentiùs elevatur.* ait S Isidorus lib. de summo Bono, & rationem hujus assignans pergit dicere: *Deus enim exaltat humiles, deponit superbos de sede.* Sicut aquila, avis ad prædam nata, testas, nuces & similia altissimè evehit, ut in petram majorî impetu dejecta confringat, sic arrogantia altiùs superbos extollit, ut eò fortiùs eos deprimat juxta illud Poetæ: *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Equus phalerîs sellaque ornatus ingentî hinnitu percurrebat patentem viam; dumque asinum pondere gravatum sibi haberet obvium, eidem obgannit: *quid ignavum pecus obsistis equô? cede ociùs, aut pedibûs meis conculcabere.* Asinô autem ociùs cedente, dum equus ceptum pervolat iter, derepentè ejus inguen rumpitur, spoliatur ornamentîs, & molitori venditur. Posthac saccum deferens, ut iterum occurrit asino, cum risu ab illo exceptus, audire cogitur: *heus bone! ubi aurata sella? frenum ubi, rutilantibûs intextum gemmîs? ubi petulans ille incessus? sic, sic amice! superbos ad ima dejici, & confundi oportet.* Christiane Lector! utinam hæc ultima asini verba toties mente revolveres, quoties vel ob stemmatis nobilitatem, vel ob doctrinæ abundantiam incipis in altum evehi, meliorem te aliis æstimandô. Disceres sanè ab insipiente bestia: non plus sapere, quàm sapere te oportet. Vel si hoc exemplum ut fabulam rides, & contemnis, saltem hanc, quam tibi subnecto historiam, mente sæpiùs revolve. Vixerat S. Antoninô teste 2. p. summæ tit. 3. c. 2. §. 4. Tyrannus quidam, superbiæ vitiô perquàm inflatus homo, cui toties bilem movebant virgineæ & humillimæ matris verba: *deposuit potentes de sede &c.* quoties illa audierat, à ministris Ecclesiæ cantari. Talia ergo non ultra auditurus, imperat Clericis, ad se vocatis, eradant verba illa è libris tanquam veritati non consona: se siquidem de sede Dominii sui neutiquam deponi posse. Impium hoc, & simul stolidum imperium Clericîs exsequi recusantibûs, atque paternè admonentibûs, ut humanæ sortis memor saniora cogitaret, perstitit ille in sententia, sed non diu ampliùs stetit in Dignitate: enim verò dum die quâdam ministrorum grandî copiâ cinctus ad balneum se confert, & exutus superbîs vestibûs illud solus ingreditur, Angelus Domini ejus formam vestesque inductus, è loco balnei paulò pòst egreditur, quem Ministri ut verum Dominum venerati in Aulam deducunt; remanente interim superbô illô in balneis, qui & ipse transactâ aliquâ

quâ morulâ exit, sed nec ministros, nec vestes reperiens, obvios quosdam centones colligit, illisque inter lamenta amictus ad Aulam properat, improperans: quàm immanì afficiatur injuria, non tantùm debitô Ministrorum suorum respectu, sed ipsis etiam vestibûs spoliatus. Quot verba, tot deliria videbatur loqui janitoribus: inde majorem in rabiem actus: quid, inquit: non agnoscitis me Dominum paulò antea balnea ingressum? quis alius vices meas & personam aget in Pallatio? fama interim perfertur ad aures Angeli de re ante fores Palatii gesta, qui ut superbum majori exponeret confusioni illum in præsentia omnium ad se vocat, & priores querelas audiens, ridet cum ministris vesani hominis amentiam. Tandem verò ad secretum cubile abductum admonet superbiæ suæ, ostendens: quàm facilî negotio contigerit, ipsum de sede sua dejectum, & sic miserrimè abjectum esse. Is ergò agnoscens reatum suum, dolet de facto, & vestibûs ab Angelo indutus, ipsô disparente prodit è cubiculo, recepturusque à Ministris narrat omnia secum gesta. Hanc Historiam, fusiùs nonnihil à citato sanctissimo Authore descriptam, mente ùt superiùs dixi revolve, & levî conatu superbi Spiritûs franges assultum.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 4. & 5. lib. Judith, in quibus describitur apparatus bellicus Israëlitarum contra Holofernis potentiam. Achioris de statu Israëlitarum quæsiti responsum, agrè auditum ab Holoferne, & ab eo graviter castigatum.

Considera 1. QUòd licèt Israëlitæ ad repellenda Holofernis potentiam omnèm moverint lapidem, fortissimîs præsidiîs muniendô fines suos: attamen his omnibus quasi parum confisi, ad orationem confugerint, certî: vana esse præsidia, divinîs destituta auxiliîs. *Clamavit ergo* teste Sacra Scripturâ v. 8. cap. 4. *omnis Populus &c. quantò purior*, ait S. Chrysost. Serm. de Moyse, *frequentiorque fuerit oratio, tantò celerior veniet inimicis Vindicta: hostis, dum oras, premitur, dum cessas, erigitur.* Viderat olim Elisæus ad defensionem sui montem plenum equîs 4. Reg. 6. oravit tamen ad Dominum ratus longè plus armaturæ in precibus esse repositum, quàm in plurimis *N.* 377.

fortissimisque militum turmis. Christus ipse in sui tutelam duodecim legiones Angelorum stare paratas sciens, unicô Orationis præsidiô, ternâ vice repetitô, usus esse legitur. Nullus unquam inter Europæ Reges aut robore virium, aut belli peritiâ excelluit Alphonsum Lusitaniæ Regem. Is à nullo unquam victus vincebat omnes quos habebat hostes. Cunctas autem Victorias solis precibus cujusdam Eremitæ adscribebat. Jacob Patriarcha Josepho filio suo longè charissimo extremum vale & paternam Benedictionem daturus, Genes. 48. hæc Verba protulit: *do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Ubi Chaldæus expressè legit: *quàm tuli in Oratione & deprecatione mea.* Sed quænam arcum inter & orationem proportio, ut unum alterius vices agat? respondet huic quæstioni S. Ambros. serm. 1. de Elisæo dicens: *Oratio longiùs vulnerat, quàm sagitta; sagitta enim nonnisi proximè conspectum vulnerat adversarium, Oratio autem etiam longiùs positum vulnerat inimicum &c.* Quid ergo bellicosis hisce temporibûs nos Christiani toti occupamur in convehendis tormentis currulibus, in acuendis ensibus, in conducendis militibus? cur non magis Israëlitarum more erectis ad Cœlum manibûs *clamat omnis Populus ad Dominum instantiâ magnâ*? paribûs verbis, quibûs Eliachim animavit Israëlitas, animat nos Ecclesia, asserens: *memores estote Moysis servi Domini, qui Amelech confidentem in Virtute sua & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferrô pugnandô, sed precibûs sanctis orandô dejecit* v. 13. capitis cit.

N. 378. *Considera* 2. Quàm clarô exemplô Achior Veritatem illius probet adagii: *Veritas odium parit*: nam statum Israëliticæ Gentis describens, ùt vix finem dedit loquelæ, epilogi locò dicens c. 5. v. 25. *si verò non est offensio Populi hujus coram Deo suo, non potuerimus resistere illis &c.* Quantocius *irati sunt omnes Magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum.* v. 26. citati cap. Joannis Baptistæ caput olim avocabatur è carcere, sed non alia de causa, quàm ut mortuum videretur in disco. Josephus pariter vocabatur è carcere, sed ut solium regale scanderet. O quàm dispar horum conditio! Iste revelandô somnia evadit mortem, obtinet præmium, acquirit coronam: Joannes vero Veritatem dicendô capitalem subit sententiam, mori cogitur. Et quid Petrum affixit Cruci! quid Paulo abscidit caput? quid singulos Christi discipulos crudelibus objecit tormentis: nisi Veritas orbi denunciata? quid benedictam Salvatoris linguam myrrhatô

rhatô potavit vinô: nisi Veritas surdis Judæorum auribus tam sæpè inculcata? Liber Judicum (ùt suô memini locô) narrat: Juvenem Levitam exstitisse, opibûs valentem & pulcherrimæ junctum uxori. Qui cùm celerî gressu in civitatem Gabaam pervenisset, cives adeò nefandâ libidine exarsêre in ejus conjugem, ut in publica platea per noctem eâ crudeliter abusi, relinquerint tandem mortuam, ante Domûs ostium jacentem. O Veritas! puella cœlestî decore ornata, filia ipsius Sancti Spiritûs! Venustas tua adeò placet, ut Esdræ 3. dicat S. Textus: *omnis terra Veritatem invocat, Cœlum ipsum benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam &c.* Idem tamen ab hominibus impiis experiri cogeris, quod à Gabaonitis accidit uxori juvenis Levitæ: nam ab eorum Domibus exclusa, fallacibûs linguîs in publico corrumperis testante Isaiâ cap. 59. *corruit veritas in plateis.* Verùm Ille, qui pudendum & barbarum in Gabaonitis vindicavit delictum, adhuc graviorî pœnâ per suos Angelos puniet corruptæ Veritatis scelus. Vide ergo: quid te maneat Christiane Lector, si Veritatem odio habens, ei sis injurius? Holofernes caput perdidit, dum aures præbuit adulantium mendaciis: quid continget tibi: qui non audis tantùm, sed & loqueris mendacia?

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 6. 7. & 8. lib. Judith, in quibus describitur quomodo Achior arbori alligatus ab Israëlitis solutus, & ab illis animatus sit. Quomodo obsessa Bethuliæ cives cœperint animis cadere, erecti ad fiduciam per Judith &c.

Considera 1. QUàm sedulam Deus curam habeat eorum hominum, qui Veritatis Præcones agunt, ab aliis persecutionem passi: Achior enim arbori alligatus, non tantùm ab egressis civibus Bethuliæ nil mali sibi inferri sensit, sed copiosô solatiô recreatus, in civitatem abductus est cap. 6. v. 17. civibûs illum taliter alloquentibûs: *Deus Patrum nostrorum, cujus tu Virtutem prædicâsti, ipse tibi dat hanc vicissitudinem, ut eorum magis tu interritum videas.* Ita veritas olei instar premi nonnihil, sed adeò supprimi non potest, ut non continuò supernatet. Etiam infamis ille truncus, in Golgothæo monte erectus, ob solius Divinæ Veritatis sibi allegatæ contactum id honoris asse- *N.* 379.

affecutus est, ut Regum nunc adornet coronas. quare ò Sacerdos Veritatis Præco! quasi tuba exalta vocem tuam. Eò altiùs veritas te evehet, quò Mundus illius osor profundius te nititur deprimere. Videbis cum Achior illorum interitum, à quibus veritatis denuntiatæ causâ tulisti injurias: semper serenior post parva nubila tibi ridebit Phœbus.

Porrò observandum hîc occurrit: quòd sicut Holofernes Bethuliâ potiturus, primò aquas eidem subtrahere conatus sit, testante id S. Scripturâ cap. 7. ita Diabolus hominum animas suæ dictionis facturus, fontes obstruere moliatur, ex quibus instar limpidæ aquæ fluere solet Veritas, ipsa videlicet ora Prædicantium. *Cùm aqua continetur, ait* S. Greg. lib. 11. moral. c. 6. *cuncta siccantur: quia si Scientia Prædicatorum subtrahitur, eorum, qui virescere in spe æterna poterant, corda protinùs arefiunt.* Quare ne hoc fatale malum tuæ obtingat animæ, contesteris cum Isr. elitis in Bethulia obsessis *Cœlum & terram* v. 17. cap. citati: *ut sit finis tuus brevis in ore gladii, qui longior efficeretur in ariditate sitis.* Sitis inquam illius, quæ non in Bethulia, sed in Inferno esset ferenda tibi, ob Veritatem in hoc mundo non libenter auditam à Prædicatoribus. Hanc sitim nunc patiuntur Pharisæi, quorum auribus adeò olim exosa fuit Veritas, à Christo prædicata.

N. 380. *Considera* 2. Multos reperiri Christianos, qui gravibûs angustiîs pressi ad divinum quidem præsidium per orationem confugiunt, sed non aliter, quàm egerant cives Bethuliæ, qui animîs cadere, & hosti urbem cedere cogitabant: nî celerî ope adesset Deus. Contra horum enormem diffidentiam mascula mulier Judith acribûs verbis insurgit v. 12. capitis 8. inquiens: *qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam provocet: sed potiùs, qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* q. d. summam injuriam divinæ infertis Providentiæ, dum præsumitis: tempus & modum Deo præfigere pro ferendo vobis auxilio. Potuisset utique cœlestis Magister Christus spumantis pelagi procellas, quibus olim inambulans discipulus vitæ suæ timebat, unicô sedare verbô, & momentô citiùs compescere, sed tacuit, manum periclitantis apprehendens: *quia* teste S. Chrysost. homil. 15. in Matth. *fide ipsius opus esset; cùm enim nos ipsi deficimus, tunc Dei patrocinia retardantur.* Hoc prænoverat Ezechias: & hinc licèt non statim cerneret missos è Cœlo Angelos, aut ignes è nubibus in hostium castra

stra jactos; attamen conceptæ semel in Deum fiduciæ tanquam vallo munitissimo innitebatur, quasi Davidico ore testatus: *si consistant adversùm castra, non timebit cor meum, si exurgat adversum me prælium in hoc ego sperabo &c.* Fridericus secundus Saxoniæ Dux bellum Magdeburgico Antistiti illaturus, exploratores præmisit, teste Heliodorô lib. 5. c. 4. §. 4. visuros apparatum bellicum & consilia partis adversæ. Verùm ubi reduces retulère: nil opportunum pugnæ parari, sed Antistitem auditum esse dicere, se soli Deo suam commisisse causam, quantociùs Dux in hæc prorupit verba: *insaniat alius, & bellum inferat ei, qui confidit: se Superiorem futurum Deô defensore.* Talia Christiane in augustiis habe pro oculis exempla, nullum tempus aut modum divinæ determinans Potentiæ, sed juxta monitum fortissimæ Judith v. 20. cap. cit. *exspecta humilis consolationem.* Perpende: *quomodo* (ut mox laudata Amazon meminit) *Abraham tentatus, & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis sua contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore.* v. 25. & 26.

FASCICULUS LVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 9. & 10. lib. Judith, in quibus describitur Humilitas & mortificatio Judith, armorum locô contra Hostes assumpta, additis precibus, in pulcherrimo deinde vestitu & ornatu Bethuliam egressa deductio ad Holofernem &c.

Considera 1. FOrtissimam Judith probè sciviſſe: contraria nonnisi contrariis impugnari, & curari; hinc altissimam Holofernis arrogantiam debellatura, ad profundissimam humilitatem confugit, testante id S. Scripturâ c. 9. *ingressa est* *N.* 381.

in

in Oratorium suum, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino clamabat ad Dominum &c. vivâ in Imagine circumferebat illam regii Vatis historiam, quam narrat, dum canit: *humiliatus sum, & liberavit me*; noverat adhæc: Moysen de superbo Pharaone triumphaturum exclamâsse: *quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* non deerant invictissimo Samson ad prosternendas hostium turmas auctissimi enses, ferreæ hastæ, arcus selectissimi, & alia tam fortia, quàm pretiosa belli instrumenta: & tamen solâ mandibulâ asini usus est, quâ tot Philistinorum unicô stravit in prœlio. Hoc factum expendens Petrus Dam. lib 6. Epist. 16. ait; *quid est, per jacentem mandibulam mille viros occidere? nisi per linguas humilium, non credentium numerum à pravitatis suæ statu dejicere?* Jonathas insignem de hostibus suis victoriam reportaturus non erectô corpore, non elatâ fronte, non extento collô, sed juxta effatum S. Scripturæ 1. Reg. 4. *manibùs & pedibùs reptans*, castris sese immisit hostium. Job verò Diabolum ipsum superaturus, non sublimem turrim, sed abjectissimum conscendit sterquilinium: ut sic in fimo, tanquam in infimo, loco sedens, non haberet, quô profundiùs dejiceretur, sed potiùs contra hostem suum in altum surgeret, adjutus ab eo, *qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Planè sicut ignis in sublimem & voracem flammam surrecturus priùs flabellô multum deprimi debet; ita homo in magnum hostium suorum stragem se erecturus, debet per humilitatem multum priùs demitti. Haud aliter sese gesserat (ùt memini) Heroina Judith, victricem de Holoferne superbissimo mortalium reportatura Laurum; profundissimæ ergo humilitati studuit, eò certior de triumpho, quô in sua fuerat abjectior reddita mente, dicens v. 16. citati cap. *humilium & mansuetorum tibi* (Deo videlicet) *semper placuit deprecatio.* Hanc ergò Christiane Lector imiteris, celebrem de hostibús, qui Bethuliam animæ tuæ tentationum impetu obsident, Victoriam obtenturus.

*N.*382. *Considera* 2. Holofernem, qui tot Populos captivos duxerat, quoque fuisse ductum à pulcherrima Judith: ut in se figuram exprimeret illorum hominum, de quibus regius cantat Propheta Psal. 7. *lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Sic agitur disponente Deô: ut mala plerumque redundent in ipsa Authorum suorum capita; adeò, ut propriam linguam detractor vulneret, propriam animam invidiosus tabescere faciat, iracundus gladium in pro-

propria figat viscera, libidinosus seipsum exurat. Sæpissimè contingit: venatores laqueum feris tendentes, dum incautiùs agerent captos esse. Ita Tamerlanes Tartarorum Imperator, cùm felicî pugnâ superâsset Bejazetem: ut illum captivum deduxit ad Aulam, in regali Throno lateri suo assidere jussit, quærens ab eo: quid suo statuisset in animo: agere cum Tamerlane, si versâ fortunæ aleâ captivum obtinuisset? cui Turca temerariô ore responsum dedisse fertur: ratum mihi erat, te mittere in ferream caveam, cum ludibrio per omnia loca circumducendum. Nec isthoc satur: equum conscensurus, dorsô tuô haud aliter, quàm scabellô fuissem usus. Vix hæc audierat Tamerlanes, sententiam illicò tulit istam: ex ore tuo te judico, idem supplicium sentiet superbia & crudelitas tua, quod mihi destinaveras. Filia Herodis insidiata capiti innocentissimi Joannis, quod etiam in præmium saltûs sui obtinuit: cum hybernô tempore congelatum flumen transire tentaret, ruptâ glacie ad collum usque submersa est, capite intra glaciem interceptô. Reliquum deinde corpus saltantis in morem tamdiu agitare visa, donec impium caput à corpore per glaciem recisum remansit in superficie, publico expositum spectaculo. Ita Baron. ad an. 33. hoc spectaculum Christiane Lector oculis mentis tuæ præfige, ne oculis corporeis curiosiùs in mulierum formas cum Holoferne fixis, obscenô amoris vinculô ligatus cum ipso captivus ducaris, tartareis aliquando alligandus pœnis.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 11. 12. & 13. lib. Judith, in quibus describitur Judithæ pietas, inter Idololatras non corrupta, victoria fictè Holoferni promissa, ejusque in Juditham benevolentia. Abscisso Holofernis capite Bethuliam redeuntis Judithæ Præconium.

Considera 1. QUanta vis insit solidæ in Deum pietati, dum Judith *N.*383. numerosô exercitu pessimorum hominum cincta, & in eorum commercio vivens, de se testari valuit cap. 11. *ego ancilla tua Deum colo etiam nunc apud te.* Imitabatur hæc fœmina infractam Moysis constantiam: qui etsi regia nutriretur in Aula, falsorum Deorum Cultui addictissima, à veri tamen Dei Religione nec latum un-

guem deflexit; atque hinc teste Apostolô Hebr. 11. *negavit, se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* Antiquiorî adhuc exemplo sibi præluxisse noverat Josephum Patriarcham, qui ad supremum Principatûs Fastigium inter Idololatras elatus, paternam Religionem, quam secum in Regionem Ægypti detulerat, coluit integerrimam. Sicut gemmæ in lutea loca abjectæ innatum sibi retinent Splendorem: ita homines solidâ in Deum virtute præditi, eandem conservant illæsam, etsi inter perversissimos vivere cogantur. Qua in re Solem quoque æmulantur, qui lucis defectum non patitur, etsi fœdissima transeat per loca. Optimè igitur exclamat in rem nostram aureus Orator. S. Chrysost. homil. 11. in Epist. ad Philip. *virtus ubique lucet, & inexpugnabilis est. Non divitiæ, non paupertas, non Principatus, non subjectio, non morbi, non ignominia vincunt: sed his omnibus relictis ad Cœlum ipsa pertingit; dumtaxat sit animus generosus, & nihil poterit solidum impedire.* Fingunt: arundinem inter & olivam olim certatum esse de virium robore. Arundo industriæ suæ confisa, quâ ad omnem ventum se inclinat, & omnes in partes se flectit, frangi se non posse, etsi flecti posit, jactitabat. Oliva verô cùm adversis semper obnitatur ventis, laurum sibi præsagiebat exinde: quòd nec flecti, nec frangi queat. Et verò hanc meritô obtinuit, existens symbolum solidæ & incorruptæ virtutis, qualem cum Moyse & Josepho orbi exhibuit Heroina Judith, & qualem à suis servis etiamnùm hodie exigit Christus: sed proh dolor! vix unquam reperit: quàm multi enim in Aulis Principum ad levem favoris favonium caput inclinant, adversô timoris aut spei flatu perterriti, ad quamlibet auram moventur, calida & frigida eôdem ore perflant. Si vident: Principem Sacra parum æstimare, divinis rarò interesse officiis, conciones abhorrere; quasi imperium accepissent, & ipsi hæc omnia horrent, & fugiunt. Constantinus Imperator, ut animos suorum exploratos haberet, finxit se Idolis immolaturum, & ecce! illicô sequaces habuit ministros, qui se Idolorum cultui devoverant: quos tamen velut pessimi valoris arundines Regno expulit. O Christiane Lector! quam clara tu quoque præbes indicia, veram Pietatem nondum firmas in te egisse radices, qui non Principis aut Regis alicujus Majestate, sed abjectorum quandoque hominum verbîs deterritus, à consueta erga Deum tuum devotione desistis. Quæso: quid tunc ageres, quando isthæc cum Judith

v. 12. citati cap. audires promissa: *tu in Domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum memorabitur in universa terra.* Quid si regales tibi apponerentur cibi, à lege tua vetiti? actum plane esset de vera fide, aut saltem de divinorum observantia Præceptorum.

Considera 2. Quàm verè Maria Virgo Præconium ab Ozia victrici Judith datum, sibi vendicet: *benedicta es tu*, ajebat ille cap. 13. *filia à Domino Deo excelso pro omnibus mulieribus super terram.* Maria enim, dum sine omni labe originalis peccati concepta est, tartarei Holofernis caput feliciſsimô ictu demessuit. Fabula est superstitiosæ antiquitatis: Achillem Græci Agminis Ducem, armis hostium totô corpore impervium exstitisse, solâ plantâ & calcaneô exceptîs. Achilles plurimos, Heroes invictiſsimos nobis exhibet S. Scriptura, ausos humani generis hostem ad pugnam provocare, exclamantes instar Tu onensis Episcopi: *quid adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies &c.*? talis Heros exstitit Jeremias, talis Joannes Præcursor Domini, qui non tantùm in cunis, sed in ipso materno utero stygium superâvere serpentem, jam tunc divinâ confirmati gratiâ: at nullus eorum attigit invictam Mariæ fortitudinem, dum nullus evitare potuit, ut à venenato serpentis morsu esset penitùs immunis. De sola Virgine Maria testatur S. Scriptura Genes. 3. *tu insidiaberis calcaneo ejus. Ipsa conteret caput tuum.* Poteris ergo, ò Sacratiſsima Inferni Victrix, Mater ter admiranda! uti Prophetæ verbîs Psal. 139. cantantis: *obumbrâsti super caput meum in die Belli.* Quem locum Abulensis sic exponit: *caput Principium est vitæ, dies autem Belli est instans illud Conceptionis, in quo Dæmon peccati originalis maculâ dominatur de anima. Principium autem vitæ beatiſsimæ Virginis obumbratum fuit ab instanti Conceptionis vi Prævisionis Christi.* Ita ille. Hanc Triumphatricem Juditham roga tu Christiane Lector, ut suô præsidiô te defendat: quatenùs contractò jam semel vulnere peccati originalis, sed per sacrum Baptisma curatô, ab actuali imposterùm securus sis: ut cum cœlestis Bethuliæ civibus æternum Pœana eidem liberatrici accinere valeas. Dein confisus de tali præsidio, & armis strenue mortificationis indutus, exi in castra hostium tuorum, passionum inordinatarum, instar Civium Bethuliæ irrumpentium in castra detruncati Holofernis. Cum *Achior* circumcide carnem proprii amoris. Videbis brevi jacere extinctum, quidquid indomiti appetitûs in te hucusque vixeras, bellum tibi movens; adjuvante hâc glorioſâ muliere sic generosè superatus Dæmon dicet

N. 384.

cum Vagao v. 16. cap. 14. *una muliet Hebræa fecit confusionem in Domo Regis &c.*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 15. & 16. lib. Judith, in quibus describitur Benedictio Judithæ data post fugatos Assyrios & obtenta spolia. Canticum Judithæ, oblatio ejus in Jerusalem &c.

N.385. *Considera*: INgens quidem, & ad ea usque tempora inauditum exstitisse facinus, quod Judith patraverat, amputandô caput Holofernis, & liberandô Populum Bethuliæ. Verum hoc facinus, etsi summâ laude dignissimum, non tamen tanti videtur æstimare S. Scriptura, quanti æstimat admirandam hujus fœminæ castitatem; dum tribûs annîs viro orbata vivens, vixit integerrima, tot Victorias de se ipsa refererens, quot à carnis petulantia tentationes diu noctuque fuerat passa. Verba S. Scripturæ sunt cap. 15. *fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaveris, & potest virum tuum alterum nesciveris &c.* hoc bellum, quod sua cum carne gerit homo, tantô gravius periculosiusque existit, quantò blandiora sunt arma, quibûs nos impetit. Non enim in eo stringuntur acinaces & hastæ, non mugiunt tormenta currulia, non volitant ferrei aut plumbei globi, quæ omnia tremendi Martis instrumenta, aut fortibûs murîs aut æreîs scutîs plurimi propulsant, nihil vulneris abinde passi: sed teste S. Leone Papâ Serm. 6. de Epiphan. *hostis deposuit odium, & vertit ingenium, inflammat concupiscentias.* Ab intra movetur pugna, ut muro valloque careat obsessus, quô se tueatur. Poterat Propheta regius gloriari, se occidisse ursos, dilacerâsse Leones, prostrâsse gigantem, integros in fugam egisse exercitus, at fateri debuit, ab imbelli venere victum se esse. Poterat carneus ille Colossus Samson suam jactitare fortitudinem, quâ solus ipse mille dejecit viros, mandibulâ asinæ pro gladio usus: at pariter fateri coactus est, parvulum illum puerulum ardentî face & spiculis armatum, omnes ejus perfregisse vires. Meritò igitur asserit S. August. in Serm. *inter alia certamina Christianorum duriora sunt prælia Castitatis: nam ibi continua pugna & rara victoria.* Ad hoc Bellum pugnamque provocate Lector quid ages: ut cum generosissima Judith Victoriam de te ipso reportes? en imitare illam

ipsam

ipsam, cujus Castitatem admiraris, in hoc capite tibi adeô deprædicatam. Hæc teste S. Scripturâ c. 8. lib. *in superioribus Domûs suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ.* Talia tu quoque arma accipe, & vinces auditurus aliquando in tui laudem, quod dictum est de Judith locô citatô: *viriliter egisti.* Victorque cantabis cum illa Canticum, quod nemo cantabit alius, nisi qui suæ carnis Victor Victorem agnum fuerit secutus. Vives demum cum Populo, qui juxta caput ultimum hujus libri est *jucundus secundùm faciem sanctorum*, diesque *Victoriæ tuæ in numero dierum sanctorum accipietur &c.*

FASCICULUS LIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. lib. Esther, in quo describitur Asveri convivium & Gloria. Vasthi inobedientia & repudiatio.

Considera: GRande illud Convivium, ab Asvero centum & viginti septem Provinciarum Rege institutum, symbolum esse Gloriæ & felicitatis æternæ, quæ ab ipso Christo Domino Convivium vocatur Lucæ 22. v. 30. testante hoc pariter Isaiâ, dum cap. 25. asserit: *& faciet Dominus Exercituum Populis in monte hoc Convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum.* Quidquid in dapibus ex saccaro aut melle confectis dulce est, in ferinis carnibus delectabile, in avibus palato acceptum: imò quidquid tandem sapore suô recreandæ poterit gulæ servire, mensa cœlestis suis hospitibus offerret; quia omnem dulcedinem formaliter vel eminenter in se possessam exhibet ille, qui primarium hujus convivii objectum est *Deus. Torrente Voluptatis potabis eos*, exclamat Michæas, *inebriabuntur ab ubertate Domûs tuæ.* Nulla ergo erit hominis potentia, quæ non spelialî gustu & Voluptate sit perfruitura. Intellectus divi- *N.386.*

no illustratus lumine recreabitur in contemplandis divinæ Essentiæ Perfectionibus, visurus: quomodo Filius à Patre, & ab utroque procedat Spiritus. Visurus Incarnationem verbi & omnia humanæ Redemptionis opera. Visurus media, quæ Dei selegit sapientia in Prædestinatione ad gloriam &c. voluntas delectabitur in perfecta unione, quàm per charitatem assequetur, Deo conjuncta. Memoria absorbebitur ab immenso Divinitatis pelago, omnium ærumnarum oblivionem æternum habitura. Quemadmodùm enim ebrietas non tantùm replet stomachum, sed fumô caput implet, faciens hominem omnium curarum oblivisci, ita gloria cœlestis omnem abigit tristitiam, omnem expellit mœrorem, adeò: ut S. Augustinus testetur: si contingeret, unicam tantummodò guttam Beatitudinis æternæ defluere in damnatorum pœnas, eâ dulcedine perfunderet gehennam, ut nullum restaret ultrà tormenti genus, quod afficeret damnatos. Adeoque evanesceret omnis memoria præteritorum lapsuum, quam damnatis conscientiæ vermis continuò objicit. Evanesceret memoria perditi temporis, neglectæ occasionis, spretæ gratiæ, quæ damnatos longè acerbius ipsô infernali igne excruciat. Hospites cœlestis illius convivii haud secus ac hospites Assveri sedebunt *in lectulis aureis & argenteis super pavimentum smaragdinô & pariô stratum lapide* inexplicabili quiete fruituri, prout ait Richardus à S. Victore p. 2. in Cant. c. 10. *Quæ quies lectulus dicitur, quia ab illa ab omni inquietudine & labore hujus vitæ pausatur, in illa quiete pausant, qui hic pro Deo laborárunt.* Christiane Lector, dum legis ista, tantùm umbraticè descripta, quid agis? tantænè eris dementiæ, ut Reginam Vasthi imiteris, quæ ad splendidissimum Assveri convivium invitata, *venire contempsit* teste S. Scripturâ v. 12. citati cap. hoc si feceris, gustu rerum terrenarum deceptus, *egredietur edictum à facie Regis* æterni, in quo scriptum leges: *nequaquam ultrà Vasthi*, anima videlicet tua, renuens per piam vitam venire ad cœleste convivium, *ingrediatur ad Regem, sed Regnum illius altera, quæ melior est illâ, accipiat.* v. 19. capitis præfati.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. Esther, in quo describitur electio Esther pro repudiata Vasthi, conjuratio à Mardochæo detecta.

Considera: SYnagogam Judæorum, instar Reginæ Vasthi repudium esse passam à Christo, & in locum ejus assumptam speciosam Esther, Ecclesiam videlicet Catholicam, quam summè adamavit secundus iste Assverus, *eique dona largitus est juxta magnificentiam principalem* v. 19. capiti cit. Quin imò non tantùm universa Ecclesia, sed quælibet privata anima, in Dei gratia constituta, instar pulcherrimæ Esther à Sponso Christo diligitur Cantic. 4. dicente: *Soror mea Sponsa &c.* S. Bernardus talium Sponsarum Dignitatem perpendens a. 3. c. 1. ait: Christum non sine speciali Mysterio durissimis clavis voluisse configi in patibulo crucis, ut ostenderet; se ab amplexu animæ, sibi per gratiam sociatæ, nullatenùs sejungi posse; adeoque dolores, quos ibidem Ipsum pati contigerit; haud aliter, quàm meras voluptates æstimâsse. Ut porrò per peccatum semel perditam redimeret animam: licèt id assequi potuisset unicâ guttulâ sanguinis, ingens flumen effuderit, imò exhauserit totum, quod bulliebat in venis. Quis verò non dicet: præ amoris magnitudine illum insanire, qui gemmam perditam unicô redempturus nummô mille ducatos lubens pro ea expenderet? S. Brigitta testatur lib. 7. Revelat. se quondam audivisse à Christo: tanta se ferri dilectione in animas, ut si fieri posset, toties mori cuperet, quot reperire sit animas in Inferno. Propheta Isaias postquam futuram verbi Incarnationem denuntiâsset, quâ mediante Deus hominibus volebat conjungi, ociùs subjunxit cap. 7. *& vocabitur Nomen ejus Emanuel, Butyrum & mel comedet.* Per quæ ultima verba videtur innotescere: mellis & butyri instar dulcissimi à Christo haberi unionem cum animabus hominum. Accedat aliquis puteum civitatis *siccar*, intuens ibi oculîs mentis suæ, quomodo fatigatus & sudore madidus mulieris etiam fœdissimæ adventum cum desiderio grandi exspectet? quantâ industriâ hujus miseræ peccatricis salutem quærat? quot Samaritana adferat excusationes? quot quærat diverticula? ut elabi possit è manibus Domini? qui tamen omnia sibi objecta obstacula perrumpit, & ex cunctis accipit occasionem quærendæ salutis. *N.* 387.

tis. Aquas dum illi negat tanquam Hebræo, Ipse aquam ei porrigit vivam, è fonte gratiæ divinæ fluentem. Liceat mihi hîc cum Magno Gregorio Moral. lib. 28. exclamare: *Quantum nos diligit, qui nos, ne cùm respuitur relinquit.* Quis est ille Salvatoris nostri amor, qui nos etiam fugientes inquirit? qui dona largitur etiam contemnentibus ea, testatus apud Prophetam Isaiam c. 65. *Totâ die expandi manus meas ad populum incredulum & contradicentem, qui graditur viâ non bonâ.* Infinitîs quasi modîs sese transfigurat, ut errantes animas Cœlo reducat. Quare Pastorem induit, ut eas ad gregem reducat. Factus est mercator, ut negotium salutis ante omnia illis procuret. Factus est Medicus, ut vulnera in illis sanet. Factus est Sponsus, ut eas provocet ad suas delicias & voluptates. Factus est Capitaneus, ut ad prælia contra tartareum hostem eas animet, & instruat. Factus est Agnus, ut se æterno Patri pro eorum peccatis sacrificet, ac immolet. Factus est Gallina, ut sub alis ab omni periculô eas custodiat. Factus demum est Assverus alter, ut eas â servitute Dæmonis liberatas æternô conjugiô sibi copulet instar Estheris. Ergo Christiana anima, si per felicem statum gratiæ Assvero huic semel copulata es, Estherem imiteris, observantem exactè, quidquid ei præscripserat Mardochæus v. 20. hujus cap. Mardochæus iste Pater spiritualis aut Parochus tuus est, qui ad *Regis* divini *Januam moratur.* Huic quidquid inordinati appetitus & passiones adversus Sponsum tuum moliuntur, fideliter detege: ut ille media tibi suggerat, queîs adjuta eas supprimas & de suppressis triumphes, ventura ab hoc temporali ad æternum cum Assvero isto conjugium.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. & 4. lib. Esther, in quibus describitur exaltati Aman indignatio in Mardochæum & Judæos. Reginæ Esther à Mardochæo imploratum auxilium.

N. 388. *Considera:* MArdochæum propter negatam Amano venerationem cum tota Hebraica gente ad necem quæsitum in sui defensionem nec se, nec Judæos gladiîs armâsse, vim vî repulsurus: sed teste S. Scripturâ c. 4. v. 1. indutum esse *saccô & sparsisse cinerem super caput.* Parî sanè armaturâ induaris & tu Christiane contra hostem illum, qui juxta S. Scripturæ effatum instar Aman est accusator fratrum

trum nostrorum, accusans eos die ac nocte Apocal. 12. Hanc armaturam tibi suadet Apostolus, dum ait 1. Pet. 1. *Propter quod succincti lumbos.* Sciebat enim, salutem à Davide his armis obtentam esse, dum profitetur Ipse Psal. 4. *Ego autem cùm mihi molesti essent induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam.* Hinc etiam S. Anton. de Pad. Serm. Dom. infrà Octav. Nativit. docet: non reperiri fortius armaturæ genus contra Dæmonum insidias & assultus, quàm pœnitentiæ mortificationisque instrumenta. S. Edmundus continuum habiturus triumphum, & illæsam semper servaturus animam, non tantùm zonâ, sed etiam caligis utebatur cilicinis, ut refert Surius in ejus vita, solo adlæc pane vilique cibo contentus, nec carnes, nec pisces comedit, sitim eò usque tolerans, donec labra dirumperentur. Ad quietem nocturno tempore capiendam, non stragulum nec pulvillum adhibuit: sed propriis tantùm vestibus contextus, considere assueverat, per triginta annos in tali mortificatione perdurans. Beatus Simon Stylita teste Lanzizio opuscul. 2. Viginti maximos ciniphes intra tibialia alebat. *Hoc est nostrum in hac vita*, exclamat Climacus Serm. 13. de verb. Dom. *actiones carnis Spiritu mortificare quotidiè, affligere, minuere, frænare, interimere.* Adhæc, ut de felici successu sis eò certior, per fervidas preces, ad pulcherrimam & divino charissimam Assvero Estherem Mariam, confuge. Fiet haud dubiè: ut illa tui Patronam actura accedat Filium, & osculans *summitatem Virgæ ejus*, audiat ab eo: *quid vis Esther Regina, quæ est petitio tua?* v. 3. cap. citati *etsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* v. 7. ibidem. Hoc consilium exsequenti indubitatam tibi victoriam præsagit Innocent. III. Serm. de Assumpt. dicens: *quia militia est vita hominis super terram: quicunque sentit, se impugnari ab hostibus vel à mundo vel à carne, vel à Diabolo, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut Ipsa per Filium mittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur: quis enim devotè invocavit Eam, & non est exauditus ab ea?* Sicut carnivoræ aves prædas, quas unguibus suis tenent, validò hominum clamore auditò dimittunt: ita Tartarei hostes, dum advertunt, per calidas voces compellari Nomen Mariæ, eamque suo Filio fieri supplicem, quantociùs à tentando desistunt.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 6. & 7. lib. Esther, in quibus describitur Fidelitas Mardochæi, lectîs annalibûs recognita, & inde secutus Honor, Amani verò secuta pœna.

N.389. *Considera:* QUòd Christus Dominus in Judicio finali sit Assverum acturus, jubens sibi afferri annales totius mundi acta & facta exactissimè annotata exhibituros, prout canit Ecclesia: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur &c.* Tunc Justi instar Mardochæi, dum vivebant in terris nil mercedis pro fidelitate assecuti, sed potiùs ad patibula & pœnas damnati, stolâ immortalitatis induentur, & equo divinæ gratiæ insidebunt, vehendi per plateas civitatis illius, quam Joannes vidit in quadro positam, præcedente eos præcone, atque clamante: *hôc honore condignus est, quemcumque Rex honorare voluerit.* v. 11. capitis 6. Econtra Peccatores, mundi honoribûs, deliciîs ac divitiis cum Amano pasti, audient cum illo: *appendite eum in eo*, nempe in patibulo damnationis æternæ v. 9. capitis 7. & hæc Ipsa sententia æquivalet illi, quam divinus Ille Assverus Judex Christus Scripturâ teste proferet, dicturus ad reprobos: *discedite à me maledicti &c.* cap. 24. Matth. ò Christiane! perpende; quantâ eô tempore lætitiâ sint perfundendi fideles Mardochæi, quantâ verò confusione horrore & tristitiâ afficiendi arrogantes Amani. S. Vinc. Ferrerius narrat de quodam juvene, lusibûs, impuris amoribus & blasphemiis dedito: quòd noctu quâdam somniaverit: se tractum esse ad Dei Judicium, ubi objecta ei sit species Christi, Virginis Mariæ & Sanctorum, productis etiam ad Judicium pluribûs animabûs, quas singulas interrogarit Judex: *quid feciſti pro me?* cumque cerneret alias vocari ad gloriam, alias verò abjici ad pœnam, juvenis extremâ confusione & horrore perculsus exclamârit: *ò miserum me! quid respondebo quærenti ex me: quia nihil est, quod egerim boni?* posthæc illicò vocatus à tremendo Judice, audiit ab illo: *quis es tu? redde rationem vitæ tuæ?* hôc ipsô momentô excitatus è somno præ nimio horrore totus incanuisse visus est. Quid quæso eveniet illis, qui talia non tantùm cum juvene somniant, sed ipsô factô experientur? quare ò Christiane Lector! ne & tu aliquando tantam confusionem tantumque horrorem

coga-

cogaris perpeti, vive nunc Mardochæô in timore Dei, *stans cum illo ante fores*, ut non ingrediaris Aulam mundanæ vitæ.

FASCICULUS LX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 8. & 9. lib. Esther, in quibus describitur: quomodo sententia contra Judæos lata per preces Estheris revocata, Mardochæus exaltatus.

Considera: VIrgineam Dei Matrem erga clientes suos in particulari judicio talem agere Patronam, qualem pro Judæis Esther egisse legitur. Jacet illa ante pedes cœlestis Assveri, & pro eorum salute sollicita exclamat: *quomodo enim potero sustinere necem & interfectionem Populi mei?* v. 6. citati cap. 8. Naturalistæ memorant; pavonem masculum esse infensum pullis, eò quòd fœdam & luteô colore tinctam ferre soleant speciem, colori parentum longè difformem. Quare tanquam abortivos reputans pater, eos ad necem quærat: hoc ergo periculum pullis suis imminens mater advertat, & eos sub alis abscondens morti subtrahat. Haud aliter Judex æternus peccatores velut filios abortivos persequitur, quærens eos ad necem æternam, utpote affectos deterrimô peccatorum colore: sed adest ociùs patrocinii sui alis Virgo Mater, & precum suarum præpotentî auxiliô eos jam parato subtrahit exitio. Hinc poterunt devoti Mariæ Clientes cum Davide testari Psal. 36. *In die malorum protexit me in abscondito Tabernaculi sui.* Maria Tabernaculum meritò vocatur, sub quo non tantùm Divinitas & humanitas Christi olim recondita morabatur, sed etiamnùm absconditi morantur peccatores, ut effugiant tremendi Judicis iram. Confirmat hoc Isaias, dum ait: *in die malorum super omnem gloriam protectio & Tabernaculum erit in umbraculi ab æstu, & in securitate, & in absconsione, à turbine & à pluvia.* Optimè igitur: N. 390.

igitur accinit Poëta Christianus: *Fulmina si metuas, Christi venerare parentem, opposita matris fulmina nulla cadent.* Quærit nonnullus: cur Salvator in cruce moriturus, propiùs sibi adstare passus sit Matrem Virgineam? forsan id ea de causa factum: ut sicut una mulier arborem circumstans, mortem Mundo pepererit, sic alia arbori pariter vicina pareret nobis vitam? est non diffiteor conceptus notatu dignus: sed alium proposito nostro magis accommodum affert Belbertus lib. 9. p. 2. a. 3. asserens: Mariam ideò tam vicinam exstitisse Crucifixo, ut sic copiam haberet clientes suos (etsi peccatores) majori efficaciâ eidem commendandi, verba citati authoris sunt: *ut quando justò Judiciò ira Dei in nos ad puniendum, & damnandum deberet excandescere, Ipsa Dei piissima Mater memor loci & temporis & charitatis Christi in cruce exhibitæ, pro nobis affectuosiùs interpellandò mediaret.* Gravissimam à germano suo persecutionem perpessus Jacob, etiam spem obtinendæ Primogenituræ, solutò pretio jam jam sui juris factæ, videbatur amisisse: sed hem! partes filii sui strenuè actura mater illum tegit hædorum pelliculis, præparat cibum, & ob maledictionis paternæ timorem propiùs accedere recusantem animat, dicens: *in me sit ista maledictio fili mi.* Genes. 27. Sed nunquid Maria non altera Rebecca est? dum peccatorem, licèt fœdis hædorum pellibus vestitum, ad paternam Benedictionem à Christo recipiendam introducit, metuentem animans dicendò: *in me sit ista maledictio fili mi: tantùm audi vocem meam.* Evenit inde: ut piò æstu mitigatus Judex, maledictionis locò decernat: *det tibi Deus de rore Cœli &c.* talique benedictione affectus Mariæ cliens instar Mardochæi *fulgebit vestibus regiis, hyacinthinis & crinis, coronam auream portans in capite, & amictus sericò palliò atque purpureò.* v. 15. cap. citati.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 10. 11. & 12. lib. Esther, in quibus describitur Mardochæi somnium de fonte. Regis gratitudo propter manifestatas insidias &c.

N. 391. *Considera:* MIrabile Mardochæi somnium, v. 6. cap. 10. descriptum. Viderat ille objectum sibi parvulum fontem, qui creverat in fluvium, inde in lucem & solem conversus. Præfigurabat hæc mira species ipsas res, quas palàm postea fecerat eventus. Per Mardochæi enim exaltationem & Amani depressionem sol felicitatis Hebrai-

braicæ prodibat ex aquis tribulationum, quibûs diu fuerat immersus. Ita sanè divinâ agitur Providentiâ: ex mœrore lætitiam, ex humilitate gloriam nasci. Notissimum est illud Problema, quod Philistæorum Domitor Samson proposuit solvendum, Judicum 14. asserens: *de comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Reperit nempe in faucibus leonis à se occisi examen apum. Leo iste adversitas est, contra hominem assurgens: hanc, qui fortî constantique animô tulerit, discerpit leonem, mel inde solatii & gaudii extrahens. S. Antonius de de Padua illum textum Deuteronomii 33. *inundationes maris quasi lac sugent*, explicans ait: *ò quàm dulcis amaritudo! quàm levis tribulatio! quàm Electi sustinent pro Christi nomine.* Hinc lapides Stephano fuêre dulces, craticula Laurentio frigida, sagittæ Sebastiano molles, & Agathæ ipsi ignes instar roris exstitêre. Experientia probat: arbores quô altius ramos suos erigunt, eò pauciores ferre fructus: quò autem profundiùs terram contingunt, eò pluribûs abundare. Sunt homines arborum instar, quô igitur mundanîs favoribus perfruuntur magìs, eò minùs de solidîs cœli deliciis participant. At quô ab adversante fortunâ & corporum doloribûs fuerint magìs depressi, eò majori in numero & pondere favores sentiunt Dei, quod ipsum clarîs probat verbîs Petrus Bless. Epist. 142. scribens: *dejicit Deus, ut erigat, vulnerat, ut sanet.* Hoc præter Mardochæum & innumeros alios docet suô exemplô Josephus Ægyptiacus, qui pro diuturno carcere Aulam regalem, pro compedibus auream catenam, pro sordido habitu stolam byssinam, pro despectu supremum gloriæ apicem obtinuit. ò Christiane! si adversitates à nobis patienter sublatæ, in hac etiamnum vita tanta parturiunt commoda, quid præstabunt in altera, in qua est proprius mercedi locus? si ergo sentias: te amarô tribulationis fonte cum Mardochæo & Judæis obrui, cogita: eum in lucem solemque felicitatis, si non in hoc saltem in altero sæculo certò certiùs esse mutandum, ubi fidelitas tua cum Mardochæo æternam habebit mercedem.

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus lib. Esther, in quibus describitur luctus Esther ob Judæorum imminens periculum, ejus deprecatio. Introitus ad Regem.

Considera: QUòd Esther cœlestem placatura Regem, regias vestes & superbum mundi ornatum exuerit: fletibus & luctibûs *N.* 392.

bûs apta indumenta suscipiens. v. 2. capit. 14. Regem vero terrestrem placatura, circumdata sit gloriâ v. 5. capitis 15. ô stupendam fœminæ prudentiam! quæ utriusque Regis dispari genio tam dextrè se accommodat. Noverat illa: apud Magnates sæculi odio haberi, quidquid humilitatem sapit, esse veneration i, quidquid redolet Pompam & Fastum. Econtra gratius nil fore Deo, quàm quod humilitatem & abjectionem spirat. *Tantò*, ait Mag. ille Greg. Moral. lib. 18. c. 20. *unaquæque anima fit prætiosior ante oculos Dei, quantò præ amore virtutis despectior fuerit.* Eâdem horâ, quâ Unigenitus Dei Filius instar peccatoris baptizari voluit à Joanne, paterna vox de cœlo audita est Matth. 3. dicens: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Intellexit David: virum se esse juxta cor Dei: at unde hoc præconium promeruit, nisi ex profundissima abjectione sui, quâ permotus: nunc se canem mortuum, nunc vermem, nunc opprobrium hominum & abjectionem plebis vocavit? nunquam tam gratiosâ manu attractus venisset ad Jesum Petrus, nisi descendisset de navicula. Nunquam Zachæus hospitem habuisset Christum: nisi festinus de arbore se demisisset. Sicut de fonte nemo recreabitur sapidô potu, nisi qui inclinaverit se: ita de aquis divinarum gratiarum nemo hauriet salutis haustum, qui per humilitatem sese non demiserit ab alto. Purpura piscis ascendit ad regale ornamentum; illa tamen nonnisi in profundo salsi maris quæri debet. Quare ô Christiane! pro peccatis tuis Deum cum Esther placaturus, & redditurus propitium, omnem tam corporis, quàm animi fastum superbiamque depone. Tibi displiceas, ut Deo soli placeas. Quô plus de quantitate continua materiæ alicujus demitur, tantò magis quantitas accrescit discreta: ita quantò plus tibi per humilitatem abstuleris de æstimatione tui, tantò plus augebitur in te gratia Dei, ejusque beneplacitum. Nec tuam solummodò salvabis animam, si eam Cœlô & Deô indignam condemnabis: sed cum humillima Esther plurium quoque procurabis salutem; cùm econtra tuum tuorumque subires exitium, si arrogantiæ & superbiæ locum dares, Amanum imitans, qui è furca suspensus, familiam quoque suam traxit in mortem. Monitis ergò Eccles. morem habe, quibûs te c. 11. erudit, dicens: *in die honoris tui, ne extollaris.*

FASCI-

FASCICULUS LXI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. lib. Job, in quo describitur Laus Jobi, Proles & divitiæ, afflictio per Sathan, & invicta viri hujus Patientia.

Notet benevolus Lector: tam ex hoc, quam ex sequentibus libris Prophetarum tantùm ea capita servire nostro Proposito, quæ historica sunt; cæterîs ergò non attactîs, occupamur in istis solis.

Considera: QUòd licèt Job maximîs floruerit divitiîs, liberorum copiâ, famulorum turbâ, & inhabitârit terram, à pessimis Idololatris corruptam: eò tamen Sanctitatis pervenerit: ut S. Scripura illum laudibûs efferat nonnisi summis, dicens vers. 1. citat cap. *Et erat vir Ille simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo.* Concludes inde: nec statum sæcularem, nec locum, nec profana Negotia obstare virtutis exercitio & sanctitati. Regius Propheta licèt ad audiendas subditorum causas sederet sæpè pro Tribunali, & hostium audaciam fracturus staret frequens in acie inter clangores Tubarum atque armorum strepitus; virum tamen egit Deo devotissimum, & quis nescit: plurimos vixisse Sanctos in perversissima Neronis Aula? scribit siquidem Apostolus Philipp. 4. *Salutant vos omnes Sancti, maximè qui de Domo Cæsaris sunt.* Quis nescit: Sebastianum in exercitu Diocletiani primariô functum officiô, fidelissimum egisse servum Dei? S. Franciscа Romana Regimen domûs suæ, & totius Familiæ curam summæ pietati conjunxit, & S. Philippus Nerius, etsi sexaginta annorum spatiô in populosissima moraretur Roma, nunquam à Principum & Cardinalium accessu liber, supremum tamen perfectionis apicem attigit, gloriam in conversatione gentis suæ adeptus. Est quidem Principium apud Ascetas celebre: Cellam à cœlo denominatam, locum esse, ad exercendam in virtute animam aptissimum, & hominem, quô remotiùs à negotiis recesserit profa- N. 393.

profanis, eô propinquiorem fieri Deo & rebus divinis. Verùm non tam generalis regulæ rigorem habet istthoc Principium, ut non patiatur aliquam exceptionem. Rem declarat S. Greg. M. qui, ut animaret Christianos, ad sæcularem statum vocatos, eos ita alloquitur: *sæpè mutare locum conamur, & secretum vitæ remotioris eligere nescientes: quia si desit Spiritus non adjuvat locus.* Quis enim Sanctior locus Cœlô exstitit? & tamen novimus, Angelos in eo turpissimè lapsos esse. Fuerit Paradisus terrestris locus Innocentiæ & Justitiæ Originalis, fuerint Protoparentes Adam & Eva ibidem positi ad solius virtutis exercitium, enormiter tamen corruêre, à serpente decepti. Fuerit Collegium Apostolicum Perfectionis Christianæ Schola sanctificata ipsius Christi præsentiâ, Judam tamen habuit proditorem. Ipse etiam Loth non paucô tempore sobrius & continens vixerat Sodomîs, in solitudine verò locum dedit ebrietati & incontinentiæ. Quare ò Christiane! in mundo vivens, & sæcularibûs negotiis occupatus, noli impietatis tuæ culpam, aut loco aut negotiis imputare, potuêre tantum Sanctitatis fastigium assequi in mundo, & inter mundana versati homines, quos paulò ante, aliis silentio involutîs retuli: cur non & tu, si conatus non desit?

Cæterum dum in hoc capite legis: Sanctissimum Job tot cladibûs & jacturîs permittente Deô venatum exclamâsse: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est &c.* dum inquam hæc verba legis, summæ patientiæ testes, cogita: hominem sæcularem tunc sanctè victurum, quando mente suâ tam parùm rebus terrenis affigitur, ut perditîs illîs in paria cum Jobo erumpat verba, corde & ore prolata: talis enim sic utitur mundô, quasi non utatur, agens cœlestem in terris vitam, vicinior Angelis, quàm hominibus.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. lib. Job, in quo describitur sævitia Dæmonis in Jobi corpus exercita, dum ulcere pessimo eum percussit.

N. 394. *Considera:* QUòd Diabolus Jobi ruinam totô pectore anhelans, dum corpori violentas manus cæperit inferre, ei plùs profuerit, quàm nocuerit: nam illud debilitando, mentem corroboravit. Apostolus incestuosum hominem sanaturus 1. Corinth. 5. ait;

ait: *judicavi tradere hujusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* Eòdem modô curari voluit Hymenæum & Alexandrum 1. Timoth. 1. quos Sathanæ potestati ad tempus cruciandos dedit, ut inde discant, blasphemas frænare linguas. *Cogitur*, ait S. Ambros. in Psal. 43. *Sanctos Domini ad suum damnum tentare: dum enim tentat, meliores facit; ut qui tentatur, possit alios instruere, qui sibi ipsi invalidus videbatur.* S. Chrysost. Dæmones torquendis hominum corporibus occupatos comparat venenatæ viperæ, quam artifices Medici ita attemperare sciunt, ut ex veneno theriacum, ex toxico antidotum eliciant. Ergò Christiane Lector, etsi multa in corpore tuo patiens tibi imagineris: traditum esse Dæmoni facultatem, ut pro libitu suo tecum agat ceù cum altero Job, planè non est divinæ in te iræ, sed potiùs amoris indicium; sic enim Chyrurgum Diabolus agere permittitur, qui urat, secet, tollatque noxium animæ tuæ. Tunc primùm timendus est aggressor iste, quando corpore in continua sanitate relictô, insidias molitur animæ. Hinc cùm Christus Dominus Lucæ 10. cerneret discipulos suos nonnihil superbire, quòd Dæmones habere viderentur suis linguis subditos, ut ociùs eorum saluti consuleret, intexuit: *videbam Sathanam tanquam fulgur de Cœlo cadentem.* Dicturus per hoc: ò Chariſſimi: magnum vobis imminet à Dæmone damnum, quia illum vidi instar fulguris è Cœlo cadere. Verùm Magister optimè! edisseras: cur discipuli plus damni timeant à Diabolo, sub specie fulguris de Cœlo cadente, quàm si cecidisset abinde sub specie teli, hastæ, aut Saxeæ molis? ad solvendum hoc dubium nôsse oportet: eam esse fulguris naturam testibûs Philosophîs, ut in fortiora fortiùs operans consueverit: illæsâ quandoque Vaginâ gladium consumere, in ea reconditum, confectum ex calibe etiam durissima. Dum ergô fulguri hîc Christus comparat cadentem de Cœlo Dæmonem, insinuare videtur: quòd Discipulorum animabus, tanquam corpore longè fortioribus, gravissimum immineat damnum. Quando Jacob reversus in patriam obvium se habere fratrem Esau intellexit, numeroso milite & armîs instructum, familiam suam illicò in plures divisit partes eô ordine; ut poneret in fronte servos Balam & Zelpha, agmen verò clauderet dilectissima Rachel. Erat ordo iste magnæ solicitudinis signum: dum charissimam sui partem salvaturus, eo in loco illam subsistere jussit, quô foret tutissima à nece. O quam longè diverso incedimus ordine nos Christiani contra tartareum Esau, qui

primô omnium locô ei objicimus dominantem animam, ut ancillare corpus servetur illæsum. Amentia sanè sanguineîs deflenda lacrymîs! *Ah! nihil durius exclamat* Salvianus lib. 3. ad Eccles. *vobis dici potest. Nihil tam ferum, nihil tam impium! à quibus impetrari non potest, ut vos ipsos ametis. Quis furor est, viles à vobis haberi animas, quas etiam Diabolus putat esse pretiosas? si in damnationem incideritis, quis tantæ potestatis & clementiæ erit, ut inde vos eripiat?* Absolom durô exiliô mutatus Joabum invenit, qui ei reditum impetravit 2. Reg. 14. Joseph carceri mancipatus, per ministrum Pharaonis libertatem obtinuit, Genes. 41. Repererunt alii alios Salvatores: sed qui descendit ad Inferos, non revertetur ultrà in domum suam testante Job. c. 7. etiamsi mille amici venerint, ut liberent ejus perditam animam, desudabunt incassô labore instar amicorum Job, nil opis afflicto ferre valentium. Quare omnia si perdas cum Jobo, animam cum illo servare memento: hâc semel amissâ postea nullus eris.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 42. quod aliquid historicum continet, & in quo describitur Jobi restitutio in priorem, imò ditiorem statum, dum omnia duplicia recepit.

N. 395. *Considera:* QUòd cùm Job superatîs omnibûs ærumnîs pristino jam esset redditus statui, venerint ad eum Scripturâ teste v. 11. capitis cit. *omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti, qui eum noverant priùs: ut comederent cum eo panem, & consolati sunt eum.* Quid autem tunc temporis opus habuerat consolatione Job, quando tota jam desierat plaga? nonne applausu magìs, quàm solamine occurrendum est viro, ad summum felicitatis apicem iterum evecto, in quo imposterùm ducere valeat dies nonnisi aureos, nullîs tribulationum nubibûs obfuscandos? verùm si solidam Jobi Sanctitatem exactiùs contemplamur, fateri cogimur: nos dubiæ rei causam non dubiam invenisse; constat enim viri Sancti Crucem maximam esse, sine cruce vivere. Hinc Job videbatur eo magìs consolatione egens, quô magis abundaverat felicitate terrenâ, quam noverat maximum esse obstaculum illis, qui nil nisi felicitatem quærunt perrennem. *Sancti viri*, ait M. Greg. Moral. lib. 5. c. 1. *Cùm sibi suppetere prospera*

hujus

hujus Mundi conspiciunt, pavidâ suspicione turbantur. Timent enim, ne hîc laborum suorum fructus recipiant: timent, ne quod divina Justitia latens in eis vulnus aspiciat, & exterioribûs eos muneribûs cumulans ab intimis repellat. Abraham insignî Victoriâ contra quatuor Reges obtentâ, videbatur magnum prosperitatis terrenæ ascendisse gradum, fortunam adeò sibi faventem expertus: sed hoc ipsum plus timoris, quàm gaudii viro justissimo attulit. Metuebat enim teste Lyranô: ne per illam accepisset mercedem Justitiæ à Domino, non recepturus præmium æternum. Ne verò diutiùs torqueretur talî timore: hinc audiit se consolantem Deum, v. 1. c. 15. Genes. dicentem: *noli metuere Abraham: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Fugitivus Sisara, à Jahele per humaniter exceptus, videbatur sibi, in naufragio invenisse portum, in fuga asylum, in periculo refugium. Cùm sitiret aquam, refectus est lacte: cùm quæreret requiem, lectum mollissimum sibi oblatum habuit, potuisset ergò de sua meritò gaudere fortuna: sed hoc omnia casses erant, quibûs Dæmon latenter usus, eum morti, & orco litavit. Quare Christiane Lector, noli terrenæ felicitati nimiô appetitu inhærere, nì malis, te periculo exponere perdendi æternam. Etiam juxta monitum Petri Dam. Epist. 6. *noli hujus vitæ felicitatem hominibus invidere: sed dole; imò, quia ipsi non dolent, potiùs ingemisce. Qui nimirùm velut bruta animalia ad macellum edendô properant, ad gladium lasciviendô festinant.* Et si hucusque inter adversa murmurâsti, dic cum Jobo facti pœnitens v. 6. capitis cit. *insipienter locutus sum, idcircò ago pœnitentiam in favilla & cilicio.*

Mirandum est porrò: quòd quilibet amicorum, qui venerant eum consolaturi, obtulerint *inaurem unam & ovem.* Quæ enim inter hæc duo munera datur proportio? Mysterium hoc ingeniosô & doctrinalî calamô explicans S. Greg. lib. 15. Moral. c. 10. ait: *cùm ove inauris offertur: quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur testante Dominô, qui ait: oves vocem meam audiunt &c. Beato igitur Job nemo inaurem sine ove, nemo ovem sine inaure obtulit, qui Redemptori suo non obedit, qui innocens non est. Et quis innocens esse potest, qui obedire contemnit?* Te quoque Christiane Lector ovem Christi proba, aurem præbendô ejus monitis, quibus te cum innumeris hortatur per Joannem Apostolum dicentem: *nolite diligere mundum*, quærendô prospera, aut inordinatè de obtentis gaudendô. Id facturus audies aliquando promissam ovibus Christi sententiam: *venite benedicti &c.*

FASCICULUS LXII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 6. Prophetæ Isaiæ, in quo describitur: quomodo ille in Prophetam assumptus, & ad excæcandum Populum missus, suam contestetur ineptiam.

N. 396. *Considera*: ISaiam maximæ Sanctitatis Virum, à tot divinis revelationibus celeberrimum testari de se v. 5. citati cap. *quia vir pollutus labiis ego sum.* Quæso: quid tam eximiâ Sanctitate prædíti hominis labia poterat facere polluta? nunquid ullum verbum, carnis Spurcitias & Venerem redodolens, unquam legitur protulisse? nunquid alienam famam aliquando denigrâsse, aut in blasphemias erupisse auditus est? quæstioni dubiæ occurrens Procopius, eam subtilî responsô solvit, asserens: *fortâsse verò & humanæ naturæ morbum confitetur, quem David insinuat, cùm ait: ego dixi in excessu meo omnis homo mendax: est enim mendacium in hominibus naturalis quidam morbus, quantumvis sit à nonnullis evitatus.* Christiane Lector, si mendacium radicale tantùm & nondùm actuale (ut sic loquar) os & linguam viri etiam sanctissimi ita commaculâsse visum; quantâ fœditate & maculîs te afficiet mendacium actuale, tam sæpè à te repetitum? quomodo indignum te reddet divinô alloquiô? sunt hèrcle mendaces illi homines, de quibus asserit Joannes Apocal. 21. v. ult. *non intrabit in illam* (puta cœlestem Jerosolymam) *aliquid coinquinatum, abominationem faciens &c.* S. Chrisost. mendaces leprosis assimilat, quos Deus ab ingressu & accessu Templi præscripsit: ut enim lepra carnem exteriùs putridam, interiùs verò sanam turpissimè variat, ita mendaces in verbis externis suam deferunt malitiam, dum interiùs pulchram Veritatem in mente fovent. Nec etiam ineptè dicuntur similes hominibus, monetam adulterantibus, quos constat, Deo & mundo esse exosos. *Opprobrium nequam in homine mendacium.* ait Eccles. 20, cap. Nec mirum: quia regius vates os mendaciis assuetum vocat *sepulchrum patens* Psal. 130. Hujus loci pessimum

fœto-

fætorem Trajanus adeò habuit exosum, ut teste Pædagogo Christ. p. 1. c. 5. §. 7. homines de mendacio convictos in navem sine velo & remis detrudi altoque marî committi jusserit. Artaxerxes tantâ nauseâ mendacium audiit, ut militi illud loquenti linguam extraxerit, tribûs clavîs postea transfixam. Franci & Suevi teste Fabrô mendacii tam jurati exstitêre hostes, ut subditis suis vitio illi assuetis canem imposuerint impudentiæ symbolum, quem in summum sui probrum circumferre cogebantur. Taceo pœnas illas, quibus prima Veritas Deus exsecrandum mendacii vitium impetiit. Quem enim latet: Ananiam & Saphiram ob mendacium leve & nemini pernitiosum repentinâ morte punitos? quis ignorat: Dæmonem sub serpentis specie protoparentibus nostris mentitum, maledictionem divinam, hîs verbîs expressam: *super pectus tuum gradieris*, in caput suum provocâsse? Christus Dominus licèt omnis generis peccatores legatur ad frugem reduxisse, nullum tamen ex mendacibus hâc gratiâ dignum duxit. Quid plura? nihil Deo, nihil homini adeò abominabile, quam audire mendacia? econtra nil gratiùs, nil acceptius veritate, quæ ad S. Bernardo *bonum lilium*, *candore conspicuum*, *odore præcipuum vocatur*. S. Joannes Apocal. 14. testatur: objectam sibi esse magnam cohortem, quæ agnum secuta videbatur cæteros omnes præire Sanctos, utpote Christo Domino proximè conjuncta. Sed dicito divine Præco: fuit nè cohors ista constans ex glorioſis Martyribus, qui Victorioſô certamine triumphârunt de Tyrannis? aut fuêre tales, qui longâ inediâ, ciliciîs & flagellîs in corpora sua sævientes, Cœlum promeruêre? reponit Joannes, tales exstitisse, *in quorum ore non est inventum mendacium &c.* Christus, qui est *veritas* & *via*, ut monstraret viam breviorem, ad cœleste Palatium hominem ducturam, ait: *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Verùm quæret non nemo, in quo fundentur hæc ipsa mandata & lex divina, homini observanda, volenti vitam securô pede ingredi? reponet vates regius Psal. 118. & *lex tua veritas.* Quæ verba expendens S. Ambros. dicit: *apud eum Veritas lex est, fallacia prævaricatio.* Igitur Christiane Lector, æternam Veritatem facie ad faciem aliquando visurus, Veritati ante omnia stude. Et licèt à depravata natura inditum tibi sit mendacii vitium, seriò tamen illud vitare volenti, aderit cœlestis Seraphin, qui calculô ignitò os tuum tanget, *& auferetur iniquitas*, *& peccatum tuum mundabitur.* v. 8. capitis cit.

Doctrina 2.

Desumpta ex capite 14. lib. Isaiæ, in quo describitur ruina Luciferi superbientis.

N.397. *Considera:* ADmirabilem illam Antithesin, quæ Luciferum inter & Christum reperitur. Lucifer teste Isaiâ v. 13. hujus cap. ad summum Gloriæ verticem perventurus exclamat: *in Cœlum conscendam, super astra exaltabo solium meum &c.* Christus econtra gemit ore Davidicô: *vita mea Inferno appropinquavit, æstimatus sum cum descendentibus in lacum.* Lucifer glotiabatur versu eôdem hujus cap. *sedebo in Monte Testamenti.* De Christo autem in Symbolo Apost. legitur: *descendit ad inferos.* Lucifer hîc æqualitatem cum Deo appetens v. 15. ait: *similis ero altissimo.* De Christo Philip. 2. testatur Apostolus: *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitrabatur, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens &c.* Hanc verò antithesin unius ascensu & alterius descensu mirâ metamorphosi transiisse constat. De Lucifero enim memorat Isaias v. 16. citati cap. *Veruntamen ad Infernum detraheris in profundum laci.* De Christo Apostolicum profitetur Symbolum: *ascendit ad Cœlos, sedet ad Dextram patris.* Ex quo colliges Christiane: nullum certius profundissimi descensûs, æternæ videlicet Reprobationis dari signum ascensu & superbiâ: altissimi verò ascensûs & Electionis ad gloriam indicium manifestum esse humilitatem & descensum. Quare Sathanas in certam Christi prædestinatorum omnium primi deventurus notitiam, statuit eum super pinnaculum Templi, dicens: *si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Pari de causâ regius Vates canit de viro electo: *ascensiones disposuit in valle lacrymarum,* per quæ indicat: Electum per humilitatem ad infima dejectum meditari ad superna Ascensum. Mellifluus Doctor oculos mentis suæ conjiciens in Thesauros, quos humilitas colligit, & reponit in summo Cœlitum ærario, sermone de Nativit. Virg. asserit: *quid humilitate ditius, quid pretiosius invenitur? Regnum Cœlorum emitur, & divinâ gratiâ acquiritur, sicut scriptum est: beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum &c.* Apostolus de gloria corporis nostri, per Resurrexionem obtinenda discurrens, ait Philipp. 3. *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ubi bene advertit mox citatus Doctor: Apostolum non dixisse; reformabit corpus

pus noſtrum, ſed corpus humilitatis noſtræ, per quæ inſinuâſſe videatur: quòd illa ſolum corpora cœleſtibûs ſint illuſtranda & reformanda Dotibûs, quorum animæ, dum erant corporibus in hac mortali vita conjunctæ, ſeſe in actibus humilitatis exercuêre. Virgines fatuæ etſi illibatum ſervâſſent Virginitatis lilium, non poterant tamen cœleſtes Nuptias frequentare Matth. 25. Repulſam paſſæ per hæc Verba: *neſcio vos.* Cauſam repulſæ hujus ſi quæras? eandem deteget S. Evangelium dicendô: *clauſa eſt janua.* Cùm enim nullô præviſæ oleô irent, ut emerent illud, venit ſponſus, intrat cum hoſpitibus, clauditur janua, ſerò venientibus non recluditur. Oleum autem, cujus defectu laboraverant infelices illæ Virgines, à Nuptiis cœleſtibus excluſæ eſt teſte S. Ambroſ. in Pſal. 118. *Humilitas.* Quare Chriſtiane Lector, cum ſapienti quinque Virginum turba ad æternas aliquando Nuptias admittendus, oleum humilitatis tibi magna compares in copia. Mitte te deorſum, ut aſcendas ſurſum inſtar aquæ ſalientis invitam æternam. Vidit Apocalypticus Joannes c. 4. ſeniores in Cœlo, qui coronas ſuas depoſuêre ante faciem Agni, tu hos imiteris in terra: ſi quam vanæ æſtimationis coronam in capite defers, eam quantociùs depone, ut coronam cœleſtis gloriæ accipias. Projice te per ſummam abjectionem in tui nihili memoriam, ut eleveris ad viſionem claram Entis ſummi & æterni.

Doctrina 3.

Deſumpta ex cap. 1. Prophetæ Jeremiæ, in quo deſcribitur mira Viſio Jeremiæ, intuentis Virgam Vigilantem & ollam ſuccenſam.

Conſidera 1. SI per *Virgam Vigilantem*, ab Jeremia viſam, denotentur ſupplicia, immediatè à Deo in hominem ferenda; ut explicant SS. Interpres: econtra per *ollam ſuccenſam*, Prophetæ pariter objectam, intelligantur mala, homini ab homine inferenda, tunc nobis ingens detegi diſcrimen inter iram vindictamque Dei & hominis. Virga enim cùm naturalem ſitum in arbore ſortiatur, frondes floresquè faciens; ut illa ad verberandum deſerviat, non absque Violentia ab arbore abſtrahi, & abripi debet. Ignis econtra, ex natura ſua ordinatus eſt ad conſumendum, ignisque eſſe deſinit, ſi ei ſubtrahitur, quod conſumat. Ita ſanè violentiam inſtar Virgæ patitur *N.* 398.

patitur Deus impassibilis, quando ad irascendū nostris criminibus, & ad ea castigandum accingitur: atque hinc regius Vates virgam Dei non Virgam Vindictæ, sed Virgam directionis Psal. 44. vocat. Gravissimè peccaverant protoparentes nostri, divinum transgrediendô Præceptum, & unius vetiti pomi morsu totam posterorum felicitatem degulandô, inde promeriti, instar rebellium Angelorum ociùs à divina facie abjici in tenebras exteriores, ubi fletus & stridor dentium. Sed ò lentam Dei vindictam, & quasi vî attractam! ingressus Paradisum Deus sollicitè quærit: *Adam ubi es?* ut protoparens peccator admonitus delicti, de eo conciperet dolorem, & delendô arceret à se vindictam. *O ineffabilis Misericordia!* dicam meritò cum Thoma Kemp. Conc. 1. de Incarnat. *Quæ supra id, quod cogitari potest, declarata est: nam nescientes te sollicitè quæsisti, deserentes te non deseruisti &c.* Sicut solis radii etiam per rimas clausæ januæ sese intromittunt, ut obscurum illuminent cubile: ita Clementia & Bonitas Dei peccatorum corda quasi vî ingreditur, ut per gratiam excitantem eos illuminet, & ad obtinendam veniam disponat. Teste Rosvveidô lib. 5. Eremita quidam gravissimè tentatus mundum desertâ cellâ repetiit, ubi tam impurô ardore & amore vehementi in filiam cujusdam Sacrificuli à se visam cæperat inflammari, ut sine illius commercio non victurus, eam sibi à patre in Sponsam & uxorem dari importunîs urgeret precibûs. Pater hac super re Idolum suum consulens, responsô tulit: non aliter consentiret in has Nuptias, quam appositâ conditione hâc, ut Eremita Deo suo & Sacris omnibus renuntiaret. Quod illicò præstitit amore excæcatus leno. Rediens deinde ad Idolum Sacrificulus denuntiat: petita in opus esse jam redacta. Sed audiit à Dæmone: filiam in uxorem Eremitæ concedi nondum posse; etsi enim ipse renuntiâsset Deo, Deum tamen Eremitæ nondum renuntiâsse. Quis stupendum isthoc divinæ Misericordiæ Prodigium perpendens, non moveatur ad summum ejus præconium? & licèt non tantùm instar ollæ succensæ, sed etiam instar Ethnæ ardentis flammâ vindictæ erga inimicos suos flagraret, non moveatur ad veniam iîsdem dandam?

Interim tamen ne tam admirandam, & summîs laudibus efferendam Misericordiam considerans peccator, rigorem divinæ Justitiæ à sua mente penitùs excludat, nova semper veteribus accumulans peccata: hinc audiat S. Maximini documentum, qui in tradit. Symb. ait: *hæc remissio non te ad peccatum nutrit, sed admonet, ut peccare jam*

jam metuas, qui intelligis: te sine venia non posse salvari, bonitas enim Dei indulgentiæ suæ munere nos non armat ad culpam, sed abluit ad gloriam. Insigne nobis exemplum exhibet Salvator in muliere adultera, quæ ab illo gratiosam audiens sententiam: *nec Ego te condemnabo.* Pariter audiit: *deinceps jam noli peccare*, Maria Virgo in suo cantico Lucæ 1. divinam exaltans misericordiam, immediate subnectit: *timentibus eum.* Sponsa Sponsi sui clementiam experta, ut doceat: quomodo eâ peccator uti debeat, ut non abutetur, asserit: *lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos? exspoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illa?* Christiane Lector milliès divinam Misericordiam experte, id ipsum dixeris: ne virga directionis tibi mutetur in virgam vîndictæ, quæ in ollam succensam infernalium pœnarum te deturbet.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 38. *Prophetæ Jeremiæ, in quo describitur Jeremiam missum esse in lacum, sed inde extractum ab Abdemelech.*

Considera: JEremiam in lacum permittente Sedeciâ missum, figuram esse animæ Christianæ, quæ per mortem è corpore soluta, dum ante Tribunal cœlestis Sedeciæ comparet, à residuis peccatorum maculis nondum satìs purgata, mittitur in lacum temporalium pœnarum, quarum vim tremendîs explicat Verbis Cyrillus Jerosoly. in epist. ad S. August. scribens: *si omnes, quæ in mundo sunt pœnæ, tormenta & afflictiones minori, quæ illic in purgatorio habetur, pœnæ comparentur, velut solatia erunt: malet enim quilibet viventium, si illas experientiâ nosceret pœnas, usque in finem hujus Mundi, omnibûs his simul sine medio cruciari pœnîs, quas omnes homines sigillatim ab Adam hucusque tulerunt, quâm unô die in Inferno aut purgatorio minorî, quæ illic habetur pœnâ torqueri.* Hinc S. Maria Magdalena in raptu ad spectandas purgatorii pœnas ducta asseruit: omnia tormenta, quæ passi sunt martyres, exstitisse instar amœni horti, si comparentur tormentis in purgatorio supportandis. Horrendum, quis neget, subiisse supplicium S. Leodegarium Augustodunensem Episcopum, qui oculis orbatus, nudipes per testas & aspera saxorum fragmina jussus ambulare, præcisis labiîs & linguâ, tandem securì percussus est? quis dubitet: immanem lanienam expertum esse Marcum Arethusum Episcopum, *N.*399

qui lanceolis undequaque compunctus, melle oblitus, in junceam sportam impositus, apum vesparumque morsibus expositus est? quis ambigat: crudelissimam sustinuisse torturam Martyres quosdam Anglicos, qui igne lentô aliquot horîs torti, super nudos ventres vivos glires sibi impositos sensêre, qui per viscera dentibûs & unguibûs quæsiêre effugium, dum obversis pelvibûs detenti, igne, vexabantur. Sed hæc omnia etsi immanissima Martyrum tormenta respectu purgantium flammarum Magdalena Virgo amœnum nominat hortum. Nihil igitur referam de supplicio illo, quod Baltazar Gerardi Burgundus 27. annorum juvenis sustinuit, cujus acerbitate exactiùs consideratâ fateri cogor cum Poeta: *obstupui, steteruntque comæ, vox faucibûs hæsit.* Hic postquam divinô instinctu, ut asserebat, Guilelmum Nassavium Oraniis Principem, tumultuum Belgicorum Choragum sclopô occidit, equuleô eductus, utrôque manuum pollice suspenditur, centum plumbi librîs pedum pollicibus alligatîs. Addidêre carnifices pendenti flagra ac virgas, ut totô corpore affatim sanguis defluueret. Depositô deinde sub digitorum unguibus longas profundissimè acus infigunt, utriusque brachii axillis tosta anserum ova supponunt, brachiîs tamdiu compressis, donec exustis axillîs sanguis copiosè diffluueret. Alterô die crines ei omnes tolluntur, & novîs calceîs, arvinâ probè infectîs indutus, foco luculento admovetur, ubi coricô per nimiùm calorem contractô, pedes unà cum calceis in globum versi sunt. Tandem ad extremum raptus supplicium, alligatur palo, tum manus quâ Principem trajecerat, laminîs candentibûs, quibûs liba cancellata coqui solent, imponitur, quam carnifex cum ossibus ac nervis absumpsit: tum brachia, femora, crura, tergum, scapuli ac pectus ignitîs minoribûs forcipibûs miserrimè excarnificata. Ultimò demum majori scamno imponitur, ac ventre dissectô cor extractum in faciem ejus conjicitur, intestinîsque igne combustîs reliquum corpus in quatuor partes secatur. *vide Haræum tom. 3. pag. 364.* Sed hem! Christiane Lector, & hanc Lanienam, quam sine horrore non leges, vocat præcitata Virgo amœnum hortum, si tormentis purgatorii comparetur. Quæso: quid diceret, de pœna damnî quæsita, quam totô cœlô distare constat à pœna sensus. Specialî mysteriô, ad nostrum propositum accommodô, non caret: quòd Ecclesia in officio defunctorum utatur Historiâ Jobi. Ut enim ille in scopum & metam omnium plagarum videbatur esse positus, ita animæ

in

in purgatorio detentæ, divino regni in scopum omnium plagarum temporalium deserviunt. Interim licèt in omnibus plagis invictam de se probaverit patientiam, unicam tamen oculi amaritudinem conquestus est cap. 17. dicens: *in amaritudinibus moratur oculus meus.* Haud secus purgantes animæ innumeris tormentis quaquaversum affectæ, nil ægriùs ferunt, nil magis conqueruntur, quàm oculô pœnam, in hoc sitam, quod divinô aspectu frui nequeat, gementes in umbra: *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei:* Psal. 41. Israëlitæ in captivitatem Babylonicam abducti, non carcerum squalorem, non corporum plagas, non alimenti defectum, non mille alias corporum calamitates, sed unius Jerosolymæ jacturam deflebant Psal. 136. suspirantes: *super flumina Babylonis sedimus, & flevimus, dum recordaremur Sion.* Absolom patriô aspectu abesse jussus, hanc pœnam morte longè majorem duxit. Ita animæ purgantes: etsi pœnis sensibilibus immensis crucientur, eas tamen leves, & quasi nullas æstimant, comparatas ad pœnam damni. O Christiane! si vel unica fraterni amoris & compassionis scintilla tuo gliscit in pectore alterum ages *Abdemelech*: animas purgantes velut Jeremiam, in locum flammarum à divina Justitia missam, per *pannos* & *funes* spiritualium suffragiorum extrahens. Hæc suffragia unicô versui includit Poëta, dum cantat: *fle, pete, jejuna, vigila, da, redde, celebra.* Fletu extrahuntur animæ, dum meritum pœnitentiæ nostræ eis applicamus. Petendô ipsis succurritur, dum preces pro earum liberatione funduntur: *quia Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. Machab. 12. Vigiliæ nostræ, per quas omnis generis mortificationes, in salutem animarum assumptæ, intelliguntur, ipsis vel maximè prosunt. Eleemosinâ ipsas pariter juvari in comperto est: *nam sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosina extinguit peccatum.* Ultimum, & cæteris omnibus prævalens suffragium est Missæ Sacrificium: ut enim Populus, durissimâ Pharaonis servitute pressus, non antea Ægyptum egredi, & iter ad promissam terram Chanaan ingredi potuit, antequam refectus esset agnô paschalî; ita animæ in lacu purgantium flammarum detentæ, non antea poterunt perfrui gloriâ cœlestî, quàm Agni Evcharistici Pabulô, per Missæ Sacrificium sibi applicato, nutriantur.

FASCICULUS LXIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. lib. Ezechielis Prophetæ, in quo describitur Visio quatuor animalium, & quatuor rotarum.

N.400. *Considera*: ILla animalia ab Ezechiële visa, figuram esse perfecti hominis; hic enim dum brutales subigit appetitus, Leonem animalium cæterorum Principem agit. Dum indefessus est in labore, per patientiam sustinens adversa bovem imitatur. Dum per assiduam contemplationem Sacris inhæret Mysteriis, aquilam sequitur, quæ altissimô ad Cœlos fertur volatu, & illæsô oculô speculatur solem. Habet præterea pœnas in altum extensus, dum suis operibus finem semper præfigit supernaturalem. *Quia omnis intentio* teste S. Greg. M. homil. 4. in Ezech. *omnisque contemplatio Sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in Cœlestibus appetit.* Sponsa prævidens, quantûm divino placeat Sponso, rectamque efficiat Sponsam, Intentionis puritas 1. Cant. ait: *Recti diligunt te.* Hebræa legit: *Rectitudines diligunt te.* Virtus namque divinæ dilectionis sita est rectitudine intentionis, utpote quæ in aliud non fertur objectum, quam in Sponsum divinum: hinc intentio pura oculus ille dicitur, à quo Sponsus iste amore maximô vulneratum se esse profitetur Cant. 4. Sicut illi homines, qui præmiô sibi propositô bombardas explodunt in orbem ligneum, quô minùs à centro aberrent, oculum claudunt sinistrum, solô utentes dextrô, ita anima perfecti amoris jacula in Deum emissura, ut à centro hoc non aberret, vanam gloriam, vel inordinatum creaturis placendi affectum tanquam oculi sinistri objecta, prorsus abigit, totô conatu conversa in solum Deum. Noluit Dominus Exodi 13. asinum sibi in Sacrificium offerri, sed illius primogenitum volut redimi ove. Bovem econtra habuit gratissimum. S. Basilius hujus Præcepti causam assignans, asserit: bovem semper nôsse Dominum suum, nec habere aliquid, quod præter illum spectet: asinum verò non Domini tantum, sed & præsepis & pabu-

pabuli, aut alterius commodi habere rationem, quasi foret simbolum illius hominis, qui partim Deo, partim mundo servit. Statua Nabuchodonosoris conflata fuerat ex auro, argento, ære & ferro, materiis planè aut prætiosissimis, aut fortissimis : sed quia luteis insederat pedibus, præstantissimam fortissimamque hanc molem lapillus unicus sic contrivit, ut nec testula remanserit, usui futura. Talem hêrcle statuam repræsentant illi, qui bona opera, ex objecto aurea & argentea, dandô eleemosinas, fundendô preces, jejuniis macerandô corpus, sæpè peragunt: Sed cùm hæc moles luteis pedibus, puta vanæ gloriolæ & motivo sæculari insideat, vix erecta corruit. Verissima igitur sunt verba S. Greg. M. in Moral. legenda, ubi ait : *Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste securè possidetur : quoniam totam arborem sibi ferre fructus conspicit, quam dente in radice vitiavit.* Discute ergo opera tua Christiane Lector,& vide,quam radicem, quosque pedes illa deferant ?

Mirandum est porrò : quod animalia ab Ezechiele conspecta : etsi fuerint inter se humoris apprimè contrarii ; aquilæ enim summam velocitatem natura indidit, bovi tarditatem, homini mansuetudinem, leoni ferocitatem: nihilominùs amicô prorsus consortiô, & conjunctô per omnia labore currum traxerint , cui fuerant juncta. Causam hujus mirabilis harmoniæ S. Scriptura detegit v. 9. citati cap. asserens : *Unumquodque antefaciem suam ambulabat.* Per hoc innuens: ad fovendam in Communitatibus, quas necesse est, ex diversis hominum geniis constare, concordiam , & æquô pondere ferenda ibidem onera plurimùm conducere : quodlibet membrum suo tantùm intendere officio alterius negotiis sese nullatenùs immiscens.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. Propheta Ezechielis, in quo describitur mandatum huic Prophetæ datum de comedendo libro.

Considera : QUòd Propheta librum sibi monstratum, non tantùm legere, sed etiam comedere jubeatur : *Comede volumen istud* imperat Deus citatô cap. Videtur latens sub hoc mandato Mysterium detegere S. Basilius, à venerab. nostro Beda in Scintil. tom. 7. relatus, ubi ait ; *Sicut ex carnalibus cibis alitur homo, ita ex divinis lectionibus* *N.*401.

interior homo nutritur, & pascitur. Propheta regius hunc cibum gustans exclamat: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Quemadmodùm cibus corporeus non tantùm stomachi famem sedat, sed & omnibus membris suum tribuit vigorem: sic lectio spiritualis non tantùm ipsam nutrit animam, sed omnibus ejus potentiis ad exercenda virtutum opera robur subministrat. Quare Sanctissimus Legislator Patriarcha Benedictus in S. Regula non tantùm statîs extra prandium & cœnam horîs libros pios volvere jussit, sed etiam illîs durantibûs prælegi aliquid, quod ædificet audientes, ut stomachô & membrîs per cibos corporales refectîs, anima non remaneat jejuna, sed lectione spirituali refecta, potentiis ministret virtutem, sese in Deum elevandi. Nihil Eunuchum Reginæ Candacis tantâ salutis obtinendæ sitî affecit, ut sacra lectio instar cibi sapidissimi præmissa Actorum 8. Nullum ferculum S. Augustino ita placuit, ut ei displicuerit omnis caro, nisi pauca Epistolæ S. Pauli verba Rom. 13. ei hanc Doctrinam salutarem inculcantia: *non in commessationibus &c.* Ipsis Ethnicis, nihil aliàs nisi carnalia appetentibus, res certa fuit: virtutes in homine librorum bonorum lectione acquiri, & nutriri; narrat enim Diogenes Laert. in vita Zenon. lib. 7. quòd Zenoni Oraculum suum consulenti: quomodò vitam suam institueret, Deorum & bonorum hominum Genio conformem? responso dederit: id fore obtenturum, si sæpè cum mortuis ageret, revolvendô assiduâ lectione libros, quorum authores vitâ excessissent. Antoninus Pius Imperator inanium Deorum Cultum suo in flore conservaturus, sub fatali pœna Sybillarum libros legi prohibuit: eò quòd intellexerit, non paucos Gentilium per lectionem talium librorum, de Christo Domino multa tractantium, ad ejusdem salvificam fidem pervenisse. Si ergo ad illustrandos in vera Fide Barbaros & Idololatras tantùm valuêre libri illi, quantum valebunt libri spirituales & Ascetici ad imbuendos in virtute, aut in ea roborandos fideles: optime inquit S. August. epist. 143. ad Demetriadem: *uteris lectione divinâ, si eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat vel fœda, quæ corrigat, vel pulchra plus ornet.* Occurrunt enim admiranda Sanctorum gesta Lectori, ut iis inspectîs ad imitationem provocetur. Cumque non tantùm eorum virtutes, sed & graves eorum lapsus enarrentur; hinc discit, quid cavendum sibi sit. Modò proponitur ei in exemplum Job, spumæ instar in medio tentationum excrescens, modò David, qui eis-

dem

dem ingruentibûs diffluxit : ut Ille lectorem tribulationibûs obrutum animet, & vivam in spem erigat : hic verò in summa prosperitate humilia sapere, timere, nec unquam de se ipso præsumere, sed magnâ cautelâ in omnibus incedere doceat. Memorat S. Augustin. lib. 8. confess. cap. 6. Politianum; nobilem stemmate virum ad se invisendum venisse, & narratîs quibûsdam Magni Antonii gestîs retulisse, quòd Imperatore Trevirîs publicis spectaculis occupatô, ipse cum tribus amicis in hortos suburbanos concesserit, animi relaxandi causâ, illorum verò duos abinde digressos incidisse in quandam Eremicolæ casam, ubi unus legens nonnihil in scripta M. Antonii vita tam Sanctô cœperit amore inardescere, sibique iratsci, ut ad amicum conversus in talia eruperit verba : ecquid, amabo ! tot laboribûs nostrîs, tot nostrîs periculîs, castra Imperatoris sequendô lucrabimur tandem? melioremne sortem nanciscamur, quàm ut inter familiares Imperatoris amicos computemur? in quo tamen statu positi, quid aliud nisi mille mutationes rerum exspectabimus, & mille infaustæ sortis pericula? amicus verô Dei si esse voluero, id hôc momentô assequar. Hæc dicens, novæ vitæ, quam conceperat, parturitione nonnihil turbatus, in librum denuò retulit oculos, ac brevî ex integro mutatus : ut legere cessavit, suspirans ait socio : *Ego jam quietus & tranquillâ sum mente, jam ab omni spe nostra & pretensione animum abrupi. Stat animo : Deo servire, & jam ab hac hora isthoc in loco manebo. Si sequi piget, & imitari, saltem obstaculo esse noli.* Tum alter exemplô socii verbisque & ipse mutatus, concludit : se paris vitæ institutique futurum Collegam. Ambo igitur non divitias tantùm, sed & ipsas quoque Sponsas, quas conduxerant, virilî constantiâ deserunt, ut à mundi consortio jam penitùs sejuncti proposita exsequantur. Gestîs his velut magnete tracta utraque Sponsa, mundo nuntium mittit, perpetuam Virginitatem professa. Suppeterent plura adhuc exempla, quæ stupendos lectionis sacræ effectus comprobant, sed illîs silentio involutîs, id unicum coronidis locô dicam tibi Christiane Lector : quòd sicut terra susceptum semen non conservans, ut radices, in ea agat, nunquam speratos fructus protrudet : sic sacra lectio nil proderit legenti, nî id quod legitur, attentè & studiosè legatur, & per frequentem memoriam in corde radicetur. Pharaonis pistor Genes. 40. tria canistra farinæ deferens in capite somniavit, ex supremo eorum à rapaci volucrum turba abripi escas. Erat hoc somnium malæ notæ præsagium, ut eventus docuit,

cuit, ipsô in patibulum actô. S. Bernardus tom. 2. lib. 10. c. 1. Somnium illud expendens ait: si eximium verbi Dei triticum sive farinam: aut divinas, quæ ex ea fiunt escas, super caput & in capite solùm geras, nec animi dentibûs, id est cogitatione teras, & manduces, suspendium time Tartareum &c. soli beati, qui custodiunt verbum Dei. *Quare lectum trajice in viscera*, admonet citatus Doctor Serm. 5. de Adventu Dom. *Transeat in affectiones tuas & mores tuos.* Sicut enim turtures, si ova à se genita non fovent naturali calore, fructu carebunt: ita lectio spiritualis, si per calorem attentionis & memoriæ: non foveatur, suo destituetur effectu. Quare Propheta Ezechiel librum non tantùm obiter legere, sed & comedere hìc jussus legitur.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 8. Propheta Ezechielis, in quo describitur: Ezechielem ab invisibili manu portatum esse, ut videret Jerosolymis Idolum divinam iritans Justitiam.

N.402. *Considera:* IDolum illud, ad quod videndum Jerosolymam fuerat portatus Propheta, teste S. Hieronymô exstitisse Idolum *Beelzebub Deum muscarum.* Miraberis autem: quòd res tam exiguæ molis, ut erat isthoc Idolum, tam magnam Dei iram provocaverit, ut dicat S. Scriptura v. 3. citati cap. *ubi erat Idolum Zeli ad provocandam æmulationem.* Erat Idolum hoc figura venialis peccati, quod etsi parvum sit malitiâ, maximô tamen odiô prosequitur Deus, si invenerit illud, in mystico animæ Templo erectum: nam juxta effatum M. Greg. Homil. 52. *Nonnunquam in parvis deteriùs, quàm in majoribus peccatur: major enim culpa quò citiùs cognoscitur, eò etiam celeriùs emendatur; minor verò dum quasi nulla creditur, eò pejùs, quô etiam securiùs in usu retinetur.* Cœlestis Sponsus Cant. 4. v. 9. conquæritur: vulnus sibi à Sponsa perquam sensibile inflictum esse: *vulnerâsti*, inquit ille, *cor meum soror mea Sponsa, vulnerâsti cor meum.* At quæres: quibûs armîs vulnus illud illatum sit, an ferreô caspide martialis hastæ? an sagitta, vel ense aucto? reponit sacer textus: *in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Quæso: quid hîs instrumentîs subtilius? quid levius? & tamen exstitêre causa gravissimi vulneris. Isthæc instrumenta venialium peccatorum sunt symbola: ut docent Interpretes sacri, adeoque pectus cœlestis Sponsi

Sponsi vulnere nonnisi maximô affligunt. Quis unquam credidisset infantem illum, à filia Pharaonis adoptatum, plus damni illaturum Ægypto, quàm ingens hostium exercitus? & tamen intulit. Quis Samsonem tot Philistinorum domitorem autumâsset prosterni posse à septem crinibus, malè custoditis? & tamen ab illis prostratus est? quis persuasus fuisset: Sponsæ vineam à vulpeculis nonnisi parvulis majus damnum posse perpeti, quàm ab adultis? & tamen perpessa est. Quare Cantic. 2. exclamat: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Pares querelas poterit Christiana anima effundere contra maxima minimi venialis peccati damna, cujus rationem assignans M. Greg. 2. past. admon. 34. asserit post alia: *minor verò* (culpa) *dum quasi nulla creditur, eô pejùs, quo securius in usu retinetur. Unde fit plerumque, ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quandam authoritatem nequitiæ per culpas nutritæ perveniat &c.* Abbas Achilles docturus: quàm gravia ex levibus culpis nascantur mala, hôc figmentô utitur, ponamus inquiens: homini in Monte Libani constituto dari parvum quoddam ferrum in manus, nonne talis successu temporis altissimas & fortissimas quoque Cedros poterit sternere? S. Ambrosius gravissimum venialis peccati damnum comparat igni, qui stipulæ apprehensæ semel inhærens, consumere non desinit, donec omnia absumat. S. Chrysost. in c. 1. Galat. ait: *sicut in corporibus, quæ vulnera neglexerunt, febres gignt, ac putrefactiones, ac mortem denique in animis, qui pusilla dissimulant, majora vitant.* S. August. pulchrâ pariter similitudine ad nostrum loquitur propositum, dicens Serm. 144. de temp. sicut quælibet ex modicis plagis modicum potest saluti corporali inferre periculum, veruntamen omnes simul junctæ vires corporales adeò extenuare possunt, ut deinceps alteri superventuro malo nequaquam possent resistere: eôdem modô licèt singula peccata venialia animam necare nequeant; attamen quia quodlibet peccatum veniale spiritualem animæ vigorem debilitat, tentatorisque vires & temeritatem valdè adauget, contingere posset, quòd à tam impetuosô assultu infestaremur, ut inermes, ac aliunde usquequaque haud benè provisi, cederemus turpiter, & laberemur. Olaus Magnus lib. 14. c. 15. refert; avem quandam in celsissimis Sueciæ montibus grandi nive contectis volitantem, alîs suîs aliquantulum commovisse nivem, quæ super aliam nivem decidens, eandem secum raptabat, donec in immensum adauctæ nives quasi in montem niveum excreverint, qui ingenti cum impetu

petu deorsùm lapsus, secum quævis obvia trahebat objecta, ut etiam saxa magnæ molis devolveret, cum quibus tandem in castellum, ad radices dicti montis situm incidens: muros, domosque diruit, incolîs omnibûs suffocatîs. Non disparem ruinam (si moraliter loquamur) quandoque unicum habet veniale peccatum, unicum videlicet pungitivum verbum, unicus curiosior fœminæ aspectus sufficit, integrîs civitatibûs aut castellis per exortas inde dissidias subvertendis. Venialem tantummodò noxam regium Prophetam commisisse, quando numerari jussit Populum suum 2. Reg. 24. probati defendunt Authores; & tamen hôc unicô venialî septuaginta millibus hominum necem intulit. Venialis pariter tantummodo reus peccati proclamatur à multis Ezechias Rex, quòd Babylonicis legatis ostenderit thesauros suos: audire tamen ab Isaia debuit: *Ecce! dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babylonis.* Taceo pueros illos, qui transeuntem Elisæum irridentes ob imperfectum rationis usum venialiter tantùm deliquerant, ad unum omnes ab ursis, de saltu egressis, necatos esse. 4. Reg. 2. Sufficiat pro coronide audire gravissimas pœnas, quas animæ de corporibus per mortem egressæ sustulêre ob paucula quædam venialia. Hugo de S. Victore vitâ functus, Sacerdoti cuidam apparens, dicebat: quia vivens disciplinam accipere renui, vix ullus Dæmonum in Inferno remansit, qui non validum impegerit ictum mihi ad purgatorium transeunti. B. Petrus Dam. de viro memorat Religioso: eum ob neglectam ad *gloria Patri* reverentiam, post mortem altissimæ columnæ è mari profundo assurgenti alligatum, ibique diebûs singulîs centiès & totidem vicibûs nocte quavis se demisissimè inclinare coactum esse: donec supplesset neglectas in choro reverentias. Adhæc in isto tormento se tantô concuti horrore affirmabat, ut apud ipsos Inferos gravius reperiri non crederet supplicium; hanc quoque pœnam ad extremum usque judicii diem duraturam, nî aliorum precibûs liberaretur. Quo animô legis hæc exempla Christiane, qui durantibus sacris in Ecclesia oculîs quaquaversùm vagari aliis corridere, colludere, mente nullibi minùs, quàm in templo existere, adeò tibi jam familiare habes, ut nec scrupulum de illo formes? ut fileam quotidiana mendacia, jocos, scurrilitates, excessus in cibo & potu, temporis dispendia

spendia &c. ò quàm serò olim dolore hæc modò nihili ducta inter horrendos purgantium flammarum cruciatus damnabis!

Doctrina 4.

Desumpta ex capite 37. Prophetæ Ezechielis, in quo describitur visio ossium vivificatorum, & duorum lignorum conjunctorum &c.

Considera, & admirare: ILla ossa arida, quæ viderat Propheta, non vivificata esse, antequam inter se fuerint intimè conjuncta: ut nos inde doceamur Christiani, tunc primùm nos fore verô spiritu vitâque implendos, quando per animorum nostrorum concordiam fuerimus uniti. Testatur hoc Apostolicum Collegium, quod tunc divinô est repletum spiritu, quando de illo dictum est Actor. 12. *Erant pariter in eodem loco.* Unde S. Chrysologus Serm. 132. ait: *Apostolis in unum congregatis Spiritus Sanctus ubertate totâ sui fontis illabitur.* Eô tempore quatuor animalia supernô animata spiritu currum rectô itinere traxerunt, *quando junctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum.* Tunc Deus fundavit Synagogam, quando Moysen & Aaron fraternô fœdere unitos assumpsit in Populi Principes. Tunc Christus Ecclesiæ suæ fundamenta jecit, quando vidit duos fratres Simonem & Andream, sociatis viribus mittentes retia in mare: Mundumque in peccatis mortuum ad vitam gratiæ per Evangelicam legem revocaturus collegit Apostolicum corpus, de illo dicens: *Vos estis lux Mundi &c.* Matth. 5. Sed lux Mundi utique non multiplex non divisa, sed una? rectè igitur in hunc locum asserit Sylveira: *Licèt Apostoli in se multi essent; ipsa tamen gratiâ & charitate ita uniendi erant, ac si unus in eis esset Spiritus unaque voluntas.* Poterat Salvator ad Cœlos abiturus, Discipulis suis in terra relictis ingentes pecuniarum thesauros legare tanquam Dominus universæ creaturæ. Poterat inter eos dividere omnia Regna Mundi, in quæ Regum instar imperarent: nam *Domini est terra & plenitudo ejus* Psal. 23. At his omnibus longè præstantius aliquid hæreditatis locô datum us Joan. 14. promittit: *Pacem meam do vobis.* Tantum enim teste S. August. lib. 14. de civit. *Dei concordiæ & pacis est bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nil gratius soleat audiri, nil desiderabilius concupisci, nil postremò possit melius inveniri* Quare S. Laurentius Justin. in Fascicul. amor. c. 7. pacem & concordiam vocat pi-

N.403.

gnùs & Arrham æternæ Beatitudinis, quasi alludens ad verba Christi, quibûs homines pacificos vocat filios Dei, nullâ aliâ hæreditate, nisi ipsâ cœlestî gloriâ dignos : *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Hæc verba profundissimè suo pectori infixerant SS. Martyres Marcus & Marcellianus: & hinc stipitibus à Tyranno alligati, Psalmum cantare auditi sunt : *Ecce! quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* Hæc verba tu quoque Christiane Lector pectori tuo inscribe, & in extremo Judicio *Deus pacis* arida tua ossa vivificabit, ut unanimi Electorum choro tu quoque animâ & corpore unitus, æternùm fruaris aspectu Illius, qui vocatur *Princeps Pacis.*

FASCICULUS LXIV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. Prophetæ Danielis, in queîs describitur assumptio Danielis & Sociorum in Ministerium Regis, eorum sobrietas & abstinentia. Somnium de statua Nabuchodonosoris, explicatum à Daniele.

N.404. *Considera:* SI Rex terrenus pati noluerit alios Ephebos suo in servitio, quàm tales, qui omnî carebant maculâ : quantam puritatem requirat Rex æternus in suis Ministris, quos constat, non tantùm ad inferendas dapes, aut infundenda vina: sed ad ipsum Domini corpus tractandum ab illo assumi. Olim tantam munditiem â Ministris, ad Panes & Incensum tantùm deputatis, voluit coli Deus, ut Levit. 21. imperârit : *Sancti erunt Deo suo, & non polluent Nomen ejus &c.* Si hoc in arido, quid requiretur in viridi? si in umbra, quid in luce? experientiâ probat: in qualibet re eò plus puritatis exigi, quô propiùs suo conjungitur Principio: hinc eò puriores oportet esse Angelos, quô propiùs accedunt Deum, & à corporea labe recedunt: eò puriores decet esse aquas, quo fonti suo propinquiores fluunt. Quid ergo aliud ad nostrum sequitur propositum.

quàm

quàm in Sacerdotibus Dei Eucharistici primis Ministris summam exigi puritatem animi, utpote suo Domino proximè conjunctis. *Tantum interesse debet*, ait S. Isido. Pelus. lib. 2. Epist. 205. *inter Sacerdotem & quemlibet virum probum, quantum inter Cœlum & terram discriminis est.* & S. Augustˌ in cap. 11. Isaiæ exclamat: *ò Sacerdotes! si anima cujuslibet Justi est Sedes Dei, multò magis Sedes & Templum Dei vos esse debetis mundum & immaculatum.* Hæc puritas in Sacerdotibus requisita tam magnum horrorem purissimo incussit Francisco Seraphico, ut licèt videretur cum Angelis de puritate certare, indignum tamen se crediderit tanto officio Ministrum. Petrus Blessensis à magna etiam puritate animi celeberrimus vir, Epist. 23. de se profitetur: *Tanti Sacramenti Majestate deterritus, sufficientiam sanctitatis, quàm ille gradus exigit, meticulosus allego.* Quin imò admirandæ sanctitatis Episcopus S. Paulinus Nolanus, quasi vî ad tremendum hoc Ministerium raptus, quotiescunque se ad arcana Cœli penetralia admissum, adeoque Deo vicinum considerarverat, totiès inhorruit, ingemiscens Epist. 6. ad Sever. *in arcanis & penetralibus Dei summi receptum me video, & insertum communicare cœlestia ac Deo propiùs admotum, in Spiritu Christi & corpore & splendore versari. Vix adhuc intellectum sacræ molis capio mentis angustiis, & onus muneris mei conscius infirmitatis horresco.* S. Mater Ecclesia, ut Sacerdotes doceat, quantâ puritate eos deceat fulgere, jubet in Missa extremos tantùm digitos ablui sub præscriptis precibus: *Lavabo inter innocentes manus meas.* Quasi verò ipsi innocentiæ, per gratiam divinam obtentæ, non tanta insit puritas, quâ majorem non oporteat deferre ad purissimum hoc Mysterium! ò Christiane Sacerdos! vide nunc, quâ niteas animi puritate, tuô functurus officiô? ò quot sunt venalium saltem culparum maculæ in tua anima reperiendæ? quantâ ergo temeritate Altare accedis, & tuum tractas Dominum? repones forsan: à modico corpore nonnisi modicam fieri umbram, & exiguâ quantitate luti parum puritatis obtegi. At quis nescit: parvulam eclypsim plus notari in sole, quàm integræ stellæ penitùs extinctum lumen? minima, quæ reperitur in regia veste macula, plus fœditatis habet, quàm millenîs sordibûs obsitus pauperum multorum pannus. Acutè observat S. Ambros. lib. 11. Epist. 76. quòd muliere adulterâ à Sacerdotibus apud Christum delatâ, Ipse scribens in terra (etsi Exangeliстæ Scripturam non exprimant) videatur tamen alia non scripsisse, quàm hæc verba: *Festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem, quæ in*

tuo est, non vides. Proinde voluisse Sacerdotibus indicare: peccata hominum Mundo servientium, etsi gravia sint, festucas tamen dici posse, si comparentur cum delictis Sacerdotum Ministrorum Dei. Zachariæ 2. profitetur Deus, de Sacerdotibus suis loquens: *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quô positô, & suppositô necesse est sequi: etiam levissimum delictum à Sacerdote commissum adæquare, aut transgredi peccatum grave sæcularis personæ: constat enim minimum etiam pulviſculum aut luti glebulam plus officere pupillæ oculi, quàm magna quantitas luti officiat corpori hominis. Hæc omnia piô maternæ curæ & sollicitudinis oculô intuens Ecclesia, in ipsa etiam collatione primæ tonsuræ Orat. ad Sponsum suum: *præsta quæsumus omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodiè comas capitum pro amore divino deposuimus, in tua directione perpetuo maneant, & eos sine macula in sempiternum custodias.* Inter omnia autem ad obtinendam & conservandam in Sacerdote puritatem, non postremum dixeris, remedium esse moderatam in cibo & potu abstinentiam, *Danielis* & sociorum eius exemplô hîc probatam, quos constat eò pulchriores & puriores evasisse, quô fuerint abstinentia magìs dediti. Est quidem nonnullos Sacerdotes reperire, qui instar statuæ Nabuchodonosoris (cujus figuram describit citatum caput 2.) olim caput aureum deferebant, pectus & brachia argentea, dum primô Sacerdotii sui tempore nitebant divinæ charitatis & innocentiæ puritate. Erat ipsis venter ferreus, & tibiæ æreæ, dum ad omnes carnalium tentationum impetus instar ferri & æris se probaverant inflexibiles. Verùm proh dolor! in maturiori ætate ob ipsam cibo & potu immoderantiam eò jam devenêre, ut parvulus etiam tentationis lapillus eorum pedes fictiles comminuat, prosternens quidquid de auro & argento nitebat in illis, utique hos inter non eris Lector Christiane?

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. lib. Prophetæ Danielis, in quo describitur Ananiæ & Sociorum ejus, constantia, supplicium, mira conservatio & canticum.

N.405. *Considera:* NOn tantùm corpora trium puerorum, quæ regius furor tradiderat voraci flammæ, intra parvum temporis spatium consumenda, Divinitùs mansisse illæsa, sed nec eorum vesti-

vestibus quidquam damni illatum esse: adeò, ut testetur citatum caput: *& non tetigit eos omninò ignis.* Petrus Dam. historiam hanc subtilî indagine expendens, fornaci Babylonicæ solitudinem comparat: eò quòd illa hominem non tantùm liberet ab incendio carnalis concupiscentiæ, sed etiam mentem mundet, bonîs vestiat cogitationibûs, & purîs affectionibûs impleat. Hoc clarissimè perspectum habens S. Bernardus epist. de vit. solit. ait: *Cœli & cellæ habitatio gratæ, quia sicut cœlum & cella videntur habere aliquam cognationem nominis, sic & pietatis: à celando enim Cœlum & cella nomen habere videntur, & quod celatur in Cœlis, hoc est in cellis, & quod geritur in cellis, hoc est in Cœlis.* Nulla unquam inter creatas animas, puro homini infusas, adeò ab omni peccati & concupiscentiæ labe immunis exstitit, & tot cœlestibûs Donîs repleta vixit Matre Virgine Mariâ: at quis nescit: eam solitudini tam sedulò studuisse, ut de ea asserat S. Ambros. solam semper in penetralibus fuisse, *quam nemo videret, solus Angelus reperiret. Sola sine comite, sola sine teste.* Abraham Mundo natus, ut posteris omnibus exemplo conservandæ Innocentiæ & puritatis esset, non poterat huic fini, à Divina Providentia intento, deservire aliter, quàm ut egressus de terra & cognatione sua in solitudine vitam ageret, à turbis semotam, prout S. Chrysost. homil. 33. in genesim verbîs istîs declarat scribens: *venit in solitudinem ad locum, ubi priùs fuit Tabernaculum ejus, ad locum Altaris, quod fecit ibi in Principio, & invocavit Nomen Domini Dei sui.* Contra Prophetam regium infernalis furor plurimos suscitaverat inimicos, qui ei die noctuque insidias struebant: quibûs cognitîs ille duplicabat preces, anxius bellator exclamans: *intende ad deprecationem meam, libera me à persequentibus me!* at quâ tandem viâ se à talibus insidiis expedivit? en! illam declarat Psalmô 140. cantans: *Singulariter sum ego, donec transeam.* In quem locum S. Chrysost. asserit: *liberatur à malis, purus ab illorum congressione, & tanquam solus habitans, quod quidem est maximum Genus virtutis.* Parî viâ insidias à Dracone sibi structas effugit mulier Apocalyptica, dum fugit in solitudinem. Quin imô ipse Salvator vanæ gloriæ umbram fugiturus, fugit in montem solus, & cœlestis Sponsus Sponsam suam ab omni labe puram servaturus eam ad nullum aliud, quàm solitudinis incundæ iter invitat, dicens: *veni columba mea. In foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ,* in locis videlicet ab hominum consortio sejunctis. Videntur hæc verba altissimè suis cordibus infixisse purioris sanctiorisque vitæ aman-

amantissimi Monachi, quibùs non sufficerat, relictô forensi strepitu ad Monasteria confluxisse, sed nec ipsa patiebantur Monasteria exstrui, sæculari tumultui propinquiora: hinc Landebertus noster: cùm ei locus gratuitâ donatione ad ædificandem offerretur cænobium, S. Hermelandum ablegavit, visurum: an locus ille foret quietus? hujus enim defectu oblatum recusâret donum, eò quòd vita ordinis summam exigeret quietudinem. Hinc S. Adlricus, cùm suum Monasterium populari strepitu inquietari cerneret, ipsum transtulit, in loco, quieti fovendæ magis apto, illud reædificans. S. quoque Carolomannus in Monasterio Soractensi versatus, cùm a francica Nobilitate, suum Principem invisenti inquietior redderetur, locum mutavit, aliò discedens. Nec est, cur tales viros incusemus melancholici humoris: cùm cernamus quotidie, etiam viros sæculo & hominum consortio deditos; quando eis obvenerint negotia gravioris momenti tractanda, secessum quærere, turbas vitare, tumultusque forenses fugere. Quid ergo agunt illi, qui difficillimo, & summè serio æternæ salutis negotio vacare volunt? agant hêrcle, quod magnus ille egit Arsenius, qui cùm diuturnô tempore inter aulicos rumores vivens, se Deo vivere non posse intellexisset, in solitudinem se contulit, utque solus solum salutis suæ negotium ibi sedulò tractaret, Archiepiscopum se invisentem rogavit: *ut quocunque loco audiret esse Arsenium, illuc ulteriùs non accederet.* abitum quoque minatus, si frequentior ad se fieret accessus. Ruffinus apud Rosvv. lib. 3. n. 190. neque hanc sæculi hominumque fugam in cella tantùm sibi familiarem habuit Arsenius, sed in ipso etiam Templo: *nam quotiescunque idem in Ecclesiam cum aliis Patribus venisset, post columnam sedebat, ne aut ipse alterius, aut alter illius faciem aspicere posset.* unde distractionis nascerctur occasio. Sed quid tanterum virorum exempla tibi in sequelam propono Christiane Lector, quorum Sanctitas admiranda potiùs, quàm imitanda videtur, quando tibi præstò sunt exempla illorum, qui remotiores fuerant à sanctitate, quàm Cœlum à terra, & quos ad virtutis meliorisque vitæ studium, solus hominum respectus permovit. Ethnicos intelligo Philosophos, qui credidêre, homines per solitudinem etiam in Deos mutari posse, prout testatur Seneca Epist. 74. dicens: *amplectendum est otium, quod inter Deos agitur, quod Deos facit: sed fortè conquereris, virtutem absconditi? nulla virtus latet, & latuisse non ipsius damnum est.* Hæc Philosophia, tua sit doctrina Christiane Lector,

Lector, ut eâ in praxim deductâ, ab omni concupiscentiæ igne cum tribus pueris fias illæsus, experturus in solitudine mille solatia, per Angelum custodem tibi de cœlo instar roris mittenda.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 4. & 5. Propheta Danielis, in quibus describitur Nabuchodonosoris somnium de arbore excisa, Danielis explicatio. Balthasaris ominosa inter epulas scriptura.

Considera: PEr maximam illam arborem, in somno Nabuchodonosori objectam, sub cujus umbra ab æstu sese defenderant bestiæ, non ineptè intelligi Principes, Magnates & divites Mundi, quì alios Potentiâ, Divitiîs & Majestate excellunt, & sub quorum gratiâ & favore securos ab omni æstu adversantis fortunæ se vivere putant multi mortalium. Verùm ò inanem talium spem! nam eâdem falce, quâ ejusmodi arbores succiduntur, omnis quoque spes & auxilium succiditur: adeò, ut quidquid ipsis viventibûs felicitatis possederant, eisdem morientibus commoriatur. Filius prodigus perditîs omnibus rebûs, quas paterna è domo tulerat, spem tamen non omnem perdidit, quando incidit in civem, divitiîs prævalentem, ratus: se illius patrociniô sat benè victurum. Sed hem! vîx ipsemet Herus sentire famem cæperat, exclamare illicò debuit servus miser: *hîc fame pereo*! in hunc ergo locum optimè ait S. Chrysost. Serm. 1. *hîc fame perit, ubi famis remedia quærit.* Ita sane omnis fiducia in hominibus posita hæderæ illi simillima est, quæ unâ noctæ nata, alterâ autem denata, Prophetam æstu tortum omnî destituit auxiliô: cùm econtra spes confisa Deo nunquam confusa sit. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.* Psal. 124. de hoc non dubius Jonathas aggressurus Philistæos dixit 1. Reg. 14. *non est Domino difficile salvare vel in paucis vel in multis.* De hoc certissimus Job, afflictus corpore, orbatus liberîs, derisus ab amicis, ab uxore mille probrîs oneratus, & tandem ab omnibus desertus exclamavit c. 13. *etiamsi occiderit me, in eum sperabo.* Wenceslaus Bohemiæ Rex, cùm profligatô exercitu & fractis viribûs captivus ipse teneretur, rogatus: quô esset animô? reposuit: nunquam fuisse se meliorî, enim verò cùm humanîs vallaretur præsidiis, se nunquam Dei meminisse; hîs autem *N.406.*

omnibûs exutum, nullius nisi Dei memoriam fovere, in quem solùm suam nunc reponeret fiduciam, non ambigens: fore se exaudiendum. Fiducia in Deum jacta sagittam Jonathæ imitatur, quæ semel emissa, nunquam rediit vacua. S. Paulinus dicere consueverat: teste Pædagogô p. 2. c. 23. §. 6. Illi, qui spes suas in Deo collocavit, sunt telæ aranearum præ fortissimis mœnibus: sicut econtra, qui humanâ nititur fiduciâ, nonnisi aranearum telæ instar sunt fortissima mœnia. Quare Christiane Lector: *spera in Domino Deo forti in perpetuum.* Sub illius arboris umbra securos ages dies, quam Sponsa in canticis suis ex omnibus selegit arboribus, asserens cap. 2. v. 3. *sub umbra illius, quem desideraveram sedi &c.*

Porrò dum capite 5. legis: Regem Baltasar inter medias epulas cernentem digitos *quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie candelabri &c. tantô perculsum esse tremore, ut compages renum ejus solverentur, & genua inter se colliderentur.* Cogita: quantò terrore homines tunc obruendi sint, quando non umbraticè apparens digitus, sed integra Dei manus, rigorosæ Justitiæ stringens gladium dabitur aspicienda? & illud propheticum implebitur Vaticinium Psal. 73. decantatum: *leva manus tuas in superbias eorum in finem?* Christus Dominus in Monte Olivarum à Judæis ad necem quæsitus, nunquam contra eos moverat digitum unum, sed blandâ voce & serenâ fronte ipsis obviam factus, dixit Joan. 16. *ego sum.* Et hem! ceù tonitru perculsi, *abiêrunt retrosum.* Quod factum expendens S. Augustinus exclamat: *quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit?* hinc Christiane Lector, time nunc comminantis Dei digitos, ne experiri debeas in extremo Judicio percutientis Dei integram manum.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 6. Danielis Prophetæ, in quo describitur Danielis à Rege honorati falsa accusatio, à satrapis facta; & inde secuta damnatio ejus ad Leones, à quibus tamen servabatur illæsus.

N. 407. *Considera:* TAntam fuisse Pietatem Danieli inter impiissimos homines versanti, ut nec latum unguem à divinis deflexerit mandatis. Ex hac autem tam exacta legis Sacræ observantia, Æmuli satrapæ ansam sumpsêre, eum accusandi, dicentes v. 5. capitis cit.

cit. *non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, ni forte in lege Dei sui.* Siccine in culpam imputetur Danieli, eum sine culpa in observandis Dei sui mandatis vivere? ò Christiane! qui tot piorum quotidianis exemplis, tot concionatorum verbis, tot Patrum Spiritualium hortamentis ad observantiam divinæ legis impelleris: quid quæso respondebis in tremendo Judicio, quando æmuli tui Dæmones contra te insurgent, te accusaturi non de observantia, sed de neglectu hujus legis? erat (ut jam alibi memini) Lex Mosaica onus grave, & tamen adeò scrupulosè per Danielem adimpleta, ut gravissimæ sibi conscientiæ duxisset, vel minimum etiam apicem solvere, & tu leges illas, quæ nonnisi jugum suave & onus leve sunt, totiès ex integro transgrediaris? audi quæso pulcherrima Simonis Cass. lib. 12. c. 1. in Joan. scribentis verba: *quis causabitur Christi non servare mandata? cùm nihil prohibeat, nisi quod est naturæ contrarium, moribus absonum, animæ corporique nocivum? quis se continere non poterit à ruina, cùm continendi per existentiam, quam habemus in Christo sit data facultas? quis se proteget excusationis suffragio non perficere mandata naturæ consentanea, & ipsam ultrà, quàm sit condita, decorantia? quomodo impossibile dicitur, quod de sui naturæ bonum, quod utile, quod pulchrum, quod est aptum, quod est gratum omnium creatori? quod ipsum conservatorem provehit ad superna? in quo ad Christum posita & probata dilectio: quia servans mandata mea ille est, qui diligit me, cui tanta visissitudo dilectionis à Domino redditur.* Hucusque præfatus Author. O quam absurda, quàm sanæ rationi contraria, quàm corpori & animæ nociva Mundus, caro & Dæmon tibi præscribunt mandata; & tamen tam promptè ipsis sæpè obtemperas? adhæc non tantùm piissimi Danielis, sed immanium quoque bestiarum, leonum videlicet, exemplum tibi confusioni est, quos constat: ad mandatum Dei à devorando Daniele retrâxisse dentes; etsi maximâ urgerentur fame. Quid ergo ad has objectiones tibi in judicio formatas respondebis?

FASCICULUS LXV.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 7. Prophetæ Danielis, in quo describitur visio fluvii ignei, numeri Ministrorum Dei, & interitûs bestiæ, igni traditæ.

N.408. *Considera:* FLuvium igneum, quem v. 10. c. 7. se vidisse testatur Daniel, egredientem à facie Dei, figuram esse ignei amoris, quô sese in homines effundit Bonitas Divina. *Rapidus* vocatur iste fluvius amor, *quia:* ut S. Thomas Villanovan. Conc. 3. adventûs: *violentus Cœlum invasit, Paradisum potenter irrupit, omnipotentem Dominum carneis vinculis alligavit, universa ejus abstulit arma, & spolia ejus distribuit, divitias ejus immensas hominibus dedit, & ipsum Majestatis Dominum triginta tribûs annis ligatum hominis obsequio mancipavit.* Quis neget: potuisse Deum per unicum voluntatis actum formâsse hominem; sed ut amoris erga eum ostenderet excessum, manum suam in limum terræ mittere voluit, eum plasmaturus. Imò supremum divinarum personarum consistorium (ut ita loquar) congregatum esse voluit, ut præmissô Consiliô animam, ad Sanctissimæ Trinitatis imaginem efformandam ei infunderet: cætera verò creata pedibus ejus subjecit, etiam Angelicis spiritibus imperans: ut in manibus suis portent eum, ne unquam offendat ad lapidem pedem suum. Et hæc summi Amoris atque fluminis instar effusi indicia omnibus æqualî pondere & mensurâ contulit: tibi verò Christiane Lector qualia & quanta in privato contulerit beneficia, nonnihil exactiûs perpendas rogo. Cerne quomodo à parentibus, non Paganis, Idololatris, Hæreticis, aut infamibus, sed à catholicis nasci te voluérit, corpore non cæcô, non surdô, non mutô, non mancô, sed omnibûs membrîs benè instructô te vestivit. In omnibus victum & amictum concernentibus paternâ curâ tibi providit, ab innumeris præservans malis. Multotiès in peccata lapsum pœnitentiæ remediô retraxit, divinô etiam corporis sui pabulô te reficiens. A Dæmonum insidiis die noctuque te defendit, offerens millena remedia ad salutem animæ

conse-

consequendam. Quid jam supereſt, quod debuit ultrà facere, & non fecit? ergone tanta beneficia, immensi in te amoris indicia, non erunt magnes, qui cor tuum ad redamandum trahat? non erunt stimulus, qui te impellat, ad patienter sufferendum adversa amore Dei? non erunt frænum, quod te retineat, à tam frequenti offensa optimi Dei? B. Ægidius S. Franciſci Seraphici Socius hominem ab amore sæculi ad amorem Dei sui allecturus, hunc ei formavit discursum. Erat nonnemo carens manibûs, pedibûs & oculîs, qui ab amico quodam quæsitus: an si foret in mundo inveniendus aliquis, qui ei oculos ad videndum, pedes ad ambulandum, & manus ad palpandum tribueret, illumnè amaret? reposuit ille: amarem haud dubiè, nec amarem tantùm, sed & servirem illi fideliſſimè; licèt exigeret à me servitia, etiam perquàm difficilia. Post hæc Ægidius ad peccatorem conversus, ecquis ait: est iste qui tibi oculos, aures, pedes, manus, caput dedit? quis nobiliſſimum corporis & animæ tuæ compositum donavit tibi, nisi Deus? testante Psalmographô: *manus tuæ fecerunt me, & blasmapherunt me.* Psal. 118. Si ergò non tantùm ad amorem mutuum, sed etiam ad duram servitutem te profitereris illi, à quo istæc accepisses beneficia, qualem te geres erga Deum tuum? Idem argumentum tibi Christiane objicitur: respondе in forma, solvendô illud gratô mutui amoris signô; aliàs eris à Dæmone æternùm insaccandus. Perpende quæso: quô fervore cœlestes illi spiritus, à Daniele v. 10. citati cap. conspecti, stent à divinis servitiis? *millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Considera: quomodo bestia illa, summæ ingratitudinis figura, interfecta sit. v. 12. & perierit *corpus ejus & traditum sit ad comburendum igni &c.* Nonne par supplicium te exspectat, si cum bestia ista debitum Deo amorem & reverentiam ingratus deneges?

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 8. & 9. Danielis Prophetæ, in quibus describitur Danielis Visio arietis bicornis, ab unicorni hirco victi. Languor Danielis & morbus, atque preces ob peccata Populi fusæ.

Considera: VIros Divinîs visionibûs à Deo donatos, plerumque corporea laborâsse infirmitate, prout Daniel suô exem- *N.*409.

exemplô cum pluribus aliis id docuit. Testatur equidem v. 27. *elangui & ægrotavi per dies plurimos.* Causam talium morborum assignare videtur Gregor. M. lib. 3. Dialog. c. 24. dicens: *caro enim ea, quæ sunt Spiritûs, capere non valet, & idcircò nonnumquam cùm mens humana ultrà se ad videndum ducitur, necesse est: ut ad hoc vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur.* Verùm hæc ipsa corporis infirmitas animæ sanitas est: retrahitur enim illa â Spiritu elationis, dum corpus deprimitur doloribûs, & eò liberiùs mens ad superna volat, quô caro magis ad dolores descendit. Teste Solinô generosissimum fortissimumque animal Leo quartanam sæpè patitur, ut ejus ira temperetur. Elephantes ægri colligunt salubres herbas, & antequam eis vescantur, caput ad cœlum cum herbis levant, quasi Religionem per morbum edocti, pro auxilio fiunt supplices Cœlo. Nunquam ad tam claram Dei cognitionem perveniſſet, in umbra Gentilitatis sedens Naaman Syrus, nisi habuisset corpus leprâ affectum. Nunquam ad tam profundam humilitatem se demisisset Ezechias Rex, nisi ægrotâsset ad mortem. Seraphicus Franciscus morbos & dolores *fratres suos* compellare consueverat, & admonitus, ut rogaret Deum pro iisdem amovendis, se in terram abjiciens dixit: gratias tibi ago Domine pro dolore, quem patior, & supplex oro, ut eum in centuplum augeas, si tibi ita placeat. Noverat enim Sanctissimus iste Pater: homines nautas imitari, qui cùm se mari commiserint, cœlô serenô & afflantibûs Zephyris vacant epulis & lusui, quasi omne periculum, quod ipsis obvenire possit, penitùs obliti. Ubi verò asperior Boreas ingruere, surgere in altum procellæ, jactari hinc inde navis, & naufragium oculis obversari incipit, ociùs illi chartas abjicere, seponere cantharos, voluptatum omnium oblivisci, tendere in cœlum manus, dolere de peccatis, Deum sanctosque vocare in auxilium cernuntur. Haud secus se gerunt homines, dum bona fruuntur valetudine: hi enim tunc voluptatibus indulgere, cœlestium rerum memoriam, & animæ salutis curam deponere incipiunt; at gravi infirmitate pressi, doloribûs affecti, periculô vitæ exterriti, illicò ad Cœlum suspiriis calidis conferunt, terrena negligunt, de præteritis culpis per confessionem abjectis dolent, dignosque se reddunt cœlesti gratiâ & æternâ gloria. Hinc est: quòd cœnæ Evangelicæ, æternæ felicitatis symbolo, non alii nisi cœci, surdi, claudi atque aliis corporum defectibus & morbis obnoxii interfuerint: sanis ibidem compa-

comparere recusantibûs. Ergò Christiane Lector, si quandoque morbos & dolores corporis patiaris, cogita: hos non esse ad animæ mortem, sed pro gloria Dei & salute tua; ab his enim instar ferri rubiginem amittis, & cœlestium rerum memoriam, quam prosperâ valetudine perdidisti, hôc antitodô acquires. Aromata fragrantiam tunc spirant, cùm incenduntur: & animæ cœlestia meditantur, cùm eorum corpora infirmitate uruntur, atque delictorum præteritorum memores cum Daniele cap. 9. v. 5. exclamant: *peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & declinavimus à mandatis tuis.* Siquè hanc castigantis Dei manum tulerint ad aliquot tempus, tunc prædicitur ipsis per Danielis Oraculum: *abbrevientur hebdomades &c.* doloribûs videlicet & morbis citò finem habiturîs.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 10. & 13. Danielis Prophetæ, in quibus describitur Danielis mortificatio, ejus consternatio abacta per solatium, è Cœlo missum. Senum Babyloniæ scelus in tentanda Susanna castissima Matrona &c.

Considera: PErsonis, Deo per sacram Professionem mancipatis idem evenire, quod evenerat Danieli versu 12. cap. 10. primò enim die, quô mortui Mundô *cor suum ponunt ad intelligendum, ut se affligèrent in conspectu Dei*, dignos se reddunt, supernîs visitationibûs tanquam missîs è Cœlo Nuntiîs recreari, propulsô omnî timore, quem Dæmon, Mundus & caro ingesserant. *Inveniunt suavissimam Spiritûs Sancti consolationem*, ait Gerson noster lib. 3. de imit. Chr. c. 10. §. 5. *qui pro amore tuo carnalem abjecerint delectationem. Consequentur magnam cordis latitiam, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam, & omnem mundanam neglexerint curam.* Cardinalîs Bellarm. teste Engelgrav. in comm. confess. §. 1. de se dicere consueverat: *cùm essem Religiosus nesciebâm penitùs, quid invita esset tristitia, cùm factus sum Cardinalis, nescio quid sit lætitia.* S. Romualdus ultrà centum annos in Religione transegit, viginti aliîs in Mundo transactîs. Is verò auditus est asserere: *quàm longa & misera hæc mihi vitæ tempora, quàm brevia & jucunda illa exstitêre.* Suatacopius Rex Bohemiæ infelicî pugnâ ab Arnolpho superatus, postquam ægrè vincula & mortem effugiens in eremum devenit, ibidem Religiosi instar vitam egit, adeò delitiîs N. 410.

litiîs cœlestibûs & solatiîs repletam, ut moriens testaretur obortis lacrymîs: *se veram vitam in Caula, in Aula mortem invenisse.* Planè sicut Isaac se in spontaneam Victimam offerens Deo, arietem pro se pati vidit, integer ipse lætusquè domum remeans, ita Homo in spontaneum Holocaustum Deo per sacram Professionem oblatus, dum civilem subit mortem, ad vitam transit optimam. Inter plurima encomia, quibûs SS. PP. & spiritualis vitæ Magistri Religiosum statum eondecorare solent, illud non postremum est, quòd Cœlum nominent. Ut enim Cælum illud corpus est, quod cætera omnia supergrediens, intervallô penè infinitô sub se terram relinquit, & innatam elementis vicissitudinẽ altissimè despicit: ita Religio terrena omnia incredibili excelsitate superat, & humanarum rerum vicissitudines, quas perpeti coguntur mundani, nullatenùs sentit. Honorum & Dignitatum velut errantium stellarum evanescentes radios, immensâ suâ altitudine elidit, & contemnit. Cœlum dicitur tranquillitatis sedes, securitatis locus, quid nî Religio hæc ipsa participet prædicata? cùm enim ad Religiosum statum non habeat accessum inferior mundi turba: cùm forensibus negotiis omnes præcludantur januæ; cùm omnis longè absit armorum strepitus: quis neget: in Religione reperiri tranquillitatis sedem? cùm Religiosus status fortissimô votorum vallô sit circumdatus, & circumseptus validissimîs Sanctissimarum constitutionum munimentîs: cùm occupetur assiduâ passionum edomatione, & gloriosâ hostium infernalium victoriâ, quis neget, in Religione inveniri securitatem cœlestem? non jam dicam: admirandam illam animorum concordiam, quæ ex tot diversis Nationum humoribus exsurgit in Religione, esse pacis supernæ exemplar. Aut illum ex divini luminis, animos semper irradiantis uberrimô fluxu exortum splendorem, esse symbolum cœlestis illius claritatis, quâ perfruuntur sancti: aut illam in exequendis Superiorum mandatis celeritatem, esse figuram agitalitatis, quæ cœlestibus reperitur in Incolis. Loquatur pro me testis omnî exceptione major S. Magdalena de Pazzis, & dicet illa c. 13. suæ vitæ: *Religiosum Domicilium esse imaginem Cœli.* Errat ergò, qui putat: se multum deprædicare Religiosum statum, si dicat; illum esse alterum Paradisum terrestrem. Fuerit enim Paradisus voluptatis hortus, irriguus limpidissimîs aquarum rivulîs, odoriferîs amænus floribûs, dulcissimîs fœcundus flosculîs. Longè præcellit hunc hortum aut florum amænitate, aut frugum fœcunditate,

aut

aut fontium ubertate Religio, si considéremus fontes illos aquæ vivæ salientis in vitam æternam, queîs illa affluit: si perpendamus fructus floresque variarum virtutum, queîs illa corruscat, spargitque miram fragrantiam. Fuerit Paradisus terrestris primævæ innocentiæ asylum, non tamen in illo secura stetit innocentia, dum stygii serpentis suggestionibûs impugnata est. Religio verò locus est, quem mellifluus Doctor *terram Sanctam*, in qua aut rarô, aut nunquam auris præbetur serpenti; sed (ut loquar citati Doctoris verbis Epist. ad frat. de monte Dei scribentis) *in qua Dominus & Servus ejus sæpè colloquuntur sicut vir ad amicum suum, in qua crebriùs fidelis anima verbo Dei conjungitur, Sponsa Sponso sociatur, terrenis cœlestia, humanis divina uniuntur.* O quàm felicem te ergo æstimes bone Lector: si inspirante Deô tam beatum elegisti statum! sed vide, ne illi difformiter vivas. Est proh dolor! Religiosos quandoque reperire, qui Saturnum imitantur, Planetam utique Cœlo proximum, & hinc ab ejus influentiis vel maximè implendum: quas tamen ille repellens, manet Planeta frigidus atque tardus, eò pejor, quo meliori vicinior locô. Tales Religiosi juxta panem positi moriuntur fame, juxta fontem pereunt sitî, in ipso Paradiso constituti sentiunt Infernum, ex Angelis in Dæmones, ex Christi discipulis in Proditores, ex Manna cœlesti in vermes pessimâ metamorphosi mutantur, illorum Judicum sequaces, qui capitis cit. v. 13. testante S. Scriptura *everterunt sensum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent solem, & non recordarentur Judiciorum justorum.* Si Susanna, mulier, inter sæculi rumores, divitias & delicias vivens, habuit tantùm zelum servandæ Castitatis & pietatis, Deo nunquam juratæ, ut citiùs mori, quàm fœdari voluerit, quid à talibus personis requiret Deus, quæ ab omni mundo per religiosa vota sejunctæ, in altero quasi Cœlo vivunt? & quàm enorme crimen patrabunt, datæ fidei morem non gerendô? rectè igitur pro talibus sententiam declamat Blosius noster in Spec. Monast. asserens: *simplicem gehennam in sæculo malè viventes Religiosi sibi comparâssent, duplicî gehennæ supplicio in Monasterio malè viventes se reos faciunt.*

Doctrina 4.

Desumpta ex residuis capitibus Danielis Prophetæ, in quibus describitur: quomodo Daniel detexerit technas Baalitarum, destruxerit Draconem insatiabile monstrum. Quomodo Leonibus objectus, nil malè ab ipsis passus sit.

N.411. *Considera:* INsatiabile quidem illud exstitisse Monstrum, Babylonicum Draconem, tot cibis quotidiè pastum; at longè insatiabiliorem se probare Draconem Inferni, qui quò plures devorat oves, animas videlicet Christi Sanguine redemptas, eò plures esurit. *Dilatavit Infernus animam suam*, hoc est Interprete Hugone, *affectum devorandi, qui nunquam mortuorum multitudine completur.* Eremita quidam, ut refert speculum exemplorum *V. damnatus:* vidit in raptu animas hominum nivis instar densissimæ infernalibus flammis illabi; tribûs tantùm ad Cœlum evolantibûs, animâ videlicet Episcopi, Cartusiani & viduæ Romanæ. Hoc ut ad se rediens retulit Cardinali Innocentio, ille quantociùs missis hinc inde nuntiis tres personas, quarum meminit exstaticus Eremita, eôdem tempore vitâ excessisse intellexit. Nec mirum: tantum hominum copiam Tartaro immergi: quia teste Christô: etsi constet, multos vocari, constat tamen paucos esse electos. Michæus Deum hîsce lamentantem verbîs inducit cap. 7. *Væ mihi! quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Non est Botrus ad comedendum, periit Sanctus de terra, & Rectus in hominibus non est.* Hâc autem loquendi methodô indicare voluit: Dæmonem adeò copiosâ gaudere animarum vindemiâ, ut Deo nihil relinquat, nisi quosdam racemos à se neglectos. Consonat Isaias cap. 24. asserens: *quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita Vindemia.* S. Petrus sibi consignatas habens claves Paradisi cœlestis, de animabus in Diluvio salvatis loquens ait 1. Epist. *cùm fabricaretur Arca, in qua pauca, id est, octo animæ salvæ factæ sunt.* Est autem Arca illa Cœli figura, Diluvium verò figura infernalium pœnarum. Paulus de Palatio considerans Christum Matth. 8. ascendentem in naviculam, sequentibûs discipulîs sic ingeniosè discurrit: *non inquit Textus navim, sed naviculam. Sicut elegantissima navis est vita Christiana, quæ ad portum salutis affert; ita horrendè & lacrymabiliter dicta navicula est. Utinam navis grandis*

dis & nimiùm capax fuisset! sed navicula est arcta, angusta est, brevis est, quia pauci sunt, qui intrant per eam. Mysteriô ad nostrum propositum aptissimo non caret: quòd vates regius damnatos comparet ovibus, cantans: *sicut oves in Inferno positi sunt, mors depascet eos.* Testatur enim quotidiana experientia: homines instar ovium se gerere, quæ unâ in foveam saltante magnô numerô sequuntur. Utinam Christiane Lector! non tu ex errantium ovium numero una sis, quæ aliorum perverso seducta exemplô, in foveam peccatorum ruunt, olim tartareis aggregandæ hædis, quas infernalis Draco pabuli locô exspectat. Vult quidem Deus Apostolô teste: omnes homines salvos fieri, sed expressô cum limite, quem exponit S. Ambrosius in 1. Timoth. 2. scribens! *si accedant ad eum: non enim vult, ut nolentes salventur. Sed vult ipsos salvos fieri, si & ipsi velint; nam utique, qui omnibus legem dedit, nullum excipit à salute, non est verò salus si nolenti tribuatur.* Celebris illa Nuptiarum Parabola, in qua homo non vestitus veste nuptiali convivio assidere præsumens, audire debuit Matth. 22. *ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores &c.* Dubium movet: quô modô contigerit: in tam solemni & hilari convivio ad manum fuisse vincula & compedes, lictores & justitiæ vindicativæ ministros? Verùm cùm certum sit: iniquitates capere impium Prov. 5. hinc homo ille suâ culpâ vestem non deferens nuptialem, ipse suus carnifex; funes & vincula parata deferebat. *Perditio tua ex te Israël* Oseæ 13 Peccator arbor est, ex qua nascitur manubrium securis illius, quâ ipsemet excidetur, mittendus in ignem. Perit incendiò, quod ipse excitat. Cadit in foveam, quam fodit, & imitatur infantem, qui propriô cultrô sibi nocumento est. Hinc Christiane Lector quasi à facie Draconis fuge peccatum dicens cum Daniele Verbô & factô v. 4. citati cap. *quia non colo Idola manu facta, sed viventem Deum, qui creavit Cœlum & terram.* Satiùs est, hîc parvô temporis spatiô vivere cum Daniele inter Leones, patiendô videlicet adversa ab hominibus, quàm ibi tartareo Draconi cedere in æternum pabulum.

FASCICULUS LXVI.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. Prophetæ Jonæ, in quo describitur Inobedientia Jonæ in Ninivem missi, & ortâ in mari tempestate in illud projecti.

N.412. *Considera:* CHristianum hominem divinis inspirationibus non obsequentem imitari Jonam, de quo citatô cap. S. Scriptura v. 3. testatur: quòd fugerit à facie Domini. Verùm talis horribiliorem adhuc tempestatem in caput suum provocabit, quàm in se provocaverit Jonas, dum infernales procellæ contra illum insurgent, à quibus obruendus erit. *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui respiceret, & increpationes meas neglexistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Prov. 1. v. 24. Lazarus non tantum utrâque aure surdus, sed & totô corpore mortuus erat, & tamen ad primam Christi vocem foras exire jussus prodiit etiam ligatus pedes & manus. Tot verò Christiani corpus vivacissimum, aures sanas, membra expedita circumferunt, tamen non ad unam dumtaxat Christi vocem, sed etiam ad millenas surdos se demonstrant. In quos invehitur Richardus à S. Victore de Arca Myst. lib. 4. c. 13. dicens: *O viscera dura! usquequò fatigas dilectum tuum? & ei non vis aperire? vocat te, & non vis eum audire? pulsat semel & iterum, & tamen eum exspectare jubes? &c.* Testatur regius vates: ipsa etiam chrystalla ad verbum Dei liquefieri Psal. 147. homines autem vera fide imbuti, tam frequenti Spiritûs Sancti calore inflammati, tot piîs aliorum exemplîs admoniti, tot minîs instigati, eò venire renuunt, quô eos vocat Deus? vereor: illos non surdâ aure aliquando excepturos vocem illam tremendi Judicis, quâ cum rebellibus Angelis in mare tartareum erunt detrudendi. Christiane Lector, si & tu hucusque divinæ vocationi & supernis inspirationibus surdas objecisti aures, dole, & hodie: si denuò vocem ejus audieris, noli *obdurare cor tuum*: sed Magdalenam pœnitentem imiteris, quæ Lucæ 7. *ut cognovit, quòd* Christus *accubuisset in Domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retrò*

secus

secus pedes, lacrymîs cœpit rigare pedes ejus &c. En! quomodo illam non retardet timor alicujus infamiæ, vel difficultas pœnitentiæ. Puta tibi à Christo dici illud Joannis 7. dictum ad Discipulos; *ad huc modicum tempus vobiscum sum.* Aut inculcari tibi illud Jonæ: *adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Christus sæpè transeundô tantûm operatus legitur salutem hominum testibus Matthæô & Zachæô, ad pœnitentiam in transitu dispositîs. Quare vocanti ociùs obtempera, ne te prætereat, cum vocat Electos ad gloriam.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 2. Prophetæ Jonæ, in quo describitur: quomodo projectus in Mare Jonas à pisce devoratus, sed Deo spondens sacrificium, iterum liberatus sit.

Considera: ANimabus fidelium, è corpoce ad æternitatem abeuntibus, si deferant residuas quasdam peccatorum maculas, idem obtingere, quod obtigit Jonæ, in Tharsum naviganti: Is enim temporali pœnâ suam luiturus inobedientiam, in mare præcipitatus est, & ventri piscis tanquam obscurissimo carceri inclusus exclamavit v. 4. capitis cit. *projecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me. Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt, & ego dixi: abjectus sum à conspectu oculorum tuorum; veruntamen rursum videbo Templum Sanctum tuum &c.* non dispares hêrcle in voces animæ illæ sua resolvunt ora inter purgantium flammarum procellas tumulatæ, & horrido carceri ad temporale supplicium inclusæ, licèt certæ sint de videndo quondam cum Jona *Templo Domini.* Sicut verò Jonas iratum sibi Numen promissô Sacrificiô ad Misericordiam commovit, v. 10. citati cap. adeò, ut illæsus exierit piscem, asserente S. Scripturâ: *& dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam*, ita præsentissimum remedium detentæ in purgatorio animæ repositum habent in illo sacrificio, quod nos Catholici Missam appellamus. Sciebat hoc S. Monica: & hinc aliud suffragium sibi post mortem impendi noluit, quàm hoc ipsum, ut refert S. Augustinus ejus filius dicens: tantummodò memoriam sui ad Altare fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat. Unde sciebat dispensari Victimam sacram, quâ deletum est chyrographum, quod erat contrarium N. 413.

rium nobis. Hugo Ætherianus de egressu animarum tractans, & personam agens animarum purgantium, Sacerdotes alloquitur: *Vestrô adjutoriô nunc opus est, ut pro nobis paschalem Victimam offeratis, Agnum salutarem, qui tollit peccatum mundi, sic verè nos de Barathro Inferni educere potestis.* Præfatæ animæ in illas audiuntur voces erumpere in quas filii Israël arctâ obsidione pressi Thren. 2. eruperunt gemente Prophetâ: Matribus suis dixerunt: *ubi est triticum & vinum?* quodnam verò aliud vinum sitiunt illæ, quàm quod est vinum germinans virgines, sanguineô colore agni immaculati tinctum, expressum ex uva, è stipite Crucis pendente? quinam panis alius, quem illæ esuriunt, quàm qui de se ipso testatur: *Ego sum panis vivus, qui manducat hunc panem, vivet in æternum?* Mirabilis visio Apocal. 6. obtigit Joanni: *Vidi*, inquit Apostolus, *subtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei.* Quid hoc: quod animæ in gratia Dei defunctæ alium non occupent locum, quàm subtus Altare Dei? habentnè ibi, quod Ipsis solatio & refrigerio sit? habent haud dubiè, ait S. Augustt. apud Settelin spiritual. agriculturæ p. 4. habent nullibi plus refrigerii, quàm quòd ab Altari sacro, in quo Sacerdos Agnum immolat sine macula, refocillentur: abinde plus pasti, quàm prandiô suô Daniel, quod ei leonibus circumdato Habacuc detulit. Quin imò teste Zachariâ Prophetâ de animabus, hôc Nectare cœlestî refectis, dici verissimè poterit: *in sanguine Testamenti eduxisti vinctos de lacu.* Quare Christiane Sacerdos exaudi animarum adhuc purgantium querulas voces, quæ tuis auribus tam frequenter insonant. Accipe à Tobia seniore salubre illud monitum c. 1. dicentis: *panem & vinum super sepulturam Justi constitue.* Panem inquam & vinum illud, quorum hucusque memini. Imitare Davidem, qui 2. Reg. 9. tam sollicitâ indagine quæsivit: num supereesset aliquis de Domo Saul, ut faceret cum eo Misericordiam Dei? utque à Siba intellexit: supereesse filium Jonathæ debilem pedibûs exclamavit ociùs: *ne timeas, quia faciens faciam in te Misericordiam,*

eligendô illum in hospitem suæ regalis

Mensæ.

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. Jonæ Prophetæ, in quo describitur Pœnitentia Ninivitarum secuta ad prædicationem Jonæ, & venia ipsis à Deo data.

Considera: REgem Ninivitarum hominis ritè vereque pœnitentis exemplar exstitisse, cui non sufficerat, de peccatis dolere, & ea detestari; sed ut omnem peccandi habitum cum actibus malis exueret, cunctas vestes exuit, locô illarum indutus cinere & ciliciô. Est proh dolor! reperire plurimos Christianorum, qui patrata crimina dolorosè quidem in confessionali deponunt: sed vix Ecclesias egressi, deteriorî lapsu in ea corruunt; eò quòd de exuenda peccati consuetudine non sint solliciti. Contra hos Isaias intonat c. 5. inquiens: *Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Qui funiculi eò fortiùs tunc constringuntur, quô homines constricti minùs cogitant de iis resolvendis. Ipsum peccatum actu quidem per pœnitentiam expulsum, habitu tamen permanens clamat cum Dæmone, Matthæi 12. ejecto è corpore, quod possederat: *Revertar in Domum meam, unde exivi.* Luditque cum talibus ipse Dæmon, ut quidam pueri cum aviculis, quas filo alligatas in altum quandoque volare sinunt: at vix emissas retrahunt. Frequentibûs plagîs territi Ægyptii urgebant quidem Israëlitas, ut discessum maturarent: sed egressis jam iterum à tergo instabant, ut eos antiquæ subderent servituti, imò duriorî adhuc, quàm ante jugô premendos. Non disparî modô ejusmodi pœnitentes tractat Dæmon, dum illi Ægyptum malæ vitæ per iter pœnitentiæ egressi, ad mare malæ occasionis tendunt, hostem à tergo hærentem jam habent, qui eos pejorî effectu, quàm ante peccati jugo subjicit. Meritò de talibus dixeris, quod canit Propheta Regius Psal. 106. *ascendunt usque ad Cœlos, & descendunt usque ad abyssos.* Similes Iulligoni, quæ ut refert Vincentius in spec. naturali, quandoque cum avibus in aëra se elevat, quandoque cum piscibus se immergit profundissimo mari. Verùm quid tandem ò miseri pœnitentes! quid vobis proderit hæc constans inconstantia? idem proderit, quod profuit Israëlitis, tam sæpe peccata repetentibus, de his dicitur Numeri 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in Populum percussit eum plagâ magnâ nimis.* Ninivitæ prædicante Jonâ conversi; postquam denuò ad consuetas voluptates & vitia *N.* 414.

vitia redière, teste Corneliô à Lapide ab Arbace victi, & ad Medos translati fuêre. Pharao post multiplices plagas antiquam repetens crudelitatem, in voracibus undis & in infernalibus flammis tandem sepultus est. Canonicus quidam, ut memorat S. Bonav. in vita S. Francisci, à gravi infirmitate signô S. Crucis curatus, & admonitus, ut relapsum vitaret, priorem paulò pòst reversus ad luxuriam, perpetratam in domo alterius Canonici, totâ domô corruente solus periît, aliîs, qui ibidem fuerant præsentes, penitùs illæsis. Ejusmodi suppliciîs territus Christiane Lector pœnitentiam age stabilem, cum actibus malis etiam exuendo habitum. Quod ut assequaris facilius, si deliquisti illicitis aspectibus, dic cum Jobo non verbîs tantùm sed & factîs; pepigi fœdus cum oculis meis, ut de Virgine quidem nec cogitem ultrà. Si peccaveris linguâ, cum eodem dicito: *manum meam ponam super os &c.* 39. cap. ut videlicet nec verbulum ullum blasphemias, turpiloquium, detractionem, aut quidquam tale resonans mihi excidat. Si peccaveris manu, tunc cultrô mortificationis abscinde hoc membrum, id exigente Christô, Matth. 18.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 4. Prophetæ Jonæ, in quo describitur, quomodo Jonas indemnitatem Ninivitarum ægrè ferens, umbraculum sibi fecerit, & typô arefactæ hederæ sit à Deo redargutus.

N.415. *Considera:* PLurimos peccatores imitari Jonam, umbraculum sibi facientem, quô ab immoderato solis æstu tegeretur. Hi enim, ut calorem solis Justitiæ divinæ, salubrî terrore eorum corda affligentem abigant, umbracula quærunt varia, frequentandô lauta convivia, miscendô chartas & aleas, incumbendô venationi, spectandô lusus theatrales, ducendô hilares choreas. Verùm sicut Jonæ, sic & his teste S. Scriptuâ v. 5. citati cap. *paravit Dominus vermem, qui percussit hederam, & exaruit.* Vermis iste mala conscientia est, qui eorum corda tam grandî dolore cruciat, ut omnem voluptatum dulcedinem summâ permutet amaritudine. Eant ergò illi longinquîs itineribûs, quoquô libet, vermem tamen sui tortorem secum trahent, & eant licèt cursoriîs equîs, non erit conscientiæ vermi difficile, eos assequi; tametsi vermis cæteroquin animal sit, quod nonnisi rependô gra-

graditur. Eant ad chartas, ad ludos, ad choreas, ad convivia, ad theatra, comitem habebunt hunc vermem, coacti cum Propheta regio exclamare Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* Hinc non erit sapor in cibo & potu, non suavitas in concentu musico, non solamen in amicorum colloquio, non recreatio in lusu. *Quis unquam*, ait Innocentius lib. 1. de contemptu mundi: *diem duxit totum in sua delectatione jucundum? quem non in aliqua parte reatus conscientiæ turbavit?* Pessimus iste vermis in die serena obscurus est, in nocte terribilis, inter hystriones excitat tragœdias, & omnes jocos intercipit tristitiâ. Nierembergius de art. vol. l. 2. c. 36. memorat: Pelusios parricidium vindicaturos, cùm diu pro flagitii enormitate nullum torturæ genus par inveniissent; tandem suô ingeniô sævius quiddam excogitâsse: piæ scilicèt matris naturæ ferulam conscientiam, sancientes: ut parricida triduò cogeretur spectare occisi cadaver, ut sic continuô sceleris hortatu puniretur reus omnium, quotquot excogitari possint, suppliciorum maximô. Quô facti genere videbantur insinuâsse Pelusii: conscientiæ rodentis torturam, cæterîs omnibûs crudelitate suâ superiorem esse. Paradisum quis nescit, fuisse sedem voluptatis, nec in eo vel accusatorem, vel Judicem, vel aliqua vindicativæ Justitiæ instrumenta habuisse locum? ad duas tamen voces illas, etiam ore blandô prolatas: *Adam ubi es?* quasi fulmine ictus tremit Protoparens noster, fugit, abscondit se, & causam quæsitus reponit: *quia nudus eram.* Mentiris, à mendaci serpente deceptus Adam: non quia nudus incedis, sed quia peccator, à verme conscientiæ stimulatus incedis, ideò trepidas, ideò fugis, & extremas quæris latebras. At quas quæris, non reperies: non enim est asylo locus, ubi carnifex tergo inhæret, quod tuus ô Adam! natu major filius Cain, & plures alii peccatores, posteri tui profitebuntur. Frustra ille civitatem ædificabit, fortissimô circumdatam vallô, quod metum excluderet: erit hostis pessimus intra mœnia, in ipsis animi penetralibus habitaturus, adeoque intestinô tumultu bellôque turbabuntur intus omnia. Fiet inde, ut quemcumque sit habiturus obvium, credat sui interfectorem futurum. *Omnis, qui invenerit me, occidet me Genes. 4.* S. Augustinus meritò lamentum illud ridet, quô Justi nonnunquam audiuntur conqueri Davidicîs verbîs: *Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus, qui prævaricantur?* ridet inquam hoc lamentum Augustinus, & causam risûs exponens ait Serm. 18. de vit. Apost. *Cùm illo, nempe impio, pœna sua est. Si haberet in cubicu-*

lo suo tortorem carnis impunitus esset. Habet in secreto cordis sui tortorem conscientiæ suæ, & impunitus vocatur? hoc est, quod Deus per Prophetam suum Jeremiam cap. 14. intonat in peccatores, dicens: *effundam super eos malum suum.* q. d. non ego manum ponam ad flagella, quibûs castigem eos: sufficiet, eos propriis culpîs, omnî flagellô meô acerbioribûs, puniri. Hinc S. Ambros. peccatum viperæ partui comparat, quæ propriæ Matris pectus discerpens atque dilacerans eidem crudelissimam infert mortem. Juvenem ajunt Ferariæ vixisse, firmæ ut apparebat valetudinis: verùm spem vitæ longioris ei mox inopinâ morte fuisse interciſam. Adductos quamprimùm, ad dicendam de hoc mortis genere sententiam Medicos, nil decidisse priùs, quam emortui adolescentis dissectum cadaver inspexissent, in quo cùm pulmones, jecur, splenem, ac cætera membra reperissent integra, nullaque tabe afflata, ne dum corrupta, in solo corde tandem invenisse vermem, illud fœdè dilaniantem: erutum inde variisque liquoribûs, quibûs suffocaretur, immersum, innatâsse omnibus, donec in succum, è cepis alliisque expressum conjectus, & natare, & vivere desierit. Poterant utique Medici, nî experimenti capiendi causâ id egissent, unâ statim contritione extinguere hunc hostem. Hoc ipsum poteris & tu Christiane Lector! si sentias vermem rodentis conscientiæ; unicâ pectoris contritione opus erit confessioni conjuncta, sicque ab immani ejus laniena æternùm securus vives.

FASCICULUS LXVII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 1. Machabæorum, in quibus describuntur Alexandri Victoria & mors. Antiochi illustris Victoria. Despoliatio Templi Jerosolymitani. Mathathiæ luctus, fortitudo.

N. 416. *Considera:* QUalis tandem finis Regum Potentiam & grandes eorum Triumphos Victoriasque coronet. Alexander interfectîs tot Regibûs, subactîs tot Populîs, expugna-

pugnatis tot urbibûs ad ultima usque terrarum penetrâsse videbatur, immensis Gentium spoliis ditatus, tantoque terrore universum repleverat orbem, ut de eo testentur Sacræ Paginæ v. 3. cap. 1. *Siluit terra in conspectu ejus.* Verùm post hæc omnia Fortunæ & Potentiæ suæ prodigia, *decidit in lectum: & cognovit, quòd moreretur.* v. 6. capitis cit. Hâc tandem coronide superbæ mundi coronæ coronantur. Hic est epilogus magnæ illius tragœdiæ, quam ludunt in Theatro hujus mundi Reges & Principes. Quare mortuô Alexandrô M. ut refert S. Antoninus p. 4. tit 14. asserebat Philosophorum aliquis: *qui totam herì conculcabat terram, & possidebat eam, nunc possidetur ab ea: herì non sufficiebat ei totus mundus, nunc sufficiunt ei quatuor ulnæ terræ: herì totam calcabat humum, hodiè calcatur ab ea: herì dominabatur ei, & possidebat eam, nunc possidetur ab ea: herì premebat eam, nunc premitur ab ea: ducebat herì exercitum super eam, nunc ab exercitu ducitur sub terra.* Utinam ad hæc sapientis dicta saperent insipientes mundanæ gloriæ amatores. Utinam cum regio Vate, tot victoriis & triumphis insignî exclamarent: *in pulverem mortis deduxisti me*, aut si crederent, arduum sibi nimis esse, virum tam sanctum imitari, imitarentur saltem barbarum, Saladinum nempe, totius Asiæ domitorem, qui morti proximus jussit, indusium suum in perdica suspendi, & proclamari à Præcone: *hoc spolium Orientis terror, Asiæ domitor, ex tot Trophæis secum abstulit.* Planè non fierent tot innocentium neces, tot urbium excidia, tot Provinciarum ruinæ: sed qui plurima nunc capiunt Regna, se quoque ipsos caperent. Nascitur frequens Magnatum error ex eo plerumque, quod solem aspiciant solummodò orientem, occidentem nunquam: quòd rosas intueantur cùm florent, non verò cùm marcescunt, & sint spectatores Jezabelis, in sublimi fenestra apparentis, non verò exinde canibus in prædam & esam abjectæ Angelus mandatô Dei in castra Sennacherib 4. Regum 19. irrumpens, talî milites morte affecit, ut externam eorum intuentes speciem vivos crederent, intrinsecùs meris mortuorum cineribûs constantes, qui minimô hominis afflatu resolvi poterant. Moriuntur Reges, occumbunt Principes, & tamen ea est quandoque successorum habetudo mentis, ut quasi vivos semper aspiciant, nullâ habitâ ratione cinerum, ex quibus toti quanti constant. Consuetudo Græcorum est teste Petrô Damia: Imperatori noviter electo, Insulîs redimito, & coronâ Procerum stipato offerre duo vascula, unum mortuorum ossibûs & cinere plenum, alterum subtilî stuppâ impletum, quam applicatus ignis

in ictu oculi consumit. Ex primo vasculo discat Imperator nosse se ipsum, in cineres & ossa resolvendum more aliorum hominum, ex altero diem Judicii cogitare, quô repentinô incendio totus resolvetur mundus. Si spectaculum isthoc suis præfixisset oculis, & attentâ mente considerâsset *Antiochus* iste, illustris filius *Antiochi Regis*, non in tantam surrexisset audaciam, ut sacrilegas manus intulisset sacris vasibus Templi Jerosolymitani, non tot igni tradidisset domus, non in barbaram captivitatem tot mulieres cum prolibus abduxisset: ut taceam alia immanitatis impietatisque trophæa, quæ ubique locorum teste S. Scripturâ v. 23. citati cap. erexit, toti dominaturus orbi. Indulgendum tamen est Antiocho: quòd sine ulla mortis memoria tam abominandam & crudelem duxerit vitam. Barbarus erat; & hinc quod maternô biberat cum lacte, moribûs eructabat. Sed quam veniam merebuntur Reges & Principes, à Christianis parentibus nati & educati, divinîs legibûs imbuti, mille exemplîs excitati, si & illi rejectâ penitùs salubrî mortis memoriâ pecorum more vivant, ipsis etiam Barbaris deteriora patrantes crimina? adeò, ut Sancta Mater Ecclesia verbîs Matthathiæ exclamare inter lacrymas cogatur v. 7. capitis 2. *Væ mihi: ut quid nata sum videre contritionem Populi mei!*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. libri 1. Machab. in quo describitur fortissimi Judæ Victoria de Apollonio & Serone &c.

N.417. *Considera*: QUanta fortitudo & potentia vivat in exercitu, qui non armorum robore, aut hominum bellantium copiâ, sed Dei solius fiduciâ armatur. Pauci enim sub Juda Machabæo contra hostes penè innumeros in aciem egressi viri: cùm Ducis sui hortatu spem firmam de adjutorio Dei concepissent, eô impetu in hostile agmen invecti sunt, ut teste S. Scripturâ citatô cap. *Contritus sit Seron, & exercitus ejus in conspectu ejus.* Sic eventus probavit: verissimæ exstitisse verba, quibus Judas milites suos reddidit animosos asserens hîc v. 19. *Non est differentia in conspectu Dei Cœli, liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitûs Victoria, sed de Cœlo fortitudo est.* Quid quæso prodest bellica virtus, Deo manum adjutricem retrahente? non enim teste regiô Prophetâ, *salvatur Rex per multam virtutem, & gigas*

gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Quid prodest in pugna equus, quando Deus non dirigit frænum? *fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.* Quid prosunt in prælio hastæ, quando Deus ærea opponit scuta? quid emissi prosunt in certamine globi, quando Deus eis eripit lædendi virtutem? Alphonsus Arragonum Rex filio suo contra Florentinos exercitum ducenti, hoc documentum dedisse legitur apud Panormit. lib. 3. de rebus Alphons. *Victoria mihi crede non hominum disciplinis aut industriâ paratur, sed Dei optimi Bonitate & arbitriô.* Tempore Urbani II. in bello à Papa contra Turcas indicto, cum Antiochiæ eò angustiarum venissent Christiani, ut ingentî hostium agmine vallati, de omnium vita actum esse crederent; fiduciâ salutis in solum Deum positâ, invenêre lanceam, quâ latus Christi è cruce pendentis fuerat transfossum; hanc postquam parvulæ cohorti in hostem eunti prætulerunt, tantam in eis stragem edidêre, ut centum millia Turcarum in acie ceciderint. Ita testatur Paulus Æmil. lib. 4. hist. franc. sin autem tam prosperô eventu certant illi, qui divinâ armati fiduciâ in materiali decertant prælio, quid ages ò Christiane! qui diu noctuque fortissimos adversum te insurgere cernis hostes? nonne propria caro innumeris penè insultibûs te impetit? & quomodo triumphum de ea canes, nî Dominus supponat manum suam? est non diffiteor insigne servandæ Castitatis scutum sensuum mortificatio, quô usa fuerat Sponsa Canticorum 4. exclamans: *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* quô pariter usi sunt multi eximiæ puritatis viri. At tam forte non est, ut quandoque Veneris tela non penetrent; docuêre illud lapsus Eremitarum, mortificationis diuturnô exercitiô celebrium, quorum alibi jam memini. Non nego: jejunium extinguere ardorem libidinis, castitatis verò lumen accendere teste S. Augustinô in Serm. de jejun. at per illud non tam frigida redduntur membra humani corporis, ut non quandoque à face nigri illius pueruli ignem concipiant. Non inficias eo fugam esse bonum castitatis præsidium, multorum exemplô probatum, at quis nescit: etiam in antris & speluncis cecidisse fortissimos Athletas, dum insidias hominum fugiendô, & vitandô commercia, carnem effugere non poterant. Sunt plura alia, ab Ascetis præscribi solita, tuendæ castitatis & debellandæ Veneris arma, quibus tamen omnibus præponderat firma in Deum fiducia: testatur enim sapiens: continentiam solô Datore Deô à se servatum iri,

iri, & Gentium Doctor cum carne sua in arenam descensurus, id primò locô habuit, ut ter Dominum rogaret, ejus ope nixus. Planè hoc in bello tutiores nunquam erimus, quàm si dormierimus in thalamo divinæ fiduciæ: hinc S. Franciscus molestâ tentatione vexatus, intendens Orationi cum lacrymis, è Cœlo vocem excipit Wadingô teste hæc verba ferentem: *Franciscè! si habueris fidem ut granum synapis, & dixeris monti, ut transeat, transibit.* Reposuit ille: quisnam Domine mons iste? responsum accepit: *mons est tentatio.* Quô auditô ille repetens lacrymas, exclamat: *Fiat mihi Domine sicut dixisti.* & statim sublatâ omnî tentatione quievit. Regius Vates profitetur: se solô spei divinæ gladiô provisum, omnium tentationum cuneos penetrâsse securum. Ita ille Psal. 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Erat haud dubiè gravissimus labor Sponsæ, ascendere de deserto, innumeris ut credo tentationum spinîs velut armîs obsito: & tamen superatîs illîs omnibûs ascendit velociter atque feliciter, deliciîs adhuc affluens, ea solùm de causa, quòd innixa sit super dilectum suum. Hoc factum expendens S. Bernardus ait: *Frustra Sponsa nititur, si non innitatur. Omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest.* Ergo & tu Christiane Lector: ut ab hoste intestino invasus, ad palmam & coronam enitaris, innitere super Deum tuum, dicens cum fidelissimo Dei servo Juda: *Sicut fuerit in Cœlo voluntas* (quæ utique semper prompta est ad ferenda auxilia, in se firmam spem ponentibus) *sic fiat.* Versu ult. capitis citati.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 4. libri 1. Machabæorum, in quo describuntur Judæ Victoriæ de Gorgia & Lysia obtentæ. Zelus in restaurando Templo.

N. 418. *Considera:* JUdam, qui *confessio* interpretatur, postquam tam insignia de superatis hostibus erexit trophæa, ad restaurandum Templum se totum convertisse: ut sic doceat posteros vel maximè nos Christianos, quòd profligatîs semel per sinceram confessionem animarum hostibûs, peccatîs videlicet expulsîs, reparandus sit ille Cultus, quem Deus sibi impendi imperat, dicens: *convertimini ad me in toto corde vestro.* Joël. 2. *auferte Deos alienos de medio vestri.* Nullus autem morem geret tali Præcepto, qui aliquid in corde relinquit, quod crea-

creaturam sapit, qui amori proprio tanquam Idolo Altare dedicatum retinet. Hic Deus etiam in cordibus piorum *teste Henricô Boudon lib. solus Deus*, undequaque stabilivit solium suum, & in ipsa Sanctitatis exercitia sese insinuat. Ascendit pulpita, ex quibus impugnatur: tenet regitque eorum corda, quorum linguis sternitur, & fulminatur. Per ipsa jejunia, orationes & eleemosinas se ipsum firmat: sicque sibi placens, non curat aliis displicere: commune postponit proprio, labores odit, qui suum non tangunt bonum. Ut Prælatus fiat, cupit subesse: servire non renuit, ut imperet: amat, ut ametur.

Jam in ipso Mundi exordio Deus iste adorari voluit à nostris protoparentibus, à quibus dein nativâ propagine in omnem se posteritatem diffudit. Erat prima protoparentum nostrorum cura de commodo proprio, quam dolosus serpens eorum mentibus ingessit, dicens: *cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradisi?* Genes. 3. v. 2. En! jubentur discutere mandatum Dei, an illud nihil deferat contrarium commodo proprio? fervebat quidem ignis maximus in anima Sponsæ erga Sponsum suum quando ille deferens caput rore plenum pulsavit cameram Sponsæ, rogans intromitti Cant. 5. *aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore.* reposuit illa suæ studiosa commoditatis: *exspoliavi me tunicâ meâ &c.* Cogitur ergo Sponsus perpeti injurias Cœli, caput exponere periculo morbi, ut parvulam incommoditatem non sentiat Sponsa surgendò, & induendo se vestibûs. Apostoli à Magistro suo audientes, Joan. 11. *eamus in Judæam iterum*, ut ibidem Lazarus vitâ functus acciperet vitam, quantociùs opposuêre: *Rabbi nunc quærebant te lapidare, & iterum vadis illuc?* Verùm ut audierunt à Petro Joan. 2. *vado piscari.* illicô promptissimâ voce & mente conclamârunt: *venimus & nos tecum.* Agebatur hîc de discipulorum lucrô & commodô, per piscationem promovendo: ibi autem agebatur de alterius bono: & hinc secuta dispar responsio, ab amore proprio dictata. Columba licèt avis sit innocentissima & sinceræ puritatis figura, non fuit tamen immunis à labe amoris proprii: nam ex Arca nuntii locô emissa, rediit quidem ad illam; sed ea tantûm de causa, quia non invenit, ubi requiesceret pes ejus. Tertiò emissa: postquam nec aquas, nec caligines, nec nubes reperit sibi obstantes, sed omnia optimis florentia fructibûs, redire ad Arcam penitùs desiit. Christiane Lector: nonne pectoris tui *Sanctuarium* hoc quoque amoris proprii Idolum conspurcat? eia! imiteris generosum Deoquè

verò

verò devotissimum Judam, eligens cum ipso *Sacerdotes*, conscientiæ tuæ Rectores, qui assistentiâ consiliisque suis mundent *Sancta*, & *auferant lapides contaminationis in locum immundum.* Cogitesque cum illo de *Altari Holocaustorum* reparandô, quod per Idolum amoris proprii *profanatum est.* Ut imposterum in eo solius amoris Holòcausta offerantur in odorem suavissimum Domino.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 5. lib. 1. Machabæorum, in quo describitur: quomodo Judas expugnârit Edom, Bean, & Timotheum, & quomodo Sacerdotes sint cæsi, sine consilio exeuntes in prælium.

N.419. *Considera*: MUltiplices Victorias, quas Duce Judâ contra varios hostium insultus Judæi denuò reportârunt, Sacerdotum cladem non nihil imminuisse, & exinde natum gloriæ splendorem obfuscâsse. Causam hujus cladis exponit S. Scriptura v. 67. citati cap. dicens: *dum sine consilio exeunt in prælium.* Quod autem hîc Sacerdotibus in prælio materiali obtigit, id evenire solet Christianis in prælio spirituali, quod aggrediuntur absque prudentûm Magistrorum ductu & consiliis, ubi indiscretô zelô instigati mortificationis gladiô in propriam abutuntur perniciem, *quatenus*, ut de illis asserit S. Greg. M. moral. lib. 30. cap. 14. *non vitia carnis, sed ipsam carnem occidunt: & dum insequuntur hostem, civem etiam trucidant.* Jejuniis, vigiliis, orandi assiduitate, strati duritie, somni & quietis inopiâ, flagellorum & ciliciorum usu se ita emacerant, quasi à prima linea ad extremum usque punctum mediô non attactô perventuri: simillimi rosis, quæ quo plus odoris emittunt, eò citiùs marcescunt; hinc inter ipsa pugnæ spiritualis indiscreta primordia jam languent, torpent, fatigantur, multumque est, si non ab aratro removeant manum, & respiciant retrô, fracti instar arcûs, nimiùm intensi. Sancta Mater Ecclesia, Magistra discretissima, inter ipsa pœnitentiæ quadragesimalis lamenta ad lætitiam quandam pugiles suos exhilerat, cantans, cantariqúe jubens: *lætare Jerusalem! gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis &c.* utque verbis facta correspondeant: hinc vult illâ die Organa per festivum pulsum animari, inde exhilerans jejunantium corpora & animas teste Innocentiô III. Pontifice, qui ait; *scitis charissimi, quia corruptibile*

ptibile corpus inter coutinuas anxietates non potest subsistere, nisi quandoque recreationis medium, intercedat &c. Christiani hominis zelus & austerior vivendi modus debet lanceam Achillis imitari, quæ vulnerare simul, & curare poterat. Hinc asserit S. Bernardus Serm. 20. in Cantic. *zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia: sit fervidus, sit discretus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem habeat, nec discretione careat.* Jacobi Patriarchæ regulam in regendis ovibus observatum observare oportet: Is nonnisi pedetentim progredi eas voluit, dicens: *si oves meas in ambulando plus fecero laborare, morientur cuncti unâ die.* Quare etiam regius Propheta de se canit Psal. 110. *testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum Justificationes tuæ.* Dicturus per hoc: non audio, quid modus primò primus, aut indiscretus fervor mihi faciendum suggerat; sed quid loquatur in me Dominus, quid illuminata à tanto Duce ratio, quid jus, quid æquitas, quid discretio virtutum Magistra suadeat? est enim certum juxta effatum Magni Gregorii Moral. l. 28. c. 6. plerumque virtutem dum indiscretè tenetur, amitti: cùm discretè intenditur, retineri. Discipuli Christi postquam retulêre Magistro: quid effeciſſent prædicandô Populis Evangelium, non sunt jussi, ceptum laborem nullâ interpositâ requie, prosequi: *sed ite seorsum in desertum locum*, & requiescere pusillum. Inde S. Petrus discretionem edoctus Epist. 1. c. 4. admonet. *Charissimi nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis est.* Ipse Magister ex itinere, quod pro hominum salute, & Patris æterni honore susceperat, quando redux ad puteum venit, sedit ibidem exspectans cibum & potum. Quare Christiane Lector: ut in pugna contra carnem & insitas ei passiones feliciter constanterquè triumphes, id age, quod tibi agendum suadet S. Chrysost. homil. 16. in acta Apost. scribens: *semper quod mediocritatem custodit, amabile est &c.* Sicut qui cæco insidet equo, licèt generosissimo, & ad gradiendum optimè instructo: si per confragosa, & exitium minantia loca iter faciens, eum calcaribûs nimis urgeat, evidenti periculo vitæ se exponet; ita licèt ardentissimô flagres zelô, nisi rationis discretionisque dictamine ipsum dirigas, gravissimè impinges. Quare Propheta regius zeli modum præscripturus, hâc utitur phrasi: *laudate Deum in chordis & organô.* Ut enim chorda citharæ, nisi quantum fas est extendatur, non sonat; nec etiam benè sonat, nimiùm extensa: sic virtutis studium, nisi fit viribus accommodum, erit inordinatum, & displicens Deo.

FASCICULUS LXVIII.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 6. lib. 1. Machabæorum, in quo describitur Antiochi fuga, Judæ Victoria de Eupatore, Eleazari glorioſa mors, ſub elephante à ſe occiſo.

*N.*420. *Conſidera*: Diabolum nos tentationibûs impugnaturum imitari hoſtes Iſraëlitarum, qui ut refert S. Scriptura capite cit. *ſtruxerant inſidias, exercitum taliter dividendô, ut pars iret per montes excelſos, altera per loca humilia, & irent cautè & ordinatè.* v. 40. ita Diabolus ſuîs utitur inſidiîs teſte S. Leone Serm. 7. de Nativit. Dom. dicente: *omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemlibet viderit ſtudioſiùs occupari.* Hinc aciem ſuam ita inſtruit, ut quosdam impugnet ab alto, alios è profundo. Salvatorem, humilitatis amatorem oppugnaturus, ei vallem objecit; non ut inde per ſuperbiam aſcenderet ad Aſtra, ſed per temeritatem caderet deorſum. Econtra de Protoparentibus noſtris triumphaturus, eis ſublimem Divinitatis montem oppoſuit aſſerens: *eritis ſicut Dii.* Exploraverat priùs innatum eis genium, alta ſapientem. Obviavit olim S. Macario Dæmonum aliquis, multa portans vitreâ vaſcula, quem interrogavit Macarius, quid rerum ageret, & quo locorum tenderet? reſponſo tulit: ire ſe ad fratrum cellas, ut vaſa hæc monachis deferat, cujuslibet guſtui accommodas oblaturus illecebras, quibus illos tanquam per inſidias ad lapſum inducat. S. Anton. de Padua ſe reflectens ſupra id, quod Salvator meminit de Dæmone expulſo dicens; ambulare illum *per loca inaquoſa &c.* inquit: *Diabolus primò terram, id eſt mentem hominis circuit, id eſt ſubtiliter diſquirit, cui vitio ſit magis applicabilis? & poſtea eam perambulat, quia ſecundùm quod viderit aliquem vincibilem, eum tentat.* Hinc inſtar Catilenæ ſe gerit, qui Romanam Rempublicam graviſſimâ conjuratione debellaturus: ut haberet ſui conſilii exſecutores, omnium Senatorum animos exploravit, & hoc tandem multô conamine adeptus, ſuper-

superbis Dignitates, avaris thesauros, carnalibus & lascivis voluptates promisit. Sicut homo sylvam exscissurus, si ferrum habeat, quod caret manubriô, cassô desudabit labore, etsi maximum impendat: sin autem vel modicum Sylva illa præbeat lignum, quod manubrii locô deserviat, hoc unicum sufficiet magnæ lignorum stragi, paulatim inferendæ. Haud aliter sagacissimus Dæmon nobiscum agit: quando in nobis nihil reperit pravæ inclinationis, contra nos ferrum stringit, manubriô & virtute nocendi carens: at ubi vel parvum ad certa peccata appetitum expiscatur, habebit brevi fortissima arma, queîs fortiter nos impugnet, & vincat. Quare S. August. de Dæmonum tentationibus discurrens ait: Illos in tantum contra nos prævalere, in quantum prævaleant in nobis effrenes concupiscentiæ. Monet ergò Apostolus Ephes. 4. *nolite dare locum Diabolo.* Uti hasta, quæ in mollem clypeum incidit, eum penetrat, etiam tectum corpus vulnerans; sin verò in durum incidit, retroacta læsione caret: ita usuvenit in anima teste S. Chrysost. in Psal. 9. *mollem & delicatam si repererit, tela Diabolus infigit.* Cùm ventus aream sufflat, paleam secum aufert, triticô remanente. Causam hujus non dixeris ventum, sed paleæ levitatem: nî enim Judæ malitia lubens admisisset, quod explorator Dæmon in cor ejus immisit, nunquam tam enorme crimen commisisset. Quare Christiane Lector: de hoste infernali victoriam reportaturus, contra te ipsum stringe ferrum mortificationis, passiones & inordinatos appetitus supprimens, ut sic Dæmoni occasionem auferas te impugnandi. Imiteris Eleazarum: concupiscentiæ, contra te instar elephantis maximi insurgentis, intima rimare viscera. Hanc bestiam debellans, si morientur commoriaris in corpore, vives in anima.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 7. & 8. lib 1. Machabæorum, in quibus describitur novum bellum Judæ per Nicanorem motum, sed victoria penès Judam stante. Romanorum potentia, concordia, & fœdus à Juda cum illis initum.

Considera: JUdam Machabæum jam sæpiùs per Duces Demetrii invasum, & hiscè hostibûs abactîs, impetu adhuc fortiorî à *N.421.*

Nicanore invadendum : adeò infracti exstitisse animi, ut victoriam jam ante pugnam audiretur cantare. At quæres : undenam tantus Judæ creverit animus? tanta unde ei venerit fiducia? respondet Sacer textus v: 38. capitis 7. Judam blasphemias â Nicanore in Cœlum jactas Deo objecisse, non dubium: fore, ut iisdem permotus, ultricem manum stringat in blasphemantem ; *qui enim in altum mittit lapidem* (puta blasphemiam) *super caput ejus cadet. Eccles.* 27. viva quasi in imagine circumferebat Judas supplicium illud, quod Rex Senacherib lib. 4. Reg. cap. 19. ob blasphemias contra Deum effusas dedit, centum octoginta quinque millia militum unâ nocte ab Angelo occisa reperiens. Lata est Levit. 24. sententia supremi Judicis: *homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum, & qui blasphemaverit Nomen Domini morte moriatur.* S. Greg. M. lib. 4. Dialog. refert: puerum adhuc quinquennem in paterno gremio blasphemantem, à Dæmone abreptum, nunquam ultrà visum esse: & Cantipratanus refert: Simonem de Cornaio Doctorem Parisiensem celeberrimum in publico foro ausum dicere: tres exstitisse Impostores, qui mundo illuserint universo: Moysen, Christum, & Machometem, quorum primus Judæos, alter Christianos, tertius Saracenos infatuârit, subitô oculis retortis emisisse mugitum, & per epilepsiam elisum in terram, tertiâ abinde die miserrimâ morte obiisse, nonnisi concubinam suam nominare valentem. Optimè ergo de blasphemis cecinit regius Propheta Psal. 39. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Nec mirandum: quòd Deus aliàs ad puniendum gravissima crimina lentas habens manus, tam celerem vindictam inferat blasphemis; si perpendamus, blasphemiam scelus esse cæteris omnibûs longè majus, utpote immediatè oppositum divinæ Bonitati. *Omnia aliæ peccata*, inquit S. Bernardus tom. 4. Serm. 32. *videntur procedere partim ex fragilitate naturæ humanæ, partim ex ignorantia : sed illud peccatum blasphemiæ procedit ex malitia; & quantò est major Persona offensa, tantò major est culpa, & plus crescit malitia culpæ, & sic blasphemia in se continet majorem malitiam aliis peccatis. & nullum est peccatum, quod in se habeat tantam iniquitatem, sicut blasphemia.* Est sanè illa tam enorme crimen: ut etiam creaturæ insensibiles illud inultum perpeti nequeant. Cùm Genevâ Losanam (ut memorat Drexelius) iter faceret Hæreticus cum Catholico, & iste exortâ tempestate Cœloque tonante signum S. Crucis fronti imprimeret: ille verò id cernens ridentî ore quæreret:

abige-

abigeretnè muscas ? illico sensit blasphemiæ suæ indignans elementum ; dum fulmine percussus in cineres resedit, catholicô nequidquam læsô. Tam fortibûs argumentîs convictus frenum utique impoens linguæ Christiane Lector, ne unquam in verbum resolvatur, divino Nomini injuriosum.

Considera porrò insigne illud Encomium, quod Sacra Scriptura cap. 8. de Romanis, eô tempore Ethnicis deponit, scribens de illis: *& non est invidia neque zelus inter illos.* O si Christiana Roma, aut quævis civitas Romano Catholica sibi tale vindicaret Encomium, quam arcta Societas, quam fervens Charitas & inde nata felicitas inter cives ejus floreret. Sed proh dolor atque pudor! quod Scriptura laudat in Ethnicis, hoc vituperare cogitur in Christianis, quos inter frequentius nihil, quàm zelus & contentio, atque alia inde nasci solita crimina: cùm tamen eorum auribus tam crebrò insonent verba hortantis Apostoli: *deponentes omnem malitiam & invidiam &c.*

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 9. lib. 1. Machabæorum, in quo describitur: quomodo Judæi sub Jonatha successore Judæ in silentio habitantes considenter, iterum cœperint oppugnari.

Considera: DÆmones, piorum hominum juratos hostes, nullô tempore contra eos magìs insurgere, quàm eô, quô student silentio: utpote qui probè nòrunt, silentium esse omnium virtutum matrem & custodem. Testis est S. Bernardus, qui ait Epist. 89. *Ubi silentium, ibi Cœlum.* Confirmat hoc S. Joannes Apocal 8. dicens: factum esse silentium in Cœlo. Id autem cùm Lucifer non tenuerit elatâ voce exclamans: *super Astra exaltabo Solium meum, similis ero Altissimo.* Cùm ingenti Sociorum confabulantium & conspirantium turba projectus est in locum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, & miserrimæ ululantium voces inconditiqúe audiuntur clamores. Creaverat Supremus rerum omnium Conditor Protoparentes nostros in statu Innocentiæ, & originalis Justitiæ veste eos induerat, ponendos aliquando in Paradiso cœlestî, nullâ prævîâ morte, nî divino rebelles se monstrarent mandato. Erat hoc compertum ser- *N.422.*

serpenti astutissimo; & hinc totus in eo occupabatur, ut modum inveniret, quô eos de felicissimo hoc statu in extremum miseriæ barathrum ad se traheret. Et hem! dum Evæ silentii fractionem suadet, & persuadet, suô potitur votô. *Ideò Eva lapsa est*, asserit S. Ambros. lib. 1. de off. *quia locuta est viro, quod non audierat à Domino suo: si Evæ clausa fuisset janua, nec Adam deceptus fuisset.* Hanc autem protoparentum nostrorum & totiùs Posteritatis ruinam reparaturus secundus Adam Christus Dominus, ex Virgine silentii tenacissima natus est eô tempore, quô *silentium tenebant omnia.* Ad hæc instar Agni coram tondentibus se totâ Passione obmutuit, non aperiens os suum. Seraphicus Franciscus Salvatoris sui silentium imitaturus, jussit fratres suos eidem servando tantâ vigilantiâ incumbere, quasi Cœnobium meram abiisset in solitudinem. S. Thomas Aquinas *teste Suriô in vita ejus*, hac quoque in virtute Christi æmulus *mutui bovis* cognomen, sed non inglorius, obtinuit. Agatho Abbas totô trienniô lapidem ori impositum gerebat, ne silentio monastico foret unquam injurius. Noverant hi Sancti: supremum Christianæ perfectionis apicem à Jacobo Apostolo in sedula linguæ custodia situm esse, qui ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* De Sponsa, quæ Christianæ animæ perfectionem assecutæ, typus est, inquit Sponsus Cantic. 4. *Sicut vitta cocinea labia tua.* Ut autem vittâ utitur homo ad constringendos crines, ne dissolutè diffluant, ita virtuti & perfectioni Christianæ deditus labia ligat, & ea cohibet, ne in mala & inutilia prorumpant verba. *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Proverb. 13. Regius Propheta, qui ingentem variarum virtutum cumulum collegerat, ne quid ex eo perderet fervidâ oratione poscit Psal. 140. *pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis &c.* S. Mater Ecclesia primas inter preces horarias illud à Sacris Personis peti vult: *linguam refrenans temperet.* Quasi certa, silentii studium fortissimam esse contra vitia diurna armaturam, & homines eò propiùs perfectioni accessuros, quô minùs à servando recesserint silentio. Quare si successu temporis in locis Deo sacratis, puta in Cœnobiis, non nihil cœpisset remitti disciplina, Illi, quibus reformatio incubuit, non invenêre remedium aptius, quàm silentium exactè introducendum: ut nempe ex cujus neglectu videbatur ruisse Religio, ex illius stricta observantia denuò resurgeret. Sic Cornel. à Lapide in caput 58. Isaiæ super verba: *Sepem circumdedit ei.* Profitetur: S. Romualdum Camaldulensium

Insti-

Institutorem, ad reformationem juxta Regulam sanctiss. Patris nostri faciendam, non efficacius sciviſſe remedium, ipsâ strictiorî observantiâ silentii: hâc enim obtentâ quid aliud necesse est sequi, nisi illud Thren 3. dictum à Prophetâ: *præstolatur homo in silentio salutare Dei.* Habendô videlicet exactam rationem temporis, vivendô ad amussim sui instituti, excludendô omnem otiositatem, evitandô distractiones & dissolutionem morum. Erit adhæc recollectus in oratione tam vocali quàm mentali, fervidus in suis functionibus, custoditus in sensibus, in omni opere præmeditatus, & mente in Deum frequenter raptus. Hæc præconia, de silentio & linguæ custodia nunc dicta, Christiane Lector tuo cordi imprime & si tibi cordi est animæ tuæ perfectio, huic virtuti præ cæteris stude, vitiorum omnium, te impugnare præsumentium, Victor futurus.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 10. & 11. lib. 1. Machabæorum, in quibus describitur, quomodo Judæorum societatem & adjutorium omnî modô Demetrius & Alexander quæsierint.

Considera: SI hominum terrestrium amicitia & fœdera tam avidè quæruntur, ut eorum auxiliô hostium impetus reprimantur: quantò magis oporteat fœdera & amicitiam quærere eorum, qui eô fortiores sunt, quô propinquiores Deo, & de quibus asserit S. Ambros. lib. 6. de Abraham. *Illorum nos fides servat, Justitia ab excidio defendit.* Periisset universus orbis triplicî percussus telô, nisi Virgo beatissima cum SS. Dominico & Francisco suis suffragiis retinuissent ultricem Dei manum. In Provincia Valeriæ Monachi à Longobardis irruentibus invasi, fugière ad sepulchrum Patroni sui Equitii, & precibûs ibidem vix fusis adfuit illis adjutrix è Cœlo manus, quæ Dæmonibus copiam fecit, hostium corpora obsidendi, ut testatur S. Greg. M. lib. 1. Dialog. c. 4. cùm Treviris gravissima lues grassaretur S. Nicetus Civitatis illius Episcopus ad SS. Patronos Eucharium & Maximum sese calidis precibûs convertens, nocte horridum audivit fragorem additâ voce: *Discedamus ab urbe, eò quòd ad unam portam urbis S. Eucharius ad alteram Maximus vigilent: in medio autem perambulet Nicetus.* Hinc optimè ad nostrum scribit propositum S. Basil. Homil. 20. in quadra- *N.423.*

quadraginta Martyres : *paratum hîc est Christianis auxilium, videlicet Martyrum exercitus triumphantium, Chorus laudantium Deum &c.* Hi sunt illi, qui nobis certam promittunt assistentiam, dicentes cum Petro 2. Epist. c. 1. *dabo autem operam, & frequenter vos habere post obitum meum.* Hi sunt, quos moriturus Jacob super filios & Nepotes suos voluit invocari, asserens: *invocetur nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham & Isaac.* Hi sunt, de quibus in Baruch Propheta legitur cap. 3. *Domine omnipotens, audi nunc orationem mortuorum Israël, & filiorum ipsorum.* Hi sunt, de quibus 1. Thessal. 2. ait Apostolus: *quæ est spes nostra.* Porrò vanâ curâ tanguntur illi, qui Novatorum mores & Doctrinam secuti asserunt: Sanctos auribûs carere, queîs percipiant clamantium ad se voces, carere oculîs, quibûs clientum suorum intueantur miserias & necessitates. Dico enim: illos talibûs esse instructos auribûs & oculîs, qualibûs instructos esse Angelos testatur ipse Christus, dicens de his: quòd majorî gaudiô sint afficiendi super pœnitentia unius peccatoris, quàm super nonaginta novem justis. Et quis ambigit: divinam claritatem eis speculi locô servire, omnia repræsentantis, quæ eos concernunt? si enim Paulus Cœlum, & in Cœlo Christum triumphantem habuit spectandum constitutus in terra: cur non etiam Sancti à corporeis impedimentis soliti cernant supplicum suorum clientum necessitates? taceo Concil. Authoritates, SS. PP. testimonia, in Polemicis meis joco-seriis adducta. Non enim id mihi nunc negotii est, ut in arena contra Novatores decertem. Tuam Christiane Catholice Lector fiduciam, quam fovisti hucusque erga Sanctos, novô zelô inflammare contendo, qui propriâ forsan experientiâ hactenùs didicisti, verissima esse: quæ succinctô calamô probavi. Nec habet devotus Sanctorum famulus, ut vel à longè metuat, injuriosum se fore Deo talî cultu: nam injuriam non infert Principi, qui primos ejus Ministros accedit, ut precibûs eorum suffultus, suorum votorum compos à Principe recedat, ipsô Deo hortante Job cap. 42. *ite ad servum meum Job, & offerte Holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis.* Age ergo fidelis anima: spem, quam in Sanctorum præsidio collocas, fervidîs precibûs contestâre piaquê vitâ: *habet vim, & quidem maximam*, inquit S. Chrysost. homil. 5. in Matth. *orationes fidelium; sed tunc profectò, cùm nos quoque id ipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus.* Cæterùm noli ingratitudinem eorum imitari, qui in adversis auxiliô Sanctorum adjuti,

adjuti, in prosperis beneficii obliviscuntur accepti, se gerentes instar Demetrii, Judæis (ut testatur cap. 11.) ingratissimi.

FASCICULUS LXIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina 1.

Desumpta ex cap. 12. & 13. lib. 1. Machabæorum, in quo describitur: fœdus & amicitia Judæorum cum Romanis & Spartanis renovata. Tryphonis simulata amicitia & inde orta Jonathæ captivitas, obsides Tryphoni missi, occisi.

Considera: MIram veræ & falsæ amicitiæ antithesin, quam caput duodecimum hìc exponit. Vera amicitia florebat Romanos inter & Judæos, utpote talis, quæ (licèt plurima fluxerint tempora, durantibûs quibûs litterale colloquium inter illas Gentes cessaverat) illa tamen nequaquam inde deleta est. Quare S. Ambros. de vera amicitia loquens lib. Off. ait: *amicitia, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera.* Giraldus Lilius teste Engelgrav. emblem. 45. p. 2. veram amicitiam hâc depinxit figurâ: stabat *juvenis tectò capite, tunicâ rudi* indutus, in sua fimbria depictum deferens: *vita & mors.* In fronte: *æstas & hyems.* Erat ei latus apertum, digitusque cordi intentus cum hoc epigraphe: *longè & propè.* Præsignabat ergo *flos juventutis*, amicitiam semper florentem. *Nudum caput*, amici bonum ab amico semper quærendum. *Rudis tunica* laborum tolerantiam. *Mors & vita* societatem, nullô casu interrumpendam. *Æstas & hyems* prospera & adversa. *Latus apertum* candorem animi. *Cor patens* sincerum affectum amoremque. *Longè & propè* constantiam ubique locorum servatam. Verum amicum se probaverat Archangelus Raphaël juvenis speciem indutus: nec enim unicô momentô liquit latus junioris Tobiæ; sed quem sanum duxerat paterna è domo, hunc sanum quoque reduxit, à millenis conservatum periculis, & di- *N.424.*

viti uxori conjunctum. Veras amicas se probaverant mulieres illæ, quæ emerant aromata, ut venientes ungerent Jesum. Harum officia ita describit Manhantius Dom. Pascæ: *in vita continuò secutæ sunt affectu & obsequio: dum exivit bajulans crucem, & dum ipse vestigia sua sanguine respergeret, illæ eadem respergebant lacrymis. Adstabant Crucifixo confixæ ei corde. Noctes quoque sequentes egerant vigiles ad amorem & dolorem. Venerunt ad monumentum, ut ei, quem viventem dilexerant, etiam mortuo humanitatis studiò obsequantur.* Illas sanè nec tenebræ, nec militum custodia, nec lapis monumentum contegens sejunxerat à Dilecto. Est quidem modernis Christianorum temporibus frequentius nihil, quàm *amici* Nomenclatura. Vox ista legitur in litteris, resonat in congressibus, auditur in compitis, crepat in saltibus, bibitur in epulis. Sed nomen nudum sine omine, etiam usurpatum ab illis, qui juratos illorum hostes se comprobant, quos tali nomine compellant: ut olim suò docuit exemplò Tryphon, fictæ amicitiæ vinculis Jonatham constringens, & vinctum trahens in Ptolomaida, ubi clausis post tergum portis eum comprehendit, & cæsis omnibus, quos secum habebat sociis, captivum retinuit v. 49. capit. citati. Talem amicum Christus in Juda proditore expertus est, amoris osculum non alia de causa infigente, quàm ut dolò captum Judæorum manibus traderet in prædam. Non disparem amicitiam universo demonstravit Orbi meretrix Babylonica, quæ scyphum aureum in manu deferre visa est, ut dulci hoc venenò omnium corda corrumperet, fallaciis sibi attracta. Tot ergò falsæ amicitiæ exemplis deterritus Lector Christiane, illius solùm amicitiam quære, qui solus animam suam dedit pro amicis suis. *Non invenietis*, inquit Thomas Kemp. p. 3. Serm. 2. ad Novit. *fideliores amicos & potentiores in Cœlo, quàm Jesum Regem Angelorum, & Mariam Dominam nostram Reginam Angelorum.*

Cerne porrò insigne fraterni amoris fidelisque amicitiæ à Simone datum specimen, qui etsi nôsset: Tryphonem non fore dimissurum Jonatham pro pecuniis, & filiis ejus obsidum locò accipiendis; eos tamen transmisit Scripturâ teste cap. 13. v. 17. facturus ex parte sua, quod fraternus sincerusque exigebat amor, qui extrema tentare jubet, licèt irritò conatu laboreque nonnumquam desudetur. O quàm econtra exiguis quandoque pecuniis è Barbarorum dirissimâ servitute liberari possent Christiani fratres nostri; sed quàm paucos reperire, qui veros amicos se illis exhibeant? quot inter flammas pur-

purgantes animæ die noctuque clamant: *miseremini mei saltem vos amici mei!* quibus redimendis parvæ eleemosinæ, breves orationes, pauca mortificationis opera sufficerent: & tamen hæc ipsa eis denegantur.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 14. lib. 1. Machabæorum, in quo describuntur Pax & requies Judæorum sub Simone obtenta, fœdus cum Romanis & Spartanis renovatum.

Considera: PAcem & requiem, quam Judæi post varia belli tempora tandem sub Simone obtinuerant, figuram esse Pacis & Quetis illius, quâ Electi post exantlata vitæ hujus prælia sub Duce Christo erunt æternùm fruituri, tunc *unusquisque* (ut hîc asserit S. Scriptura v. 12. & 13. capitis cit. *sedebit sub vite sua & sub ficulnea sua, & non erit, qui eos terreat.* S. Augustinus hanc Pacem & Requiem exactiùs perpendens exclamat in manuali: *ò Vita vitalis! vita sempiterne beata! ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, Dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte perpetuitas sine corruptione, Beatitudo sine calamitate.* Regius Propheta mentis oculô intuitus hunc Pacis & quietis æternæ statum, etiam in ipso tantùm atrio possidendum, profitetur plus solidæ dulcedinis afferre unâ die, quam quidquid collectim sumptum mundus mille annîs afferre posset. *Melior est dies una in atriis tuis, super millia* Psal. 83. Dives ille inter obscurrissimas Tartari umbras & acutissimas sedens flammas, tantam crediderat virtutem inesse uni digito, aquîs cœlestibûs tincto, ut sufficeret: omnì siti & tormentis ejus extinguendis. Dominus ille Evangelicus peregrè profectus, postquam Domum rediit, pro meritis servos suos remuneraturus, non est auditus dicere *posside gaudium Domini tui, aut fruere gaudiô Domini tui; sed intra in gaudium Domini tui.* Erat gaudium isthoc typus Beatitudinis ætetnæ, quæ cùm ob immensitatem suam à nemine hominum possit concludi, & comprehendi, necesse est: ut eam Beatus ingrediatur absorbendus ab ea sicut guttula ab Oceano penè infinito. Ita absorptus legitur ille miles speculô exempl. 13. v. cœlest. Glor. qui à defuncto socio ad solemnes epulas (cœlestium ferculârum tantummodo umbras) invitatus: cùm ultimo etiamnùm cibo adfuisset, redire ad suos jussus, invenit Monasterium locô domûs, de qua priùs exierat, exstructum sicque N.425.

sicquè ducentis annis emansit. Ita pariter absorptus est ille Monachus, qui ab avicula suaviter cantante seductus; cùm ambigeret de veritate Verborum Prophetæ regii dicentis: *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit*; per trecentos annos in hac unica cælestis musicæ figura detentus est. At quid multum laboris impendam in explicanda Beatitudine cœlesti, dum ipse Apostolus eâ transeunter fruitus fateri cogitur 1. Corinth. 2. v. 9. *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum.* Quæ verba altissimâ mente contemplans Silvanus Abbas, cùm prolixiores fudisset preces, manus suis oculis apponens, sic eos allocutus esse fertur: *ò oculi mei! diem vobis negari permittite. Claudamus hîc valvas, quæ vix unquam sine periculo patent. Nihil est in Orbe terrarum, quod dignum visu sit. Quidquid ostentat terra, modicum est & vile, nihil ad Cœlum. In Cœlo magna, pulchra, æterna sunt. Illic abundabimus, ubi Deum videbimus.* Ut enim solis unicus radius magis Orbem, quàm omnia cætera Olympi sidera illuminat: ita unica Dei fruitio plus liquidi affert gaudii, quàm omnes deliciæ simul possessæ, vel etiam tota æternitate possidendæ. Quid ergo Christiane Lector te detinet in hac miseriarum valle, ut non toto annisu ad Cœlum properes? hic vides formosam Rachelem, sed nonnisi sterilem, vides fœcundam Liam, sed Lippam, vides Naaman syrum divitem, sed leprosum. Miraris & permagni æstimas Regum potentias, Ducum Victorias, urbium palatia, palatiorum cameras, hortorum flores, Principum ornamenta, fœminarum elegantiam, sapientum doctrinas: sed quid hæc omnia admirationis tuæ sunt objecta, nisi Prophetâ teste: *fœnum & flos agri*? ut pulcherrimè advertit S. Ambros. lib. 3. Hexam. caq. 37. dicens: *Dei sententia non humana est omnis caro fœnum. Et verè viret enim gloria hominis in carne, & quæ putatur esse sublimis, exigua quasi herba est, præmatura ut flos, caduca quasi fœnum, germinat vitæ viriditatem inspeciè, non in fructu soliditatem &c. surgite! eamus!* admonet ergò me & te Christus Christiane Lector. Erigamus animam humi jacentem, ad superna dirigamus mentis oculos, volemus super inconstantiam hujus lunæ. Quidquid difficultatis habet via ducens ad patriam, unicâ Beatitudinis cogitatione dulcescet. Sicut ursi alvearia invadunt, favorum dulcedine allecti, quos melle plenos credunt, nec ullos apum aculeos timent, aut curant; ita quidquid asperitatis obviat, unica Cœli memoria expellit.

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex residuis capitibus lib. 1. Machab. in quibus describitur: Antiochus Simoni fœderatus pacta rumpens. Simon cum filiis à Ptolomæo perfidè necatus.

Considera: PRomissa hominum similima esse anguillæ, quæ dum creditur teneri, jam elapsa cernitur. Hoc eventus docuit Judæos, testante Sacra Scripturâ capit. 15. v. 27. Antiochum nullis stetisse promissis, quæ fecerat Simoni, rumpens omnia, quæ fuerat ante cum eo pactus. Hoc ipum moderna sæpè tempora Christianos docent: dum non simplicia tantùm, sed jurata quandoquè franguntur promissa; non alia de causa, quàm quòd Ratio statûs id videatur exegisse. Perpende econtra stabilem illam & infractam promittentis Dei fidelitatem: *Sponsiones ejus* teste S. Chrysostomô *certiores sunt, quàm res, quæ in nostris manibus tenentur.* Sponponderat piissimo Simeoni; non visurum se mortem, antequam vidisset Christum Domini. Et hem! non vidit tantùm, sed & visum palpavit, brachiis strinxit, portavit manibûs, pectori admovit, sacrô sibi univit osculô. Promiserat Numeri 17. facturum se, ut flores nascerentur in illius Virga, qui dignus haberetur sacerdotiô. Et hem! Virga illa non tantùm floruit, sed & amygdala produxit. 4. Reg. 14. promisit: Regem Asyriorum Jerosolymam, quam obsederat, non fore ingressurum, nec missurum in eam sagittas, & hem! non tantùm hæc omnia evenêre, sed Angelus Domini nocte illâ percussit Assyriorum centum octoginta quinque millia. Hanc summam Dei fidelitatem ad exactiorem mentis suæ trutinam ponens Regius Vates exclamat Psal. 118. *Principium Verborum tuorum Veritas.* q. d. tantam certitudinem divinis inesse promissis, ut dixisse, vel etiam cœpisse dicere, perinde sit, ac jam promissa implêsse. N. 426.

Dicam ergo cum Jeremia c. 17. *benedictus vir, qui confidit in Domino &c.*

FASCICULUS LXX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 2. Machabæorum, in quibus describitur quomodo Judæi excitati sint ad celebrandum Festum Ignis, & inculcata eis memoria beneficiorum &c.

N.427. *Considera:* OMnia Christianorum Festa haud aliter, quàm *Festa Ignis*, igneô videlicet zelô celebranda esse, mente ad contemplationem cœlestium rerum elevatâ. Quare mellifluus Doctor tom. 2. Serm. 20. a. 1. asserit: *viderat* (Deus) *humanæ fragilitatis conditionem, quantum in aliis diebûs totius hebdomadis mundanorum memoriam hominum sollicitudines occuparent, intelligentias excederent, & voluntates occuparent: ideò, ut animarum prævideret ruinæ, tutasque redderet ante casum: memento ait: ut diem Sabbathi Sanctifices.* Ipsemet ergo factîs docturus, quod præceperat verbîs: cùm totâ hebdomade plueret Manna de Cœlo, die tamen Sabbathi non pluit, ut discat homo: hanc Sacram, & solis Spiritualibus negotiis impendendam diem, nullô sæculari negotiô terendam esse. Nonne meritò Pater irascitur filio, quem à domesticis curis & operibus liberatum ad nobile mittit studium, ut inde sibi magnam comparet gloriam: si filius ille, tempus ad tam eximium finem sibi concessum: aut inutilibus negotiîs, aut merîs lusibûs conterat? ita meritò indignatur Deus Christianis, quando cogitur experiri: quòd Dies festos, quibûs eos voluit à laboribus domesticis esse exoneratos, & nobilissimo Cultûs sui propriæque salutis studio esse intentos, sæcularibus negotiis, lusibûs, conviviisque consumant. S. Columbanus Patriæ nostræ cum S. Gallo Apostolus tantâ devotione dies Sacros peragere consueverat, ut illîs durantibûs navigans ancoras jusserit tolli, & vela contrahi. Etiam ipsi Japonenses Barbari teste P. Abraham à S. Clara p. 3. Judæ Festivitatibus suis exactè colendis adeô dediti fuerant, ut præter summam Devotionem, quam impenderant, ingentes auri Thesauros ad solemniorem Templorum ornatum illîs diebûs offer-

re

re cernerentur. Erant haud dubiè persuasi tales Barbari, obligari se ex titulo gratitudinis ad præstanda talia pro Beneficiis, quæ accepêre à Diis. Cur non ò Christiane Lector! idem titulus te quoque impellat? utpote cui certissimum de fide est: te millenîs beneficiis per hebdomadem cumulatum testari debere cum Hebræis cap. 2. v. 19. *Eripuit nos de magnis periculis*, è facuibus mortis eruens, conterens serpentem, Infernum claudens, & Cœlum aperiens, pro quibus teste S. Thoma à Villa nov. *aliud tributum non exigit, quàm amorem & Cultum.*

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 3. & 6. lib 2. Machabæorum, in quibus describitur pœna Heliodoro ob Sacrilegium inflicta. Laus Elazari ejusque Constantia.

Considera: SI Sancti Angeli tam graviter sint ulti sacrilegum illud Heliodori facinus, perpetratum in Templo insensibili & inanimato, quàm longè gravius sint ulturi Sacrilegia à Christianis commissa in Templis Dei animatis, qualia sunt Spirituales animæ teste Apostolo asserente: *Templum Dei, quod estis vos.* Ejusmodi verò Sacrilegia contingunt per nefaria pusillorum Scandala: quibûs mediantibûs innocentes animæ ad peccandum inductæ thesaurô innocentiæ & divinæ gratiæ privantur. *Væ! mundo à scandalis*, ait Christus Matth. 18. Rationem hujus assignat S. Bonaventura in c. 7. Lucæ scribens: quia scandalum aufert Christo illud, quod amat maximè, nempe animam. & S. Bernardus Serm. 1. de Convers. S. Pauli inquit: *si proprium sanguinem dedit in pretium Redemtionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione malignâ, exemplô pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm à Judæo, qui sanguinem illum fudit? &c.* Atque hinc licèt suppliciumillud, quod divina Justitia intulit Regi Achab fuerit apprimè rigidum, multò tamen atrocius illud exstitit, quod de scandalosa Jezabele sumpsit: Rex enim in bello infeliciter gesto vitam perdidit, canibûs modicam sanguinis ejus partem lingentibûs: Regina verò è fenestris præceps acta, proculcata ab equis, à canibus lacerata, soloque craniô summisque pedibus relictîs devorata est. Florentius Presbyter, discipulorum Sanctiss. P. Benedicti, ruinam per nudas puellas in hortum eorum immissas quærens (etsi effectu caruerit affectus) divinæ tamen Nemesi horrendam dedit *N.428.*

dit pœnam, oppressus solariô domûs, quod repentinô casu lapsum fuerat: ut innumera taceam puniti Scandali exempla. Ad hæc mirabile est: quòd in notissima illa Zizaniorum parabola Sacer Evangelii textus dicat: supremum Judicem in fine Mundi missurum in Ecclesiam suam Angelos suos, ut congregatô in horreum triticô, Zizania igni tradant: ubi addita leguntur verba hæc: *& colligent de Regno ejus omnia scandala.* Quæso: cur non ibidem quoque meminit aliorum scelerum, quæ pariter sint auferenda? cur nihil retulit de perjuriis, de blasphemiis, de incestibus &c. de solo scandalo locutus? ingeniosè respondet Recentior quidam: solius scandali fieri mentionem, per ignes tartareos puniendi: eò quòd nullum aliud crimen reperire sit dignius illô supplicio; hoc enim peccatum unicam exstitisse causam conditi à Deo inferni eô tempore, quô Lucifer superbiâ suâ tot Angelos infecerit, & infectos traxerit secum in extremam perniciem. Cogita ergo Christiane Lector: annon & tu in finali Judicio futurus inter Zizania, ab Angelis colligenda, & mittenda in ignes æternos, qui tam sæpè ad confabulandum durantibûs sacrîs in Ecclesia alios provocas? qui verbîs aut muneribûs ad illicitum amorem allicis? qui in tuis ædibus exponi facis lascivè pictas imagines? qui invitas, imò urges alios ad bibendum fortia vina, non dubius: illos fore talibûs inebriandos? quæso: quâ vindictâ divinæ Justitiæ Ministri talia plectent? considera factum Elezari cap. 6. descriptum, qui multô amicorum hortatu eò adigi non potuit, ut impii Antiochi jussis satisfacturus, saltem simularet, se vetitas carnes manducare: sed ore intrepidô respondit, præmitti se velle in Infernum, causam hujus assignans, dicendô ibidem: *non enim ætate meâ dignum est fingere, ut multi adolescentûm, arbitrantes: Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.* O quàm generosa hæc scandali fuga, à Christianis non tantùm admiranda, sed & imitanda!

Doctri-

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 7. 8. & 9. lib. 2. Machab. in quibus describitur crudele Martyrium septem fratrum unà cum Matre generosè sublatum. Antiochus percussus à Deo, serò pœnitens &c.

Considera: INsignem illam Doctrinam, quàm tertius Machabæorum fratrum, pro fide suâ tam generosè morientibus, nobis omnibus præbet. Is quippe linguam proferre jussus, non tantûm eam lubens protulit; sed testante S. Scripturâ v. 10. cap. 7. *manus constanter extendit.* Per linguam Professionem Fidei per manus opera, fideli homine digna, intelligi incompertò est: ergo opera conjungenda sunt Verbis ò Christiane! eris aliàs Professor Fidei, sed mortuus: vocem habens electi *Jacob*, sed manus reprobi *Esau*; & hinc asserit Apostolus Jacobus 2. *sicut corpus sine spiritu mortuum, ita & fides sine operibus mortua.* Regius Propheta suam fidem testatus, postquam Psal. 115. cecinit: *propter quod locutus sum*, immediatè subnexuit: *ego autem humiliatus sum nimis.* & in eodem exclamavit: *calicem salutaris accipiam.* Ut sic demonstret facta conjuncta Verbis. Vix Christianâ fide fuerat imbutus Paulus, jam totus se labori accinxit: adeò, ut de se profiteretur 1. Corinth. 15. *abundantiùs illis omnibùs laboravi.* S. Ambros. tom. 1. serm. de jejunio Eliæ, fidem Petri nominat *clavem Cœli*: at quis nescit, clavem ea de causa haberi, ut illa manibùs tractetur, reserandis applicanda seris! æternus animæ Sponsus, suæ Sponsæ conjungendus, non est auditus dicere: *ducam te, tu eris uxor mea &c.* sed: *desponsabo te mihi in fide* Oseæ 2. constat autem: Sponsalia celebrari annulô connubialî, digito Sponsæ insertô: ut sciat: quòd opera per digitos indicata, copulanda sint fidei. Patriarcha Jacob è domo paterna profugus: ut diuturno ab itinere fatigatus se tandem somno dedit, vidit sibi objici Paradisum cœlestem, descendentibûs per scalam Angelîs: & è somno evigilans tremulâ voce dixit Genes. 28. *quàm terribilis est locus iste!* econtra luctatus cum Angelo luctâ sanè gravissimâ hilaris atque serenus excusô je omnî terrore dixit: *nunc salva facta est anima mea.* Dic sodes? cur hîsce Verbîs non potiùs in prima visione usus est, quando omnis lætitiæ sedem, Cœlum videlicet, apertum vidit? occur-

N. 429.

rit dubiæ quæstioni Josephus Mans. responsô ad nostrum propositum perquàm accommodô, dicens discursu 8. de Fide: apertus dum fuerat Paradisus Ipse dormiebat; ex quo probè intellexerat; quòd ad superna Cœlorum habitacula nullus ingrediatur, qui complicatîs in sinum manibûs torpet, & non operatur; sive qui non cum hoste certat, & vincit. Siquidem non coronatur, nisi qui legitimè certaverit. Hinc est: quòd dormiens Cœlum apertum cernens expaverit; at verò quando totâ nocte cum Angelo luctatus Victor evasit, Cœli tamen Benedictionem accepit, licèt in tibia læsus; & liberè atque audacter exclamare potuit: *nunc salva facta est anima mea.*

Hæc quoad substantiam præfatus Auctor, observans pariter: Patriarcham istum morti proximum collegisse pedes super lectulum, quæ collectio Mysteriô non careat, dum per pedes opera intelligantur; adeoque Jacobum (qui videns interpretatur) moriturum fidei conjunxisse opera, per vitam exercita, & his duobus innixum, iter æternitatis securè ingressum esse. Taliter se gessit fortissima illa mulier, septem filiorum Mater, quæ illos docuit: non tantùm veràm Religionem Verbîs, sed & factîs profiteri, Leges patrias non solùm exactissimæ observandô, sed etiam pro iis strenuè moriendô. Judæ Machabæo teste S. Scripturâ hîc c. 8. v. 6. pariter non sufficerat: Sacratissimam legem solâ fide colere; sed ut eandem factîs publicîs profiteretur, castella hostium improvisô incendiô concremavit, nolens reconciliari illis v. 16. sed residuum agmen in prœlium erexit dicens: *ante oculos habentes contumeliam, quæ loco Sancto ab his injustè illata est.* Antiochus econtra, horrendîs doloribus corporis ad extrema vitæ pessime deductus; etsi ad agnitionem vindicis Dei venerit, exclamans v. 12. capitis cit. *justum est subditum esse Deo.* Miserabilî tamen morte periit v. 29. causam hujus afferente S. Scripturâ, quando v. 14. eum Jerosolymam properâsse, ut civitatem *ad solum dirueret, & sepulchrum congestorum faceret.* Sicquè Deum quem ore professus est, factîs negavit.

Doctri-

Doctrina 4.

Desumpta ex residuis hujus libri capitibus, in quibus describitur subsidium Angelicum, Hebræis è Cœlo missum. Judæ Machabæi exhortatio de fuga peccati, de cura pro sacrificio mortuorum.

Considera: Plis Christianis cum invisibili hoste pugnaturis idem obtingere, quod teste S. Scripturâ cap. 11. obtigit Machabæis, cum visibili hoste pugnaturis: nam mittitur Angelus, qui eos præcedat, ut asserit regius Vates Psal. 33. *immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Viditque Joannes Apocalyp. 20. *Angelum descendentem de Cœlo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu suâ, & apprehendit Draconem serpentem antiquum.* Junior Tobias talî custodiâ præmonitus Assmodæum de septem viris triumphantem felicissimè superavit. Sicut lacertula conspiciens serpentem homini insidiantem, quantociùs involat in faciem ejus, vellicandô dormientem excitans, ut sibi à periculo vitæ caveat; ita Angeli custodes hominem in præsenti salutis periculo versantem hortatibus suis excitant, ut Sacrô præsidiô firmatus animæ suæ caveat. De tali ergo cœlestium militum custodia & ope certus, quid quæso adversi à tartareo hoste timeas Christiane? hinc instar Machabæorum audacter in aciem contra eos progredere: id unicum agens, ut nihil agas, quod purissimos Angeli tui oculos offendat: sicut enim fumus arcet apes, & fœdus odor expellit columbas, ita peccatum abigit aligeros hosce milites. *In quovis angulo*, admonet S. Bernardus. *Angelo tuo reverentiam habe, nec audeas illô præsente, quod me vidente non auderis &c.* N. 430.

Porrò sub nomine albi illius equitis, qui Machabæos tam fortiter in pugnam accendit, poterit non incongruæ intelligi bona hominis conscientia, quæ albâ Innocentiæ veste induta, ad quævis obvia hominem animat pericula, nullatenùs timenda. Noverant hoc ipsi Ethnici: & hinc Bias interrogatus: *quid in vitæ metu careret?* reposuit *bona conscientia.* Et Socrates quæsitus: qui sine perturbatione viverent? respondit; *qui nihil sibi conscii sunt.* Planè sicut ericius in globum convolutus, & in medios canes projectus nihil vulneris pertimescit, sic conscientia criminis nescia, in extremis etiam periculis stat intrepida atque secura: quinimò instar balenæ se gerit, eò jucun- N. 431.

jucundiùs ludentis, quò sæviùs infremit mare. Nequè ineptè comparatur Templo Salomonis, in quo exstruendo nullus audiebatur malleus. Rex Ezechias clypeô innocentis conscientiæ tectus, cùm audiret mortis sententiam, etiam à Deo in se proclamatam, intrepidô ore respondit: *memento quæso quomodo ambulaverim coram te in Veritate.* S. Martinus hâc galeâ provisus infernali sese apposuit hosti dicens: *quid adstas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies.* Agis Rex ductus ad fatale supplicium: cùm cerneret, quendam Misericordiâ motum, ejus infortunio compati, & illacrymari, hilarî vultu dixit Plutarchô teste: *noli flere propter me, quia propter jus & æquum ad supplicium ducor.* Verbô: *ploret Mundus* dicam cum Petro Cellens. lib. de consc. *omni volubilitate circumrotetur, pereat, transeat, nunquam marcescet conscientia.* Quare hoc ultimum tibi Christiane cum Juda Machabæo inculcam documentum v. 42. cap. 12. hortante suos commilitones: *conservare se sine peccato &c.*

Finis Operis,
in honorem Illius facti, qui est Principium omnis Operis.



Omnium

Omnium Materiarum Moralium & Ascetiarum, quæ in diversis marginalibus numeris, aut unô fusiùs nonnihil discussæ servire possunt ad integras conciones vel exhortationes, ex tempore faciendas.

A.

Abstinentia vel Jejunium. Reddit hominem ad spiritualia ritè peragenda, & expugnanda vitia aptum. N. 185. Purgat animam à maculis peccatorum. N. 244. & elevat illam ad contemplationem cœlestium. N. 306.

Adulatio. Describitur pessima adulatoris Indoles, & damna, quæ infert audientibus, pœnasque, quas ipse luit. N. 205. & N. 277.

Ambitio. Duri, sed vani sunt ambientium labores & studia, misera ipsorum vita, dum eorum appetitus nunquam erit saturandus. N. 19. hoc fusiùs probatur aliîs N. 145. N. 225. & 314.

Amicitia vera & falsa. Amicus falsus tamdiu servit, quamdiu ei servitur, tempore calamitatis recedens N. 76. Huic contrarium facit amicus verus N. 256. & N. 324. vide ulteriùs annotata *de Adulatione.*

Amor Dei erga homines tantus est, ut sæpè quô major fuerit iniquitas peccatoris, eò major etiam Amor Dei & clementia erga illum N. 116. Facit Deum summè sollicitum pro salute illius. N. 143. & fuit causa, quod tanta fuerit passus tormenta. N. 180. & N. 387.

Amor nostri erga Deum debet esse purus, nihil affectûs habens ad creaturam N. 111. N. 137. & N. 266. Debet etiam esse zelô plenus pro Gloria Dei N. 156. & N. 286.

Amor proprius reddit hominem in vitiis gignendis fœcundum, sterilem in virtutibus, & optima ejus corrumpit opera. N. 78. est Idolum illud, quod etiam in cordibus piorum nititur sedem figere N. 418.

Angelus Custos invigilat studiosissimè saluti hominis. N. 100. & N. 430.

Anima hominis est nobilissima, utpote ad Imaginem Dei condita: huic autem se debet conformare, nî velit à suo fine aberrare N. 1. & N. 2. Ante omnia inviligandum est ejus æternæ saluti, quod tamen faciunt pauci. N. 275.

Ariditas mentis quandoque in piissimis datur hominibus, ut illi probentur in Virtute humilitatis, & magìs crescant in meritis N. 26. Tempore ariditatis non sunt intermittendæ preces & ordinaria exercitia. N. 98. & N. 123.

Avaritia est Idolorum Servitus. N. 142. Passio invincibilis, si firmas egerit radices in homine, & causa gravissimorum peccatorum. N. 161. Quin imò hominem in bestiam mutat. N. 359. vide etiam, quæ inf. de *Divitiis* tractantur in pluribus numeris.

B.

Bachanalia. Infelix eorum exitus. N. 219. Vide pariter quæ inf. habentur de *ebrietate*, *gula*, *luxu* & *saltu*.

Beatitudo cœlestis est levi pretio, imò solis quandoque precibus obtinenda. N. 36. & N. 212. non potest satis describi, quanta sit N. 232. comparatur convivio Asveri, N. 386. omne gaudium, omnis quies, omnis pulchritudo hujus Mundi in comparatione illius est mera miseria. N. 425.

Blasphemia gravissima in Deo infert injuriam. N. 299. & hinc gravissimas etiam dat pœnas. N. 421.

Benignitas & Misericordia Dei. Miserum peccatorem prævenit, & invitat ad pœnitendum. N. 65. & N. 68. Imò per immissas tribulationes quasi compellit N. 89. hæc, & his similia aliis argumentis de Benignitate Dei tractantur fusiùs N. 102. N. 116. N. 203. N. 243. N. 276. N. 304. N. 328. N. 398.

C.

Castitas est Virtus, pariens in homine cognitionem rerum supernaturalium, & reddens illum Deis similem N. 220. conservatur in solitudine *eòdem N.* per illam eò magis admiranda acquiritur Victoria, quò major est pugna. N. 385. vide econtrariò, quòd inf. annotetur de *Luxuria*.

Charitas proximi etiam inimici. Ad hanc Virtutem amplectendam hortantur nos pulchra exempla. N. 50. Qui illam possidet, gravissimè dolet super peccatis proximi. N. 163. & N. 235. Deo nihil acceptius est in homine hâc ipsâ virtute. N. 264. & N. 341.

Cognitio sui ad humilitatem & alias Virtutes obtinendas, vel custodiendas, servit. N. 268. vide etiam, quæ inf. annotantur de *humilitate*.

Cogitationes sedulò custodiendæ sunt ab objectis malis, & si quid mali jam conceperint, ociùs illud expellandum est. N. 163. & fusiùs N. 146.

Concionator. Nullo personarum respectu tangatur. N. 250. vide etiam, quæ annotantur inf. de *correctione*.

Concordia est Virtus Deo gratissima & hominibus utilissima. N. 22. hoc idem fusiùs probatur N. 214. N. 284. & N. 403.

Confessarius debet se accommodare subjectis, quorum confessiones excipit, & alios quidem blandis alios durîs tractare verbis. N. 335.

Confes-

Confessio, vide *Pœnitentia*. N. 305. & seq.

Conscientia mala tortor acerbissimus. N. 64. Quascunque voluptates & gaudia mutat in amaritudines & mœrores. N 415. bona verò conscientia reddit hominem securum & quietum. N. 431.

Consilium. Etiam prudentissimos oportet, alios consulere N. 99. & bonis consiliis acquiescere N. 331.

Consolationes supernas non potest hominis cor sentire, nisi prius sit purgatum à solatiis terrenis. N. 33. & fusiùs N. 160. & N. 202. Consolationes supernæ toto Cœlo differunt à terrenis, quia hæ tantùm speciem consolationum & deliciarum habent. N. 181.

Constantia sola coronam meretur. N. 57. Quod fusiùs demonstratur N. 121. N. 123 & N. 360.

Convivium non damnantur convivia, sed excessus in eis, qui rarò abesse solet. N. 361.

Correctio. Hæc incumbit parentibus & Superioribus, sed talis, quæ sit discreta N. 74. & N. 153. Si delicta filiorum aut subditorum dissimulent, fiunt alieni peccati participes. N. 81. & N 327. Ut verò eorum correctio robur habeat, oportet: peccata ipsimet fugiant, quæ in subditis culpant. N. 234.

Cæcitas mentis est plaga maxima, quâ affici potest peccator. N. 90. talem sentiunt, qui nimis addicti sunt terrenis voluptatibus. N. 97. videantur etiam ea, quæ inferiùs *de obdurato peccatore* annotantur.

Crux Christi. In hac est Salus & Victoria nostra contra insultus Dæmonum. N. 201.

D.

Decimæ præstandæ sunt Ministris Ecclesiæ: aliàs non evitabitur Vindicta Dei. N. 124.

Detractio. Lubens detrahentis linguæ auditor æquè est invisus Deo, ac ipse Detractor. N. 52. Quò autem est præstantior persona, cui detrahitur, eò gravius vitium est detractio; præsertim si fiat contra ipsos Superiores N. 104. Describitur etiam pessima detractoris Indoles, & debitæ huic vitio pœnæ. N. 135. Admonentur demum Christiani: quomodo tegere debeant proximorum peccata. N. 263

Discretio tanquam Virtutum solidarum Magistra jubet hominem dependere à Superioris sui Voluntate, non à proprio arbitrio N. 182. Ne indiscreto zelô ductus seducatur. N. 419.

Divitiæ, quibus acquirendis homines tantos labores impendunt, sunt causa

causa invidiæ. N. 48. Inducunt in animum oblivionem Dei & rerum cœlestium N. 73. spoliant homines requie, & afficiunt eos innumeris curis. N. 91. & N. 300.

E.

Ecclesia Catholica malam quorundam Christianorum vitam amarissimè deflet. N. 236.

Ebrietas non tantùm est fomes Luxuriæ, ut breviter probatur N. 131. sed & aliorum vitiorum, ut fusiùs demostratur N. 177. & N. 247.

Educatio. Ad bonam educationem filiorum vel maximè conducit bona parentum vita: nil enim eos magis depravat, quàm mala exempla in parentibus visa. N. 165. Ut curvantur filii, ita crescunt in arbores bonas vel malas. N. 228. Parentes, qui nimis tenerè diligunt filios suos, & correctioni debitæ non sati faciunt, sunt eorum carnifices. N. 316.

Electio Prælatorum debet esse ab omni passione & inordinata affectione libera. N 157.

Eucharistia sumenda est à Christianis, ut à Judæis sumptus est Agnus paschalis. N. 92. Accedendum ad hanc sumptionem cum summa cordis munditia. N. 128. & N. 333. Inita priùs pace cum inimicis. N. 193. Et purgatô corpore ab omni spurcitia N. 255. Qui hoc Sacrum non curat pabulum, æternam patietur famen. N. 307.

Eleemosina mater est omnis felicitatis terrenæ reddens cum grandi fœnore data. N. 29. Est Signum æternæ prædestinationis, si liberaliter porrigatur. N. 39. & N 54.

Exemplum bonum à Superioribus requiritur: hoc enim subditos attrahit. N. 80. & fusiùs N. 107. N. 149. & 188. Unius perversi exemplum plurium est ruina. N. 204. & hinc gravissimè punitur à Deo. N. 213. & N. 428.

F.

Fallacia. Homines fallaces sibimetipsis nocumento sunt, pœnâ Talionis puniendi. N. 230. Fallacissimi blaterones sunt Mundus, caro, Dæmon. N. 213. & N. 428.

Festum oportet celebrare, non vacandô tantùm ab operibus servilibus, sed etiam à peccatis. N. 114. Solis igitur incumbendum est negotiis Spiritualibus, prout fusiùs probatur. N. 441. N. 176. & N. 427.

Fiducia in Deo ponenda est. N 40. Sed quæ sit firma & stabilis, non ut quidam faciunt, qui non statim à malis liberati, ab eo deflectunt, ad alia media etiam illicita conversi. N. 155. & N. 380. & quò majora sunt

sunt pericula, eò major sit fiducia in Deo. N. 252. nimia sollicitudo de rebus terrenis, excludens fiduciam istam punitur. N. 280. vincit hostes suos, qui confidit in Domino; vincitur ab illis, qui suis in viribus, aut in aliis confidit. N. 417.

Fiducia in homine posita fallax & inanis est. N. 318. probatur hoc aliis argumentis fusiùs, *N.* 406. & *N.* 426.

Filii sequuntur parentum mores. *N.* 165. quales fuerint in juventute, tales erunt in Senectute. N. 364. vide plura superiùs de *educatione* annotata.

Finis hominis primarius est: servire Deo *N.* 2. à quo tamen plurimi plurimùm aberrant. *N.* 84. relictô Deô & Cœlo terrenis rebus saturari cupientes. *N.* 162.

Fortitudo. Veri servi supremi Numinis tantæ fortitudinis sunt, ut nullis tormentis superari queant. *N.* 350.

G.

Gloria vana animæ piæ aufert meritum. *N.* 7. & fusiùs *N.* 320. atque *N.* 321. hinc opera bona tegenda sunt, *N.* 32. & fusiùs *N.* 79. atque *N.* 200. ad gloriam verò hanc suprimendam servit optimè frequens memoria nostrorum defectuum. *N.* 179.

Gratia datur juxta dispositionem subjecti. *N.* 238. gratiam Dei qui habet, habet omnia, valens vivere sine omni timore mali. *N.* 372.

Gratitudo vel ingratitudo. Qui gratus est pro acceptis à Deo beneficiis, accipere meretur nova. *N.* 69. ingratus verò privari jam acceptis. *N.* 96. quia ingratitudo est gravissimum vitium. *N.* 154. Christo pro nobis tam dira passo summam inferens injuriam. *N.* 224. & *N.* 380. gratitudo autem erga Deum maximè demonstrari potest divinâ laude. *N.* 343.

Gula ab homine expellit memoriam Dei, & introducit locô illius millena vitia. *N.* 177. hinc illa utitur Dæmon, ut hominem debellet. *N.* 247. & *N.* 325.

H.

Humilitas vel maximè decet eos, quos fortuna attollit. *N.* 63. & *N.* 120. quia quò humiliores fiunt, eò magis elevantur à Deo. *N.* 85. ad obtinendam hanc virtutem conducit frequens memoria defectuum nostrorum. *N.* 268. est porrò Humilitas summi apud Deum Meriti. *N.* 392. servit ad placandos inimicos, & vincendum Dæmonem. *N.* 94. & *N.* 381.

Hypocrisis. Christianus, soli extrinsecæ pietati deditus, & de interna non sollicitus, Deo odibilis est. *N.* 108. & *N.* 293. describuntur Hypocritæ mores. *N.* 274.

I.

Infernus infinitis pœnis afficit damnatos, quia tales debentur peccato gravi tanquam infinito malo. *N.* 192. Inferni frequens memoria peccatorem ad frugem reducit. *N.* 240. inter pœnas Inferni una ex maximis est caligo & horrendæ illæ tenebræ. *N.* 368. ingens est illorum numerus, qui in has tenebras labuntur, æternùm non illuminandi. *N.* 411.

Intentio bona operibus summô mane præponenda est, quæ ipsa dirigat ad Deum. *N.* 93. apud quem aliàs nullius valoris erunt. *N.* 122. hoc fusiùs probatur aliis argumentis. *N.* 137. & *N.* 400. obligationi in formanda bona intentione pauci satisfaciunt, præsertim in Dignitate constituti, utpote qui magis sua commoda & gloriam, quam Dei honorem in suis operibus quærunt. *N.* 309.

Invidia est malum intestinum, qui illud fovet, ab illo consumitur. *N.* 43. hoc vitium etiam pios quandoque aggreditur, & vincit. *N.* 217.

Iracundia passio crudelis, non tantùm graviter nocet objectis, sed etiam ipsis subjectis, quibus dominatur. *N.* 254. & *N.* 295. quô posteriorî numero etiam instruitur Christianus, quibûs mediis hæc passio frenanda sit.

Judex sit impartialis, nullum habens respectum ad personas vel ad munera. *N.* 105. sententiam ferat sine passione, & priùs benè ponderatam. *N.* 340.

Judicium extremum. Apparatus hujus Judicii describitur, & verba, quibus tremendus Judex alloquetur impios. *N.* 101. describitur etiam terror, quem inde concipient impii. *N.* 281. dum econtra pii in hoc judicio summo afficientur gaudiô. *N.* 389.

Judicium temerarium. Nimis proclives sunt homines ad temeraria judicia, imputantes aliis ea vitia, quibus ipsi sunt obnoxii. *N.* 134. & *N.* 371. graviter puniantur tales judices à Deo, qui sibi soli reservat judicium. *N.* 267.

Justus suavissimè moritur *N.* 10. & licèt durante vitâ vivat inter malos, pietatem tamen semel firmiter radicatam inter illos non perdit. *N.* 383. & 393.

L.

Lacrymæ. Nulla aqua Deo acceptior est, quam quæ fluit ex oculis pœnitentium. N. 218. & N. 326. hæc aqua mitigat iratum Judicem. N. 273. videantur etiam ea, quæ inferiùs notantur *de pœnitentia.*

Lectio Sacra. Quod stomacho est cibus, hoc animæ est lectio pia: sed oportet, illam attentè fieri. N. 401. videantur ulteriùs ea, quæ inferius annotantur de *Verbo Dei.*

Lex Christi Jugum suavissimum est, si comparatur cum Lege Mosaica. N. 138. impletur facillimè ab illis, qui verè amant Deum. N. 195. qui adjutor promptissimus est. N. 329.

Lingua ante alia omnia membra inhiberi debet non tantùm ab illicitis, sed etiam ab inutilibus verbis. N. 158. est membrum, quod alios venenô inficit, nisi sit mortificatum. N. 291. & N. 422.

Locus sacer. Qui illum accedere vult, ut Deo fiat supplex, debet priùs omnia alia negotia ex corde suo expellere. N. 35. & nihil in loco hoc agere, quod non sapiat debitam reverentiam N. 45. & N. 285. puniuntur graviter, qui contrarium faciunt. N. 144. & 317.

Lusus rarò fit sine peccato. N. 366.

Luxuria. Huic vitio dediti homines excæcantur penitùs, ut mala non videant, in quæ ruunt. N. 31. etiam ipsis Dæmonibus sunt horrori. N. 130. non diu vivent. N. 139. & N. 231. excellens remedium contra hoc vitium est memoria passionis Dominicæ. N. 338.

M.

Maria Virgo à filii sui cruce nullis potuit dimoveri terroribus. N. 278. sola est sine macula originali N. 384. Patronam agit pro suis clientibus fidelissimam. N. 390.

Matrimonium status est multis miseriis repletus. N. 41. præsertim si zelotypia in eo locum inveniat. N. 148.

Mansuetudo est virtus divina, concilians amicitiam cum hostibus. N. 259.

Mendacium reddit hominem Deo & proximo abominabilem. N. 396. vide econtrariò, quid inferiùs notetur de *Veritate.*

Miseria humana per lapsum Adami causata describitur. N. 4.

Modestia. Exterior Membrorum morumque compositio indicat pulchritudinem animæ. N. 251.

Mors. Diu vivendô non effugimus mortem, sed tantùm augemus sarcinam peccatorum, quæ in extremis nos maximè gravabit. N. 6.

frequens memoria mortis conſervat virtutes in homine. N. 37. diſponit peccatores ad pœnitentiam. N. 55. & N. 147. paſſiones & libidines in eo ſupprimit. N. 279. Mors eſt Echo vitæ juxta illud commune Proverbium: *qualis vita, finis ita.* N. 303. Mors Juſtorum non mors, ſed ſuavis ſomnus appellari poteſt. N. 322.

Mortificatio adhibenda eſt omnibus ſenſibus, ne per hos Dæmoni pateat acceſſus ad tentandam & decipiendam animam. N. 5. & N. 42. afferuntur exempla eorum, qui hoc ſtrenuè fecerunt. N. 13. N. 110. & N. 178. mortificatione autem nullibi magis opus eſt, quàm in locis, in quibus liberiùs vivere ſolent homines, v. g. in Aulis Principum, in hoſpitiis &c. N. 336.

Mundus Omnis labor, quem mundo addicti homines impendunt, vanus eſt, ſolitôque effectu carens. N 17. quia in rebus mundi datur nil aliud, niſi mera vanitas & fumus. N. 60 & fuſiùs. N. 85. & N. 334. deſcribitur porrò fallaciſſimus mundi genius. N. 183. deſcribuntur vitia, in quæ mundi aſſeclæ ruunt. N. 209. & eorum infeliciſſimus finis N. 227. N. 262. & N. 416.

O.

Obedientia vel inobedientia. Obediendum eſt non tantùm in rebus levibus, ſed etiam in arduis & naturæ multum contrariis. N. 34. hâc virtute Deus placatur tanquam ſibi acceptiſsima. N 106. ſuperatur per illam Dæmon. N. 168. & pervenitur ad Cœlum. N. 199. ſed oportet illam eſſe cæcam. N. 367. per inobedientiam movetur Deus ad iram & vindictam. N. 260.

Occaſio mala. Non ſufficit pœnitere de peccatis, ſed etiam occaſio mala penitùs fugienda eſt. N. 53. & fuſiûs N. 323. N. 356. & N. 414.

Oculus ante omnes ſenſus frenandus eſt, quia periculoſi ſcopuli nomen & omen habet. N. 11. fuſiùs hoc probatur. N. 16. & N. 229.

Opera bona pariat Chriſtianus, & non tantùm bona propoſita concipiat, erit aliàs inſtar arboris meris foliis inſtructæ. N. 47. & nullatenùs ſuo ſatisfaciens ſtatui, longè graviores Deo dabit pœnas, quàm homo gentilis. N. 84. & N. 242. fides ſine operibus eſt mortua. N. 429.

Oratio fiat mente compoſitâ, & à ſæcularibus curis abſtractâ. N. 35. fiat præmiſſâ pœnitentiâ. N. 113. cum vera confidentia & perſeverantia. N. 115. & erit petita impetrans N. 44. inſignes præſertim Victorias. N. 206. & N. 377. nullibi autem efficacior ſolet eſſe oratio, quàm ſi fiat in locis Deo ſacratis. N. 288.

Otium est pulvinar Diaboli & fomes malorum. N. 173. huic cum proportione applicanda sunt, quæ superiùs annotantur de *operibus bonis.*

P.

PArentes sequuntur in moribus filii. N. 165. & N. 370. qui pessimi evadent, si ipsis desit moderatus disciplinæ rigor. N. 316.

Passio Christi frequenter cogita conservat amorem erga Salvatorem. N. 165. extinguit libidinis ignes. N. 338. docetur autem: quomodo hæc S. Passio tempore quadragesimali consideranda sit. N. 271.

Patientia amoris divini indicium est, quô enim quis magis amat Deum, eò majora libentiùs pro eo patitur. N. 389. & fusiùs N. 239. vide inferiùs annotata de *Tribulatione.*

Paupertas Voluntaria ditat hominem tranquillâ vitâ, & virtutibûs. N. 191. & N. 324. promittit illi cœlum pro objectis opibûs. N. 211.

Peccatum mortale, quia est malum infinitum, infinitas quoque meretur pœnas. N. 192. unum est causa alterius. N. 226.

Peccator obduratus patitur pœnam cæcitatis. N. 90. fit surdus ad omnia monita. N. 197. imò durior lapide. N. 292. hinc difficillimè ad frugem reducitur. N. 152. etsi hoc contingat: fit plerumque tantùm propter pœnas temporales, quas vivens sentit. N. 194.

Peccatum veniale in oculis hominum est parvum, sed graves infert pœnas. N. 61. & fusiùs hoc probatur. N. 402.

Perfectio Christiana, ad illam omnes Christianos juxta media statûs sui oportet tendere, nunquam quiescendô. N. 42. via ad illam etsi videatur dura, successu temporis redditur mollis atque supernâ dulcedine plena. N. 249. divinæ præsentiæ memoriâ plurimùm ad rem conferente. N. 27.

Pœnitentia opera mortificata revocat, & reviviscere facit. N. 15. nullatenùs est differenda. N. 20. & N. 28. & fusiùs. N. 87. N. 233. & 339. sine illa vanæ sunt preces, à Deo non exaudiendæ. N. 113. est virtus Deo gratissima. N. 218. & N. 326. potens ejus mitigare iram. N. 273. modus agendi pœnitentiam in lege Evangelica est facilis, qui fit mediante confessione. N. 305. ut tamen solidè fiat, non tantùm oportet peccata confiteri, & dolere de confessis, sed fugere etiam occasiones propinquas. N 414. vide etiam, quæ superiùs annotantur de fugienda mala occasione.

Providentia Dei sedulas agit excubias, & parata habet auxilia, pro illis, qui se ei totos commiserint. N. 30. & N. 159. estque eo propinquior homini, quô ille remotior fuerit ab auxiliis terrenis. N. 58. & fusiùs. N. 94. & 261.

Præsentia Dei Christianum à peccatis conservat & ad sectandas virtutes impellit. N. 27. & fusiùs N. 155. hæc verò si fuerit ab animo Christiani expulsa, ruet ille in omnia peccata. N. 196.

Purgatorium quoad pœnæ acerbitatem describitur, quæ utique gravissima cùm sit, quemlibet debet ad commiserationem, & ad ferenda purgantibus animabus auxilia movere. N. 117. & 399. inter omnia auxilia efficacius non est Sacrificiô Missæ. N. 352.

Procurator Ecclesiæ utilitati Ejus debet studere, & Bona applicare in debitum finem. N. 352.

Præsidium Sanctorum non deest invocantibus eorum opem & auxilium. N. 423.

R.

Relapsus in peccatum causa est, quòd homo difficulter resurgat. N. 71. & N. 265.

Religiosus status præfiguratur per Christum Eucharisticum & Martyrio comparatur. N. 167. in eo non difficile est, tentationes vincere propter præsentissimum Dei auxilium. N. 237. & fusiùs N. 410.

Reliquiæ SS. sunt velut arma contra assultus hostium. N. 94.

Resignatio in divinam voluntatem præcipuarum virtutum una, causat tranquillitatem animi inter adversa. N. 109.

S.

Sacerdos. Quanto in honore habendi sit Sacerdotes, Deus Ipse demonstrat, rigidè puniendô eos, qui contrarium fecêre. N. 302. Ipsos autem Sacerdotes summâ puritate nitere oportet, quando Sacra tractant negotia. N. 404.

Saltus est valdè efficax ad luxuriam dispositio, & hinc rarò fit sine peccato. N. 347.

Scandalum. Una quandoque ovis morbida, hoc est scandalosus homo, totam inficit communitatem. N. 204. non sunt autem magis nociva Scandala, & majorem merentur pœnam, quam quæ à Superioribus proveniunt, & hinc illis vel maximè cavenda. N. 213. & fusiùs N. 241. & N. 428.

Servus Dei non potest conqueri, sibi aliquid deesse, quia tam sollicitum pro se habet Dominum. N. 21. sentit in se compleri omnes Benedictiones, quas moriturus Jacob, suis largitus est filiis. N. 198. videantur ulteriùs annotata de *statu religioso*.

Silentium aversatur summè Dæmon in hominibus, utpote compertum

tum habens, illud esse omnium virtutum Custodem. N. 422. videantur etiam ea, quæ superius annotantur *de linguæ custodia.*

Societas mala est innocentibus periculosissima. N. 23. & fusiùs N. 38. N. 126. & N. 171. præsertim si intervenit sexûs diversitas. N. 140. & N. 353.

Solitudo recreat hominem, conservat virtutes, & arcet vitia. N. 315. & fusiùs N. 405.

Superbia vindictam Dei celerem in caput superbi provocat. N. 348. & quô quis altiùs extollitur, eò profundiùs deprimi solet. N. 376. quàm vana proin sint studia & labores illorum, qui alios excellere volunt, videatur superiùs ubi de *ambitione* facta sunt notamina.

Superiores, quàm bono exemplo debeant prælucere subditis, nec verbîs solùm, sed & factîs eos docere, & quomodo corrigere eorum defectus, videri superiùs poterit, ubi habentur notamina de *Correctione*, & de *Exemplo bono.*

T.

Talionis pœna exigitur per Vindicem Deum, punientem peccatores per ea, per quæ peccaverint. N. 86. & fusiùs N. 88. N. 270. N. 310. & N. 382.

Templum. vide *locus sacer.*

Tempus volat irrevocabile: & licèt summi sit pretii, nihili tamen à plurimis habetur, quod à se factum esse, serò dolore gemunt damnati. N. 62.

Tentatio quamprimùm fuerit orta, ociùs ei resistendum est. N. 103. & N. 146. est quidem homini valdè molesta, sed utilissima strenuè pugnanti. N. 394. Dæmon tentaturus hominem explorat priùs, ad quæ vitia magis inclinet: quare passiones frenandæ sunt, ne hosti subministremus arma, ad nos vincendos. N. 420.

Timor Dei compescit passionum inordinatarum motus. N. 14. & causat spirituale gaudium. N. 379. circa finem.

Tribulatio Signum est æternæ prædestinationis. N. 40. & fusiùs N. 67. N. 150. & N. 349. retinet hominem intra limites piæ vitæ. N. 207. & licèt eum constituat in frequenti pugna; tamen ei non aufert pacem animæ. N. 215. imò dulcedinem & lætitiam causat in anima. N. 349. & N. 391. illuminatque intellectum. N. 344.

V.

Verbum Dei libenter auribûs exceptum confert gratiam & gloriam. N. 289.

N. 289. est cibus animæ. N. 298. necesse est, omnia vitiis impleri, ubi Verbo Dei occluduntur aures. N. 345.

Veritas odium parit. N. 378. hanc, qui prædicant, defenduntur à Deo. N. 379.

Vestitus. In eo multi excedunt cum gravi aliorum damno, graviter puniendi à Deo, N. 186.

Vindicta Dei etiam occultè peccantibus timenda. N. 8.

Vocatio est ingens gratia, sed ingentem etiam secum pœnam trahit, si ei difformiter vivat Christianus, opera non exercendô, quæ ab ipso requiruntur. N. 330. vide porrò notamina de *operibus bonis* superiùs adducta.

Z.

Zelus animarum amaras extorquet lacrymas ex oculis eorum, qui illô flagrant, quando vident animas perire. N. 355.

Zelus discretus. vide *discretio.*

Zelus honoris divini nequit aliquid injuriosum Deo patî, sed impellit ad vindictam. N. 156. & N. 297. modernô tempore pro dolor! Zelus honoris divini apud Christianos languet, quærentes magis, *quæ sua sunt &c.* N. 156. & N. 118.

Conceptus prædicabiles Diebûs Dominicîs per Annum ad Personas Sæculares.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Pœnitentia sera plerumque sicca & arida.

Thema ex Evangelio Lucæ 21. arescentibûs hominibûs.

Materiam subministrat Index sup. vid. *Pœnitentia.*

DOM. II. ADVENT.

Scandalum est animarum exitium.

Thema ex Evang. Matth. 11. qui non fuerit scandalizatus.

Materiam vide sup. in Ind. v. *Scandalum.*

DOM. III. ADVENT.

Sui notitia est utilissima scientia.

Thema ex Evang. Joan. 1. Tu quis es?

Mater. vide in sup. Ind. v. *Cognitio sui*, & v. *Humilitas.*

DOM.

DOM. IV. ADVENT.

Deus deponit superbos, exaltat humiles.

Thema ex Evang. Lucæ 3. *Omnis collis humiliabitur.*

Mater. vide in sup. Ind. v. *Superbia* & v. *Humilitas.*

DOM. INFRA NATIVIT. CHRISTI.

Soli Constantiæ & Perseverantiæ debetur corona gloriæ.

Thema ex Evang. Lucæ 2. *Quæ non discedebat de Templo &c.*

Mater. quære sup. in Ind. v. *Constantia.*

DOM. I. POST EPIPHANIAM.

Ut umbra corpus sequitur, sic filii sequuntur parentum mores.

Thema ex Evang. Lucæ 2. *Descendit cum illis in Nazareth.*

Materiam vide in sup. v. *Educatio.*

DOM. II. POST EPIPH.

Inebriati vanitatibûs mundi, in fine bibunt vinum amarissimum.

Thema ex Evang. Joan. 2. *Et cùm inebriati fuerint, tunc id, quod est deterius.*

Materiam vide sup. in Ind. v. *Mundus.*

DOM. III. POST EPIPH.

In bonis operibus quærens vanam gloriam perdit mercedem.

Thema ex Evang. Matth. 8. *vide, ne cui dixeris.*

Mater. quære sup. in Ind. v. *Gloria vana.*

DOM. IV. POST EPIPH.

In mediis tribulationum fluctibus pia dormit anima.

Thema ex Evang. Matth. 8. *Ipse verò dormiebat.*

Mater. vide in sup. Ind. v. *Tribulatio.*

DOM. V. POST EPIPH.

Societas mala optimis cordibus superseminat Zizania.

Thema ex Evang. Matth. 13. *venit inimicus homo, & superseminavit Zizania.*

Materiam reperies sup. in Ind. v. *Societas.*

DOM. VI. POST EPIPH.

Vindicem Justitiæ divinæ manum inhibet Benignitas.

Thema ex Evang. Matth. 13. *Sinite utraque crescere.*

Materiam vide sup. in Ind. v. *Benignitas Dei.*

DOM. SEPTUAGESIMÆ.

Fides sine Operibus non consequitur Mercedem.

Thema ex Evang. Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

Mater. invenies in sup. Ind. v. *Opera bona.*

DOM. SEXAGES.

Divitiæ aufferunt quietem animæ.

Thema ex Evang. Lucæ 8. Et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

Mater, vide sup. in Ind. v. *Divitiæ.*

DOM. QUINQUAGES.

Cæcitas animæ, malum pessimum, eos afficit, qui juxta viam perditionis sedent.

Thema ex Evang. Lucæ 18. Cæcus quidam sedebat juxta viam.

Materiam reperies sup. in Ind. v. *Cæcitas mentis.*

DOM. I. QUADRAGES.

Audacter resistendum tentationum Primordiis.

Thema ex Evangel. Matth. 4. Vade Sathana.

Materiam vide sup. in Ind. v. *Tentatio.*

DOM. II. QUADRAGES.

Bonum habet anima Domicilium, quæ vivit in solitudine.

Thema ex Evangel. Matth. 17. Bonum est nos hîc esse.

Materia reperitur sup. in Ind. v. *Solitudo.*

DOM. III. QUADRAGES.

Fortissimum Custodem animæ sortitur, qui mortificationi sensuum suorum studet.

Thema ex Evangel. Lucæ. Cùm fortis armatus custodit atrium &c.

Materiam vide sup. in Ind. v. *Mortificatio*

DOM. IV. QUADRAGES.

ExemplaSuperiorum trahunt subditos vel ad bonum, vel ad malum.

Thema ex Evangel. Joan. 6. Et sequebatur eum multitudo magna.

Materiam vide sup. in Ind. v. *Exemplum.*

DOM. V. QUADRAGES.

Conscientia bona reddit hominem quietum, mala pessimè illum torquet.

Thema ex Evang. Joan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato?

Materiam vide sup. in Ind. v. *Conscientia.*

DOM. PALMARUM.

Regi, per Paschalem communionem ad nos venienti, occurrendum est summâ cordis munditie.

Thema ex Evang. Matth. 21. Ecce! Rex tuus venit tibi.

Materia sumatur ex sup. Ind. v. *Eucharistia.*

DOM.

DOM. RESURRECT.

Per veram Pœnitentiam qui vult resurgere, priores peccandi occasiones fugiat.

Thema ex S. Evang. Matth. 16. Surrexit, non est hic.

Materiam vide in sup. Ind. v. *Occasio mala.*

DOM. I. POST PASCHA.

Concordia Deo gratissima, homini utilissima.

Thema ex Evang. Joan. 20. Pax vobis.

Materia reperitur in sup. Ind. v. *Concordia.*

DOM. II. POST PASCHA.

Pastor bonus Superior ille est, qui moderatè corrigit, in subditis corrigenda.

Thema ex Evang. Joan. 10. Ego sum pastor bonus.

Materia reperitur sup. in Ind. v. *Correctio.*

DOM. III. POST PASCHA.

Modicum temporis non est modici, sed summi pretii.

Thema ex Evangel. Joan. 16. Quia dixi modicum.

Materiam vide in sup. Ind. v. *Tempus.*

DOM. IV. POST PASCHA.

Frequens mortis memoriam ad pœnitentiam emollit indurata peccatorum corda.

Thema ex Evang. Joan. 16. Quò vadis?

Materiam invenies in sup. Ind. v. *Mors.*

DOM. V. POST PASCHA.

Qui rectè orat, omnia impetrat.

Thema ex Evang. Joan. 16. Petite, & accipietis.

Mater. reperitur in sup. Ind. v. *Oratio.*

DOM. VI. POST PASCHA.

Solatia superna, quæ totô Cœlô differunt à terrenis, non poterit sentire, qui Spiritum mundi in corde retinet.

Thema ex Evangel. Joan. 15 Cùm venerit Paraclitus.

Materiam subministrat sup. Ind. v. *Consolatio.*

DOM. PENTECOSTES.

Dilectio, quam à nobis requirit Deus, debet esse pura & zelô plena.

Thema ex Evang. Joan. 14. Si quis diligit me.

Materiam vide sup. in Ind. v. *Amor nostri erga Deum.*

DOM. SS. TRINIT. I. POST PENTECOST.

Qui se divinæ credit Providentiæ, habet semper adjutricem manum.

Thema ex Evang. Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum.

Materiam reperies sup. in ind. v. *Providentia Dei.*

DOM. II. POST PENTECOST.

Tribulatio æternæ Prædestinationis Signum.

Thema ex Evang. Lucæ 14. Et pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc.

Materiam vide sup. in ind. v. *Tribulatio.*

DOM. III. POST PENTECOST.

Immensus est Amor Dei erga homines etiam gravissimos peccatores.

Thema: Lucæ 15. Quia hic peccatores recipit.

Mater. vide sup. in ind. v. *Amor Dei erga homines* & v. *Benignitas Dei.*

DOM. IV. POST PENTECOST.

In vanum laborat, qui labori suo non præmittit bonam intentionem.

Thema ex Evang. Lucæ 5. Per totam noctem laborantes nihil cepimus.

Materiam reperies sup. in ind. v. *Intentio.*

DOM. V. POST PENTECOST.

Iracundia, passio summè nociva, certis curanda mediis.

Thema ex Evang. Matth. 5. Omnis, qui irascitur.

Materiam vide sup. in ind. *Iracundia.*

DOM. VI. POST PENTECOST.

Qui pauperis miseretur dandô eleemosinam, fit dives supernis & terrenis bonis.

Thema ex Evang. Marci 8. Misereor super turbam.

Mater. vide sup. in ind. v. *Eleemosina.*

DOM. VII. POST PENTECOST.

Christianus arbor sit, non solis foliis Fidei, sed & operum fructibus fœcunda.

Thema ex Evang. Matth. 7. Omnis arbor, quæ non facit fructus bonos, excidetur &c.

Materiam vide super in ind. v. *Opera bona.*

DOM. VIII. POST PENTECOST.

Divitiæ maximorum criminum & miseriarum causæ.

Thema ex Evang. Lucæ 16. de Mamona iniquitatis.

Mater. reperitur sup. in ind. v. *Divitiæ.*

DOM. IX. POST PENTECOST.

Nonnisi Sacra negotia in Locis Sacris sunt tractanda.

Thema ex Evang. Lucæ 19. Ingressus Templum cœpit ejicere vendentes in illo & ementes.

Mate-

Materiam vide ſup. in ind. v. *Locus Sacer.*

DOM. X. POST PENTECOST.

Ingratitudo vitium peſſimum, gratitudo virtus optima.

Thema ex Evang. Lucæ 18. *Deus gratias ago tibi.*

Mater. vide ſup. in ind. v. *Gratitudo & ingratitudo.*

DOM. XI. POST PENTECOST.

Lingua, tanquam membrum ad vitia proniſſimum, ante omnia mortificanda eſt.

Thema ex Evangel. Marci 7. *Apertum eſt os ejus.*

Mater. reperitur ſup. in ind. v. *Lingua.*

DOM. XII. POST PENTECOST.

Beatitudo cœleſtis, nullis ſat deſcribenda verbis, levi pretiô & conatu acquiritur.

Thema exEvang. Magiſter, quid faciendô vitam æternam poſſidebo? Lucæ 10.

Mater. vide ſup. in ind. v. *Beatitudo cœleſtis.*

DOM. XIII. POST PENTECOST.

Peccator citò occurrat Chriſto per pœnitentiam, ne exſpectandô usque ad articulum mortis laboret leprâ incurabilî.

Thema ex Evang. Lucæ 17. *Occurrerunt ei decem leproſi.*

Mater. reperitur ſup. in ind. v. *Pœnitentia.*

DOM XIV. POST PENTECOST.

Maximus etſi labor ſit, quem mundo addicti homines impendunt, vaniſſimus tamen eſt.

Thema ex Evang. Matth. 6. *Quærite primùm Regnum Dei.*

Materiam vide ſup. in ind. v. *Mundus.*

DOM. XV. POST PENTECOST.

Brevitas vitæ noſtræ, & certæ mortis quoad horam incertitudo longam & frequentem requirit meditationem.

Thema ex Evang. Lucæ 7. *Ecce defunctus efferebatur.*

Mater. vide ſup. in ind. v. *Mors.*

DOM. XVI. POST PENTECOST.

Feſta, nonniſi feſtivè peragenda ſunt.

Thema ex Evang. Lucæ 14. *Si licet Sabbatô curare?*

Mater. vide ſup. in ind. v. *Feſtum.*

DOM. XVII. POST PENTECOST.

Proximus à nobis diligendus eſt non Amicus tantùm, ſed & inimicus.

Thema ex Evang. Matth. 22. *Diliges proximum tuum.*

Mat. reperitur ſup. in ind. v. *Charitas proximi.*

DOM.

DOM. XVIII. POST PENTECOST.

Dei Præsentia à peccatis patrandis arcet, & ad sectandas impellit virtutes.

Thema ex Evang. Matth. 9. Videntes autem turbæ timuerunt.

Materia reperitur sup. in ind. v. *Præsentia Dei.*

DOM. XIX. POST PENTECOST.

Per obedientiam, virtutem Deo gratissimam, pervenitur ad Nuptias cœlestes, per inobedientiam ad Tartara.

Thema ex Evang. Matth. 22. Et nolebant venire.

Mater. vide sup. in ind. v. *Obedientia.*

DOM. XX. POST PENTECOST.

Morbus pessimus est luxuria, afferens corpori & animæ mortem.

Thema ex Evang. Joan. 4. Reliquit eum febris.

Mater. reperitur sup. in ind. v. *Luxuria.*

DOM. XXI. POST PENTECOST.

Purgantes in flammis animæ quantas sustineant pœnas, & quomodo eis succurrendum.

Thema ex Evang. Marci 18. Non exibis hinc, donec solvas novissimum quadrantem.

Mater. vide sup. in ind. v. *Purgatorium.*

DOM. XXII. POST PENTECOST.

Hypocrita est, quisquis externæ tantùm est addictus pietati, Deo odibilis, utpote tentator Dei.

Thema ex Evang. Matth. 9. Quid me tentatis Hypocrita?

Mater. vide sup. in ind. v. *Hypocrita.*

DOM. XXIII. POST PENTECOST.

Spes confisa Deo, nunquam confusa recedit.

Thema ex Evang. Joan. 9. Confide filia, fides tua te salvam fecit.

Mater. reperies sup. in ind. v. *Fiducia.*

DOM. XXIV. POST PENTECOST.

Terror impiorum in extremo Judicio erit extremus, tum ab aspectu tremendi Judicis, tum à verbis ejus proveniens.

Thema ex Evang. Matth. 24. Et erit tunc tribulatio magna.

Materiam vide sup. in ind. v. *Judicium extremum.*

Conceptus prædicabiles pro menstruis Exhortationibus ad Religiosos.

1. Beata Religiosorum vita, quoad meritum æqualis *Martyrio*, in vincendis Tentationibus facillima.

Thema

Thema ex Psal. 83. *Beati, qui habitant in Domo tua Domine.*

*M*ateriam subministrat v. *Religiosus Status.* & v. *Solitudo* & ex opposito v. *Mundus.*

2. Nihil Deo acceptius obedientiâ, Victrice Dæmonum & scala Cœli, sed oportet illam esse cæcam & non tantùm ad levia, sed etiam ad difficilia promptam.

Thema ex Proverb. c. 1. *Qui me audierit, absque terrore erit, & abundantiâ perfruetur.*

*M*ateriam vide v. *Obedientia.*

3. Castitas hominem illustrat supernîs luminibûs, reddens illum non tantùm æqualem Angelis sed Diis; eô admirabilior ejus Custodia, quô gravior pugna.

Thema ex Eccles. 26. *Omnis ponderatio non est digna continenti animæ.*

*M*ateriam reperies v. *Castitas* & ex opposito v. *Luxuria* mediam ad servandam & custodiendam Castitatem vide v. *Mortificatio.* v. *Oculus.*

4. Paupertas voluntaria pacis internæ & aliarum Virtutum mater, reddit hominem de Cœlo obtinendo securum.

Thema ex Evangel. *Omnis qui reliquerit Domum &c.* Matth. 19.

*M*ateriam subministrat v. *Paupertas.*

5. Viam Perfectionis terere debet Religiosus, nunquam quiescendô, hæc etsi dura videatur ab initio, successu tamen temporis redditur facilis adjuvante divinâ præsentiâ, frequenter cogitatâ

Thema ex lib. Genes. c. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.*

Materiam dabit v. *Perfectio Christiana* & v. *Præsentia Dei.*

6. Mortificatio Religioso armatura est contra Dæmonem, nunquam autem magis necessaria, quàm ubi datur occasio liberiùs vivendi.

Thema ex Proverb. 16. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore Urbium.*

Materiam vide V. *Mortificatio.* v. *oculus.* & v. *lingua.*

7. Religiosi, super alios Christianos in felicitate statûs elati, vel maximè studeant Humilitati, quæ summi apud Deum est meriti, serviens ad placandos inimicos & vincendos Dæmones.

Thema ex Eccles. c. 3 *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.*

*M*ateriam dabit v. *Humilitas*, & ex opposito v. *Superbia.*

8. Pax


8. Pax & Concordia Religiosis ante omnes Virtutes necessaria, Deo gratissima & ipsorum privato & communi bono utilissima.
Thema ex Epist. S. Pauli Hebr. 12. *Pacem sequemini.*
Materiam vide v. *Concordia*, & v. *amor proximi*, etiam *inimici.*
9. Nihil apud Religiosos magis aversatur Dæmon silentiô; hinc eidem sint additissimi tanquam virtutum Custodi.
Thema ex Proverb. 21. c. *Qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suam.*
Materiam reperies. v. *Silentium.* & v. *Lingua.*
10. Ariditatem mentis etiam piissimis immittit Deus; ut probet humilitatis spiritum in eis, & augeat merita, quare tempore ariditatis non desistant à spiritualibus exercitiis, & inordinatè inhient consolationibus.
Thema ex Psal. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.*
Materiam subministr. v. *Ariditas mentis.* v. *Consolatio.*
11. Amor proprius, instar Idoli volens in corde adorari, virtutes in vitia convertit.
Thema ex Evang. Joan. 10. *qui amat animam suam, perdet eam.*
Mater. Vide V. *Amor proprius*, & ex opposito v. *amor nostri erga Deum.*
12. Vana gloria omnis meriti rapina.
Thema ex Epist. ad Galat. 5. *non efficiamur vanæ gloriæ cupidi.*
Materiam habes in verbo *Gloria vana.*

Qui plurès Conceptus & Materias pro asceticis exhortationibus ad Religiosos desiderat, consulat primum Indicem.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN